Digitized by Google

Digitized by Google

THEOLOGIA
CHRISTIANA
DOGMATICO-MORALIS


AUCTORE

F. DANIELE CONCINA

ORDINIS PRAEDICATORUM.

TOMUS QUINTUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.



ROMAE, MDCCXLIX.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES VENETIIS
Apud Simonem Occhi.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

PAucis te admonere intereſt, amice lector, Tomum hunc ſcriptis conſignatum fuiſſe, antequam duo diplomata ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. manarent in lucem adverſus laxam opinionem illorum qui diſpenſatos ad eſum carnium, exemptos quoque a ieiunio contendebant. Et quoniam tantum mihi otii non ſuppetiit quo integram illam quæſtionem recognoſcerem, id in cauſſa fuit cur præfatam opinionem penitus improbabilem non pronuntiaverim. Laudatorum diplomatum & in præloquio adiecto ad *Lib. II.* & in ipſa de ieiunio cum eſu carnium coniungendo quæſtione, dum prælo tradendum ſcriptum fuit, memini; ſed non omnia, ut dixi, ad limam exegi, & nonnulla quæ hiſtoricam illius temporis controverſiam, libroſque ex utraque litterarii certaminis parte editos ſpectant, ſilentio præterii. Ad doctrinam tamen quod attinet, nihil in ea eſt, niſi me mea fallat opinio, quod ſpongia egeat. Unum dumtaxat me neglexiſſe pœnitet, quod in præſens commemorare iuvat. Vir Cl. ALEXANDER MANTEGAZZI ſacræ Theologiæ, & Iuris utriuſque Doctor primus fuit qui pro ſana aſſerenda doctrina contra adverſam, & uſquequaque graſſantem opinionem laxam in arenam deſcendit intrepidus, Diſſertatione latine ſcripta, editaque anno 1736. in lucem, cuius memini *pag.* 167. Continuo expertus ille eſt adverſarium Doctorem Petrum Copellotti, qui *Diatribam* italica lingua exaratam contra eamdem Diſſertationem evulgavit, ut molliorem opinionem propugnare infelici conatu pertentaret. Sed quam male ei alea ceſſerit, conſtat ex altero opere a *Mantegazzi* edito anno 1737. inſcriptoque: *Epiſtola Apologetica ad D. Bartholomæum Caſali adverſus Diatribam Petri Copellotti*. In hac Apologia non cauſſa modo, & doctrina, ſed urbanitate etiam, & modeſta ratione ſcribendi longe adverſario ſuo ſuperiorem ſe prodit perdoctus *Mantegazzi*. Diatribæ ſophiſmata omnino labefactat; eiuſdem nugas, & longius quæſitas ratiunculas gravi, & eleganti oratione repellit, & in nihilum redigit. Tertium inſuper opus in ſanæ do-

ctrinæ defenſionem publici iuris fecit, quod hanc præfert epigraphen. *Il Diſinganno dell' Apoſtolo Auguſti intorno alla ſua lettera al P. Benedetto Maria Brignole della Congregazione della Madre di Dio contro dell' Abbate Antonio Teodoro Carbonara ſopra la queſtione : ſe chi per giuſta cagione è diſpenſato dall' aſtinenza delle carni s' intenda diſpenſato dal digiuno*. In hoc quoque opere erudite iuxta ac docte dedocet alium adverſarium, & afflictam cauſſam ſtilo nitido ac robuſto exagitat. Hæc enarrare operæ pretium exiſtimavi, ne præclariſſimum MANTEGAZZI, qui primus calamum ſtrinxit, & præliari bellum Domini cœpit, debita laude defraudarem.

Occaſione data, pauca alia, tametſi levioris momenti, quæ hocce in Tomo ſcripſi, declaro. *Pag*. 41. docui peccata mortalia diebus feſtis exterius perpetrata, ut ebrietates, adulteria, & id genus cetera, talium dierum ſanctitatem profanare. Si quis heinc conſequi iudicaverit alia quoque peccata gravia tum interna, tum externa ſacro præcepto adverſari, ſuo in ſenſu abundet.

Pag. 73. ſcripſi. Qui ſimul cæcus, ſurdus, & mutus eſſet a nativitate, abſolute loquendo, teneretur audire Miſſam. Quia cum præditus ratione ſupponitur, lumen Deus illi infundere poteſt, quo Sacrificio mente devota aſſiſtat. Ceterum, cum caſus iſte vix occurrat, ſi qui ſecus ſentire velint, nullam illis intentabo litem.

Pag. 84. & *ſeq*. dixi, mihi minime arridere ſententiam illorum qui defendunt ſatisfacere præcepto diei feſti fideles qui ob finem pravum aſpectandi impudice mulierem pergunt ad Miſſam audiendam. Quoniam, ſicuti ibidem declaravi, defigere impudicos oculos in mulierem tempore Miſſæ, & ſimul Miſſam devote, & attente audire, duo mihi videntur extrema adeo oppoſita, ut ſimul coniungi nequeant.

Illud tandem lectores cordatos, & præiudiciorum vacuos rogo, obteſtorque, ut ſi opiniones aliquas æquo aut laxiores, aut rigidiores, ſive in hoc, ſive in aliis Tomis editis, & edendis deprehenderint, ſtatim me admonere ne dedignentur. Promptam enim, & ſinceram ſpondeo palinodiam.

I N-

INDEX

Librorum, diſſertationum, capitum, paragraphorum, & quæſtionum quæ in hoc Tomo continentur.

LIBER PRIMUS

DE QUINQUE ECCLESIAE PRAECEPTIS.

De primo præcepto

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

Gentes omnes quæ Deum colunt, dies feſtos celebrant. Varii hæreticorum errores recenſentur, & refelluntur. Pag. 1.

CAPUT II.

Recenſentur propoſitiones hoc de argumento a ſummis Pontificibus damnatæ. Item aliæ quæ nimis laxæ; & aliæ quæ nimis ſeveræ quibuſdam videntur. 5.

§. I.

Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. an. 1679. quæ primum Eccleſiæ præceptum ſpectant. ibid.

§. II.

Propoſitiones ex pluribus Caſuiſtis decerptæ, quæ nimis laxæ videntur. ibid.

§. III.

Recenſentur propoſitiones quæ aliquibus videntur nimium ſeveræ. 9.

CAPUT III.

Quomodo præceptum ſanctificandi ſabbatum ad Decalogum pertineat: quem Dei cultum præcipiat: de illius translatione in diem dominicum: & an ſimul aliquando cum feſto dominico obſervatum fuerit. 10.

Quæſt. I. *Quem cultum in præcepto ſanctificationis ſabbati Deus præſcripſerit Iudæis?* 12.

Quæſt. II. *An hoc præceptum affirmativum ſit, vel negativum?* ibid.

Quæſt. III. *Cur ſabbati ſolemnitas in diem dominicum translata ſit?* ibid.

Quæſt. IV. *An feſtum diei dominicæ iuris divini ſit, vel eccleſiaſtici?* 13.

Quæſt. V. *An, facta laudata translatione ſabbati in dominicum diem, ſtatim ubique ceſſaverit ſabbati obſervatio?* 14.

CAPUT IV.

De aliis feſtis præter diem dominicum ex præcepto Eccleſiæ celebrandis. 15.

CA-

CAPUT V.

De feſtis quæ Chriſti Domini myſteria ſpectant, quæve ex præcepto celebrantur. 17.

CAPUT VI.

De feſtis quæ ad B. Virginem, ceteroſque Sanctos pertinent. 20.

CAPUT VII.

De iis qui poteſtatem habent dies feſtos inſtituendi. 22.
Quæſt. I. *An Epiſcopi facultate polleant inſtituendi feſta in ſua diœceſi abſque Cleri, & populi conſenſu?* ibid.
Quæſt. II. *An Principes ſæculares valeant ſine auctoritate Epiſcopi dies feſtos inſtituere, ad quorum obſervationem populus ſub gravi culpa teneatur?* 23.

CAPUT VIII.

Quam obligationem præceptum obſervandi dies feſtos imponat; & quando eiuſmodi obligatio incipiat. 24.
Quæſt. unic. *Quo tempore incipiat diei feſti obligatio?* ibid.

CAPUT IX.

De iis qui ad obſervandos dies feſtos tenentur: & potiſſimum de advenis, viatoribus, peregrinis, & vagis variæ quæſtiunculæ reſolvuntur. 25.
Quæſt. I. *An peregrini teneantur celebrare feſta ſuæ patriæ, ſeu territorii, & diœceſis?* ibid.
Quæſt. II. *An peregrini teneantur obſervare feſta, & ieiunia illius loci ubi ſunt in tranſitu?* 26.
Quæſt. III. *An ſcholares, milites, mercatores, mercenarii, ſimileſque teneantur ſervare feſta, & ieiunia illius civitatis in qua maiore anni parte verſantur?* 27.
Quæſt. IV. *An peregrini qui unum, duos, aut tres tantum dies commorantur in aliqua civitate, teneantur ſervare ieiunia, & feſta eiuſdem?* ibid.
Quæſt. V. *An peregrini teneantur obſervare feſta, & ieiunia locorum ubi commorantur dumtaxat vel tempore prandii, vel cœnæ, ſimulque pernoctantes in craſtinum diſceſſuri?* 28.
Quæſt. VI. *An incolæ, egredientes ſummo mane de proprio loco, ubi eſt dies feſtus, iter acturi ad loca in quibus feſtum non eſt, teneantur ante diſceſſum Miſſam audire?* 29.
Quæſt. VII. *An licitum alicui ſit diſcedere e propria civitate, ſeu territorio, in quo eſt præceptum diei feſti, vel ieiunii, hac expreſſa intentione non ſervandi præceptum eiuſmodi, cum ad locum pervenerit in quo non urget?* 29.
Quæſt. VIII. *An Regulares exempti ſubiecti ſint obſervationi feſtorum quæ ab Epiſcopo, vel diœceſana Synodo indicuntur?* 30.
Quæſt. IX. *An Epiſcopus teneatur ſervare feſta, & ieiunia quæ populo ſuo ipſe imponit?* 31.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De operibus a quibus abſtinere debent fideles feſtis diebus.

CAPUT I.

Quæ ſint opera ſervilia in diebus feſtis prohibita, declaratur. 32

CAPUT II.

An per peccata mortalia diebus feſtis perpetrata, eorumdem feſtorum præceptum graviter violetur; ac teneatur Chriſtianus in confeſſione ſacramentali exprimere, ſe in die feſto peccaſſe? 34

CAPUT III.

De opere ſervili mechanico. Quot ſint artes mechanicæ, quæve die feſto prohibitæ? 42.

Quæſt. I. *An pingere ſit opus ſervile die feſto prohibitum, ſive lucri, ſive recreationis, ſive addiſcendi gratia fiat?* ibid.

Quæſt. II. *An venatio, aucupium, & piſcatio opera ſint ſervilia in feſtis prohibita?* 43.

Quæſt. III. *Licitum ne eſt feſtis diebus iter arripere?* ibid.

Quæſt. IV. *Licitum ne eſt agaſonibus, & mulionibus beſtias onuſtas diebus feſtis conducere?* 44

Quæſt. V. *An licitum ſit agaſonibus omittere Miſſam, ut beſtiæ ſuas in pratis paſcant, & ut ſumptus faciendos in diverſorio evitent?* ibid

Quæſt. VI. *An licitum ſit typographis ordinare charaƈteres diebus feſtis?* ibid.

CAPUT IV.

Choreæ, comeſſationes, ludi ſcenici, idque genus ſimilia diebus feſtis peragi minime debent. 45.

CAPUT V.

An docere, ſcribere, tranſcribere, & ſimilia diebus feſtis vetita ſint? 49

Quæſt. I. *Num tranſcribere licitum ſit diebus feſtis?* ibid.

Quæſt. II. *An licitum ſit tranſcribere ex inſtituto, & pro mercede libros cum notis pro cantu muſico?* 52.

CAPUT VI.

De operibus naturalibus, & religionis, ac pietatis diebus feſtis prohibitis. ibid.

CAPUT VII.

De operibus quæ, licet ſervilia non ſint, lege tamen diebus feſtis fieri prohibentur; cuiuſmodi ſunt mercatus, & iudicia forenſia. 55.

CAPUT VIII.

De cauſſis excuſantibus ab obſervatione præcepti prohibentis feſtis diebus opera ſervilia. 60.

Quæſt. I. *Quæ temporis parvitas in ſervili labore excuſet a gravi tranſgreſſione præcepti vetantis opera ſervilia die feſto?* ibid.

Quæſt. II. *An dominus qui præcipit ut plures ſui famuli per integrum diem ſerviliter laborent ob lucrum percipiendum, ſed ſinguli ſolum modico tempore, peccet mortaliter?* 62.

Quæſt.

Quæſt. III. *Quæ neceſſitas excuſat laborantes die feſto a tranſgreſſione præcepti?* 65.
Quæſt. IV. *An tonſio barbæ licita ſit feſtis diebus?* 66.
Quæſt. V. *An famuli qui coguntur a dominis ſuis die feſto laborare, a culpa excuſentur, ſi obediunt, ne grave damnum incurrant?* 67.
Quæſt. VI. *An occaſio comparandi magnum lucrum excuſet ab obſervatione diei feſti?* 68.
Quæſt. VII. *An agitare liceat feriatis diebus tauros moloſſorum morſibus expoſitos, ut invicem cornibus, & dentibus bellum peragant?* 69.
Quæſt. VIII. *Quòmodo pietas, religio, & diſpenſatio ſint iuſtæ cauſſæ quæ laborem ſervilem feriatis diebus licitum conſtituant?* 70.

DISSERTATIO III.

De præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis.

CAPUT I.

Natura; & obligatio iſtius præcepti explicatur; & quas perſonas comprehendat. 72

CAPUT II.

De Miſſa quæ diebus feſtis audiri debet. Miſſa audienda, integra eſſe debet. Qui plures partes ſimul audit, vel duas ſucceſſive, non ſatisfacit præcepto. 73.
Quæſt. I. *An qui notabilem Miſſæ partem audire negligeret, letaliter peccaret?* 74.
Quæſt. II. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam qui duas medietates Miſſæ ſimul eodem tempore audiat, puta medietatem unius Sacerdotis uſque ad conſecrationem, & alteram medietatem alterius Sacerdotis celebrantis a conſecratione uſque ad finem?* 77.
Quæſt. III. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam integram qui dimidiam partem ab uno Sacerdote, & poſtmodum dimidiam partem ab altero audit ſucceſſive?* 78.

CAPUT III.

De præſentia, loco, & tempore audiendi Miſſam. 81.

CAPUT IV.

De intentione, & attentione audiendi Miſſam diebus feſtis. 84.
Quæſt. I. *An ſatisfaciat præcepto, qui ob finem pravum aſpectandi impudice feminam pergit ad audiendam Miſſam?* ibid.
Quæſt. II. *Quid dicendum de eo qui templum ingreditur ad audiendam Miſſam, quam poſt quadrantem inchoandam putat: interim, eo non advertente, Miſſa in aliquo altari legitur uſque ad* Sanctus; *& tum ex campanulæ ſonitu Miſſam recitari cognoſcit?* 86.
Quæſt. III. *Qualis attentio requiratur, ut ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam?* 87.

CAPUT V.

Quæ animi puritas requiratur ad audiendam Miſſam; & an peccet qui cum affectu peccati mortalis Miſſam audit? 89.

CAPUT VI.

An Chriſtiani diebus dominicis, præter Miſſæ auditionem, teneantur Veſperis intereſſe, conciones audire, aliaque pia opera exercere? 94.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Feſtorum ſanctificatio poſtulat ut fideles in propriæ conſcientiæ examine, librorum piorum lectione, ægrotorum viſitatione, atque eleemoſynarum diſtributione illos dies tranſigant: & quid de re uxoria ſenſerint Patres, declaratur. 101.

CAPUT VIII.

De cauſſis quæ quandoque Chriſtianos aliquos ab auditione Miſſæ feſtis diebus excuſare valent. 107.

Quæſt. I. *An Chriſtiani teneantur non ponere impedimentum audiendi ſacrum?* 111.

Quæſt. II. *An ſpes acquirendi lucrum temporale ſufficiens cauſſa ſit negligendi auditionem Miſſæ die dominico?* 112.

Quæſt. III. *An qui legitima cauſſa impeditus Miſſam omittit, teneatur, ſi poſſit, alias preces offerre Deo?* 113.

LIBER SECUNDUS

De ſecundo Eccleſiæ præcepto, quo certis diebus ieiunia præſcribuntur.

DISSERTATIO I.

PRAELOQUIUM. 116.

CAPUT I.

Communis ieiunii notio, & variæ ſpecies. Divina lege in Scriptura ſacra præceptum eſt. Quid de eo ſenſerint hæretici tum antiqui, tum recentes. 117.

CAPUT II.

De ciborum delectu. Ieiunium Eccleſiæ catholicæ carnium eſum numquam admiſit. Hæreticorum errores, Launoii aberrationes refelluntur. 120.

CAPUT III.

Lege naturali, & divina ieiunium abſolute acceptum præſcribitur. Eccleſia & tempora, quibus ieiunandum ſit, deſignat, & ieiunia peculiaria præcipit. 126.

CAPUT IV.

Ieiunium eccleſiaſticum eſt actus virtutis. Inſuper opus ſatisfactorium eſt, & meritorium, ſi neceſſariis conditionibus præditum ſit. 128.

CAPUT V.

De ieiunio Quadrageſimæ: de illius varietate, & de cauſſis inſtitutionis eiuſdem. 133.

CAPUT VI.

De ieiuniis quatuor temporum, feriarum quartæ, ſextæ, & ſabbati, Adventus, ſtationum, vigiliarum, Rogationum, & de ieiuniis infra annum, ac de diebus quibus ieiunare non licet. 139.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

De ieiunio.

CAPUT I.

Cenſus propoſitionum quæ in ieiunii materia ab Eccleſia proſcriptæ ſunt; quæque, licet non proſcriptæ, nimiam produnt laxitatem. 148.

§. I.

Propoſitiones de ieiunio ab Alexandro VII. ſummo Pontifice anno 1666. *damnatæ.* ibid.

§. II.

Cenſus propoſitionum quæ ab aliquibus Auctoribus catholicis defenduntur, quæque nimis laxæ videntur. 149.

CAPUT II.

Præceptum ieiunii eccleſiaſtici explicatur. Tria includit, nimirum unicam refectionem, quæ pars principalis eſt, abſtinentiam a carnibus, & tempus pro unica refectione præſcriptum. 156.

Quæſt. unic. *An unica comeſtio, & abſtinentia a carnibus eſſentiam ieiunii conſtituant; & quænam ex his duabus partibus ſit potior?* 158.

CAPUT III.

Quos cibos ſub carnium nomine Eccleſia prohibeat; & quodnam peccatum, quandove illud perpetrent ii qui carnes comedunt? 159.

Quæſt. I. *An in aliquo eventu licitum ſit carnes comedere ieiunii tempore?* 161.

Quæſt. II. *An diſpenſatus in die ieiunii a carnibus, poſſit quaſcumque carnes, etiam ſuillas comedere?* 162.

Quæſt. III. *An diſpenſatus in quadrageſima ad eſum carnium poſſit eaſdem comedere feria* IV. & VI. *ac ſabbato quatuor temporum eiuſdem Quadrageſimæ?* 163.

CAPUT IV.

Diſpenſatio abſtinentiæ a carnibus non infert diſpenſationem a ieiunio; ſed diſpenſati a carnibus, lege ieiunii tenentur, niſi infirmitas, aut virium debilitas obſtent. Quædam quæſita reſolvuntur. ibid.

Quæſt. I. *Quot peccata committat qui pluries die ieiunii carnes comedit?* 184.

Quæſt. II. *An qui votum emiſit non comedendi tali die carnes, aut ova, toties peccet, quoties carnes comedit, vel ova?* ibid.

Quæſt. III. *An in iis regionibus in quibus eſt penuria olei, licitum ſit uti ſagmine illis diebus quibus eſus carnium vetitus eſt?* 185.

CAPUT V.

De abſtinentia a lacticiniis. Licita ne ſunt in ieiunio quadrageſimali, aut extraquadrageſimali? ibid.

Quæſt. I. *An iure communi, & ſub gravi culpa lacticinia prohibita ſint in ieiunio eccleſiaſtico?* 187.

Quæſt. II. *An diebus dominicis Quadrageſimæ eiuſmodi lacticinia ſub eadem gravi culpa vetita ſint?* ibid.

Quæſt. III. *An in ieiuniis extra Quadrageſimam lacticinia, & ova vetita ſint?* 188.

Quæſt.

Quæſt. IV. *An Regulares ſubiecti ſint conſuetudinibus quæ in pluribus regionibus obligant ſæculares ad abſtinendum a lacticiniis in ieiuniis extra Quadrageſimam?* ibid.

Quæſt. V. *An pauperes, agricolæ, & iter agentes poſſint diebus Quadrageſimæ veſci lacticiniis, & ovis iis in locis in quibus piſces, ac oleum deficiunt?* 189.

Quæſt. VI. *An in ieiunio quadrageſimali licitum ſit edere farinam ſubactam, oviſque compactam, vulgo* Ciambella*?* 190.

CAPUT VI.

De unica comeſtione, ad ieiunium eccleſiaſticum neceſſaria; & de eiuſdem comeſtionis hora, quæ fuit veſpertina uſque ad ſæculum XII. ibid.

CAPUT VII.

De collatione, ſeu refectiuncula ſerotina: & an integritati ieiunii eccleſiaſtici repugnet? 195.

CAPUT VIII.

De ieiunii eccleſiaſtici tranſgreſſione ob violatam unius comeſtionis legem in ſumptione liquidorum? 199.

Quæſt. I. *An qui pluries die ieiunii extra comeſtionem vinum bibit, frangat ieiunium?* ibid.

Quæſt. II. *An potus vini, ſi ſumatur extra refectionem ad ſedandam famem, ieiunii præceptum frangat?* 200.

Quæſt. III. *An electuaria, extra refectionem ſumpta, frangant ieiunium?* 203.

CAPUT IX.

Origo potus chocolatis. An ieiunium frangat? Quænam opinio improbabilis, quæve probabilis, vera, & tuta dicenda ſit? 205.

CAPUT X.

Contrariæ ſententiæ momenta omnia in examen adducuntur, & penitus confutantur: ac vera ſententia evidentior conſtituitur. 214.

CAPUT XI.

An ratione parvitatis materiæ licitus ſit potus chocolatis? Quæve quantitas chocolatis loco parvitatis materiæ habenda ſit? 239.

§. UNICUS.

Diluitur obiectiuncula ab auctoritate Ludovici della Fabra *Phyſico-Medici repetita.* 243.

CAPUT XII.

De qualitate unicæ comeſtionis, neceſſariæ ad ieiunium: & quomodo plures comeſtiones ieiunii integritati adverſentur. 248.

Quæſt. I. *An illi qui die ieiunii ſemel comedentes, ita ventrem implent, & exquiſitis condimentis palatum vellicant, totque ſelectis epulis gulam demulcent, ut nullam ieiunii afflictionem ſentiant, ſed concupiſcentiam potius irritent, ſatisfaciant ieiunii præcepto?* ibid.

Quæſt. II. *An qui pluries in die ieiunii comedit, ſervato ciborum delectu, pluries etiam peccet?* 250.

Quæſt. III. *An qui inadvertenter ieiunium frangit, teneatur illa die, cum advertit, ieiunium ſervare?* 253.

Quæſt. IV. *An interruptio unicæ comeſtionis ieiunium frangat? Quidve dicendum de famulis menſæ inſervientibus, lectoribus, & iis qui pyra, poma, & uvas comedunt ad ſedandam ſitim?* 254.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Reſolvuntur tres aliæ quæſtiunculæ ſuper iis quæ unicæ comeſtioni adverſantur. 255.
Quæſt. I. *An qui in die ieiunii quidquam modicum cibi ſæpius comedit, ſi notabilem quantitatem tandem comederit, ieiunium frangat?* ibid.
Quæſt. II. *An invitatus ab amico in die ieiunii, ut potum, aut aliquid cibi capiat, poſſit, ne inurbanus videatur, illud ſumere?* ibid.
Quæſt. III. *An ſine fractione ieiunii aliquid cibi ſumere liceat toties quoties libuerit, ne potus noceat?* ibid.

CAPUT XIV.

De collatione ſerotina: de illius quantitate, & qualitate: nonnullæ aliæ quæſtiunculæ ſuper hac materia reſolvuntur. 257.
Quæſt. I. *Quantum cibi ſumi poſſit in collatione ſerotina?* ibid.
Quæſt. II. *An præfata cibi quantitas collationis ſerotinæ augeri licite poſſit in pervigiliis Nativitatis, & Reſurrectionis dominicæ?* 261.
Quæſt. III. *An, ſi quis excederet in quantitate præfinita pro collatione ſerotina, frangeret ieiunium?* 262.
Quæſt. IV. *An in collatione ſerotina non ſolum cibi quantitas, ſed etiam qualitas attendenda ſit?* 263.
Quæſt. V. *Quinam cibi ſunt in collatione ſerotina permiſſi?* 264.
Quæſt. VI. *An licitum ſit in collatione ſerotina ſumere cibum compoſitum ex aſſignatis, nempe pane, herbis, ſale, & oleo conditum?* ibid.
Quæſt. VII. *An in collatione ſerotina licitum ſit ſumere piſciculos recentes parvos, aliquid butyri, caſei, & ovorum?* 265.
Quæſt. VIII. *An ſaltem piſciculi parvi, fumo exſiccati, vel ſale conditi, ut oſtreæ, camarones, ſardinæ ſeu acediæ, ſimileſque, poſſint eſſe materia collationis ſerotinæ?* 268.
Quæſt. IX. *An quando in die ieiunii licitum eſt in prandio edere lacticinia, licitum quoque ſit aliquid eorum capere in collatione ſerotina?* 270.
Quæſt. X. *An viri nobiles, delicati, Advocati, Procuratores, Lectores, omneſque ſtudiis vacantes ſumere poſſint collationem maioris quantitatis quam ceteri? quidve dicendum de Curia Romana?* 271.
Quæſt. XI. *An licitum ſit ſummo mane, vel meridie ſumere collationem, prandio delato in veſperum?* 272.

CAPUT XV.

Corollarium, in quo ex doctrina plurium Caſuiſtarum vera ieiunii quod ipſi admittunt, imago vivis coloribus depicta exhibetur. 273.

CAPUT XVI.

De hora quæ pro refectione in die ieiunii capienda præfinita eſt. Quodnam peccatum committant qui notabiliter eam anticipant. 275.
Quæſt. I. *An qui notabiliter, nempe per unam, aut duas horas, abſque iuſta cauſſa ieiunium ſolveret ante meridiem, graviter peccaret?* ibid.
Quæſt. II. *An Religioſi, qui habent privilegium anticipandi per horam refectionem in die ieiunii, poſſint etiam per aliud breve tempus eiuſmodi horam conſuetam anticipare?* 279.

CAPUT XVII.

Recenſentur dies quibus ieiunandum eſt, & abſtinendum a carnibus. ibid.
Quæſt. I. *An Regulares qui regulari obſervantia adſtricti ſunt abſtinere a carnibus, poſſint die veneris, in quo celebratur feſtum Nativitatis Domini, carnes comedere?* 281.

Quæſt.

Digitized by Google

Quæſt. II. *An qui vi voti tenetur ieiunare qualibet feria ſexta, teneatur ieiunium obſervare, etiamſi in eam incidat feſtum Nativitatis Domini?* 283.

CAPUT XVIII.

De hora qua ieiunii, & abſtinentiæ obligatio incipit, & deſinit. Variæ hac de re quæſtiunculæ reſolvuntur. 284.
Quæſt. I. *An in ultima nocte bacchanalium cœnam differre poſt mediam noctem licitum ſit illis qui uſque ad mediam noctem ludis, & ſaltationibus vacant?* ibid.
Quæſt. II. *An qui dubitat, num ſit nec ne media nox, comedere poſſit, quando die ſequenti ieiunare debeat?* 285.
Quæſt. III. *An liceat ſequi unum horologium pro ieiunio eccleſiaſtico, & aliud pro ieiunio naturali?* ibid.
Quæſt. IV. *An, ſi quis, dum cœnat, audiat pulſus deſignantes mediam noctem, teneatur deſiſtere a cœna, ſi die ſequenti ſit ieiunandum?* 286.

CAPUT XIX.

De perſonis quæ ad ieiunium obligantur. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur. 287.
Quæſt. I. *An iuvenes qui expleat annum vigeſimum primum vel poſt inceptam Quadrageſimam, vel poſt horam tertiam diei ieiunii, ad ieiunium teneantur?* 289.
Quæſt. II. *An Regulares profeſſi teneantur ad ieiunia Eccleſiæ ante expletum annum vigeſimum primum?* 290.
Quæſt. III. *An Regulares iuvenes, nondum expleto tertio ſeptennio, teneantur ad ieiunia regulæ quam profeſſi ſunt?* ibid.
Quæſt. IV. *An dubitans, num annum vigeſimum primum expleverit, teneatur ieiunare?* ibid.
Quæſt. V. *Num ſenes qui annos ſexaginta compleverint, ſoluti ſint a lege ieiunii?* ibid.
Quæſt. VI. *Num ſenes regulares, expleta ſexagenaria, & mulieres moniales expleta quinquagenaria ætate, eximantur a ieiuniis propriæ regulæ?* 295.

CAPUT XX.

De advenis, peregrinis, & viatoribus. 297.
Quæſt. unic. *An viatores, peregrini, & vagi teneantur obſervare ieiunia locorum in quibus verſantur?* ibid.

CAPUT XXI.

De iis qui cooperantur ieiunii violationi, materiamque præbent illud violandi. 298.
Quæſt. I. *An, urgente ieiunii præcepto, invitans alium paratum frangere ieiunium ad cœnandum, graviter peccet?* ibid.
Quæſt. II. *An liceat tabernariis, & cauponibus in diebus ieiunii ſponte cœnam miniſtrare hoſpitibus?* 299.
Quæſt. III. *An caupones requiſiti poſſint peregrinis, & viatoribus cœnam præbere?* 300.
Quæſt. IV. *An caupones cœnam præbere hoſpitibus poſſint, quos certe ſciunt ad ieiunium teneri, quoſque prævident alio ituros ad cœnandum, ſi cœnam dare ipſi renuant?* 301.
Quæſt. V. *An caupones, cum dubitant, utrum hoſpites teneantur ieiunare, debeant eos interrogare?* ibid.
Quæſt. VI. *An caupones qui nolunt recipere hoſpites, niſi cœnent, peccatum grave perpetrent?* ibid.

Quæſt. VII. *An caupones, qui carnes miniſtrant in diebus quibus earum eſus prohibitus eſt, graviter peccent?* 302.
Quæſt. VIII. *An qui in ieiunio quadrageſimali cibos vetitos venales exponunt, graviter peccent?* ibid.
Quæſt. IX. *An famuli, & ancillæ, parantes menſam, & cibos vetitos dominis ſuis ieiunii tempore, graviter peccent?* 303.
Quæſt. X. *An poſſit quis in die ieiunii invitare amicum ad cœnandum ſecum, cum certo ſciat eum alibi cœnaturum?* 306.
Quæſt. XI. *An patresfamilias teneantur compellere filios, ſervos, & domeſticos ſuos ad ieiunandum?* ibid.
Quæſt. XII. *An domini, compellentes ſervos ad laborem impedientem ieiunium, vel nolentes eos conducere, niſi cum pacto ut non ieiunent, peccent mortaliter?* 308.

CAPUT XXII.

Cauſſæ a ieiunio excuſantes ſunt quatuor: impotentia, labor, pietas, & diſpenſatio. ibid.
Quæſt. I. *An qui data opera impotentem ſe conſtituit ad ieiunandum, teneatur ieiunare: & an iſte talis, qui ea intentione expreſſa vacat ludo, venationi, vel rebus venereis, ideſt nimio coitui, ut impotens efficiatur ad ieiunandum, peccet contra præceptum ieiunii?* ibid.
Quæſt. II. *An excuſentur a ieiunio qui calefieri, & dormire ſine cœna nequeunt, qui habent duo cauteria, quive vertiginem capitis, vel ſtomachi debilitatem patiuntur?* 309.

CAPUT XXIII.

An Chriſtiani tempore ieiuniorum a re uxoria ſe abſtinere debeant, potiſſimum ſi debitum coniugale ſine tranſgreſſione ieiunii perſolvere nequeant. Variæ quæſtiunculæ de mulieribus prægnantibus, lactantibus, & virginibus, timentibus venuſtatis formam amittere propter ieiunium, reſolvuntur. 311.
Quæſt. I. *An coniux reddere debitum teneatur, dum eſt periculum incontinentiæ in petente, etiamſi reddens impotens evaderet ad ieiunii obſervantiam?* 316.
Quæſt. II. *An quando coniux reddere nequit debitum, niſi ieiunium frangat, teneatur precibus, adhortationibus, aliiſque modis abducere alterum coniugem a debiti petitione?* ibid.
Quæſt. III. *An frequens ſit caſus in quo coniugati ob debiti redditionem liberentur a lege ieiunii?* 317.
Quæſt. IV. *An uxor quæ ieiunii cauſſa macilenta, & conſequenter minus grata marito redditur, & puella quæ volens nubere, ieiunans formam perdit venuſtatis, a ieiunio excuſentur?* 318.
Quæſt. V. *An uxores prægnantes, & lactantes excuſentur a ieiunio?* ibid.
Quæſt. VI. *Quid de femina viro hæretico nupta?* 319.

CAPUT XXIV.

De labore a ieiunio excuſante. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur. ibid.
Quæſt. I. *Quinam laborantes, ſeu artifices excuſentur a ieiunio?* 320.
Quæſt. II. *An præfati artifices, qui ita robuſti ſunt, ut abſque gravi incommodo ieiunare valeant, habeantque cibum ad ieiunium opportunum, teneantur ieiunare?* ibid.
Quæſt. III. *An divites qui exercent artes laborioſas, non ex indigentia, ſed ſolum maioris lucri acquirendi gratia, a ieiunio excuſentur?* ibid.
Quæſt. IV. *An ſutores, ſartores, pictores, barbitonſores, ſculptores, argentarii, pictores, molitores, furnarii, coqui, ſimileſque ad ieiunium teneantur?* 321.

Quæſt.

Quæſt. V. *An iter pedeſtre agentes excuſentur a ieiunio?* 323.
Quæſt. VI. *An equitantes a ieiunio liberentur?* ibid.

CAPUT XXV.

De iis qui ratione pietatis a ieiunio excuſantur. Aliquæ difficultates explicantur. 324.
Quæſt. I. *An peregrinatio voluntaria excuſet a ieiunio, quod cum eadem ſimul coniungi nequit?* ibid.
Quæſt. II. *An qui feria quinta hebdomadæ ſanctæ, vel feria ſexta diſciplina ſe ſe publice flagellant, excuſentur a ieiunio, quod cum eadem diſciplina componi nequit?* 325.
Quæſt. III. *An licitum ſit ieiunium obligans ſub mortali ſolvere ob hoſpitem ſuſcipiendum?* 326.
Quæſt. IV. *An Concionatores, Confeſſarii, aliique, qui doctorum vel magiſtrorum officium exercent, ſint a ieiunio excuſati?* ibid.

CAPUT XXVI.

De diſpenſatione, quæ ab ieiunii obſervantia liberat. Quinam poſſint hanc diſpenſationem concedere. 330.

CAPUT XXVII.

Chriſtianorum ieiunium comitari debent abſtinentia a peccatis, oratio, eleemoſynæ, aliarumque virtutum exercitia. 334.

CAPUT XXVIII.

Conſectarium, in quo declaratur, quemadmodum lex eccleſiaſtica de ieiunio iam obſolevisſet, ſi veræ forent recentiorum opiniones, & licitæ conſuetudines, quibus hodiedum Chriſtiani a ieiunio eximuntur. 337.

LIBER TERTIUS

De tertio Eccleſiæ præcepto, quod eſt de decimis ſolvendis.

DISSERTATIO I.

CAPUT I.

Quid ſint decimæ, & quænam earum origo. Quo iure tum in veteri, tum in novo fœdere præſcriptæ ſint. Hæreticorum errores recenſentur, & refelluntur. 342.

CAPUT II.

Varia decimarum genera. Quo tempore conſuetudo ſolvendi decimas in Eccleſia catholica obtinuit. 346.

CAPUT III.

Iure tantum eccleſiaſtico in lege gratiæ decimæ, ſpectata earum quantitate, ſolvuntur. Refellitur opinio Canoniſtarum antiquorum, aſſerentium vi iuris divini nunc decimas pendendas eſſe. Nonnullæ hac de re quæſtiunculæ reſolvuntur. 351.
Quæſt. I. *An conſuetudo valeat abrogare obligationem ſolvendi decimas?* 353.
Quæſt. II. *An Eccleſia valeat auferre conſuetudinem invectam non ſolvendi decimas?* 354.

Quæſt.

Quæſt. III. *An ſummus Pontifex valeat omnino tollere decimarum ſolutionem?* ibid.

Quæſt. IV. *An ſummus Pontifex poſſit aliquos privatos diſpenſare a decimarum ſolutione?* 355.

C A P U T IV.

Summi Pontifices, & Epiſcopi variis iuſtiſque de cauſſis Monachis, & Regularibus decimas conceſſere. Donatio decimarum laicis a ſummo Pontifice facta ſine iuſta cauſſa, illicita, & nulla eſt. ibid.

Quæſt. unic. *An privilegium ſine ulla cauſſa iuſta laico conceſſum non ſolvendi, vel recipiendi decimas, validum ſit?* 360.

C A P U T V.

De perſonis quæ decimas ſolvere tenentur. Plures quæſtiunculæ hac de re explicantur. 361.

Quæſt. I. *An Iudæi, Turcæ, ceterique infideles, qui numquam baptiſma ſuſceperunt, teneantur ſolvere decimas prædiales de fundis quos poſſident in locis Chriſtianorum?* 362.

Quæſt. II. *An Eccleſia iure exigere poſſit ab infidelibus tributum congruum ad ſuſtentandum Prædicatores, & Miſſionarios, quos ad eorum converſionem mittit?* 363.

Quæſt. III. *An ſummi Pontifices, & Epiſcopi teneantur decimas ſolvere?* ibid.

Quæſt. IV. *An Clerici curati, ſeu Parochi teneantur decimas ſolvere perſonales, & reales?* 364.

Quæſt. V. *An Clerici ſimplices teneantur ad decimas tum perſonales, tum reales?* ibid.

Quæſt. VI. *An Principes, & Reges ad decimas pendendas teneantur?* 365.

Quæſt. VII. *An pauperes ſubiecti ſint decimarum ſolutioni?* ibid.

C A P U T VI.

Quomodo Religioſi, & Clerici in communi viventes vi iuris communis exempti ſint a decimis ſolvendis: quidve pro eadem exemptione iiſdem regularibus concedant privilegia quæ extra iuris corpus reperiuntur. 367.

Quæſt. I. *An præfata privilegia, corpori iuris communis inſerta, late, vel ſtricte interpretanda ſint?* 369.

Quæſt. II. *An nunc Regulares reipſa exempti ſint a decimis ſolvendis de propriis hortis, prædiiſque, quæ propriis ſumptibus colunt, virtute privilegiorum quæ extra iuris communis corpus reperiuntur illis conceſſa?* ibid.

Quæſt. III. *An Regulares vi ſuorum privilegiorum exempti ſint a ſolvendis decimis, non ſolum de novalibus, ſed etiam de aliis terris, ante, vel poſt Concilium Lateranenſe acquiſitis, propriiſque ſumptibus cultis?* 370.

Quæſt. IV. *An Regulares teneantur ſolvere decimas de terris, ſeu prædiis quæ colenda tradunt aliis, nempe colonis?* ibid.

Quæſt. V. *An eiuſmodi privilegia de exemptione decimarum extendantur etiam ad prædia conducta, vel in emphyteuſim accepta ab ipſis Religioſis, qui propriis manibus, aut ſumptibus eadem excolunt?* 372.

Quæſt. VI. *An privilegia Regularium de exemptione decimarum faveant etiam monialibus?* 373.

Quæſt. VII. *Quomodo citata privilegia exemptionis ab onere decimarum amittantur?* ibid

C A P U T VII.

De quibus rebus decimæ tum perſonales, tum prædiales, quove tempore, & loco ſolvi debeant? 374.

Quæſt.

Quæſt. I. *De quibus lucris ſolvendæ ſint decimæ perſonales?* ibid.
Quæſt. II. *An decimæ ſolvendæ ſint de rebus illicite acquiſitis?* 375.
Quæſt. III. *An recenſitæ decimæ perſonales, non ſolum vi iuris communis, ſed etiam ex uſu, & conſuetudine quæ nunc obtinet, ſolvendæ ſint?* ibid.
Quæſt. IV. *De quibus rebus decimæ prædiales, ſeu reales ſolvendæ ſint?* ibid.
Quæſt. V. *An decimæ ſolvendæ ſint de fructibus, antequam deducantur expenſæ factæ, vel tributa, & vectigalia, ac operariorum pretia?* ibid.
Quæſt. VI. *De quibus fructibus qui dicuntur mixti, ſolvendæ ſint decimæ quæ pariter mixtæ nuncupantur?* 376.
Quæſt. VII. *Quo tempore ſolvendæ ſunt decimæ prædiales?* ibid.
Quæſt. VIII. *An parochiani teneantur ſolvere decimas, antequam eas Parochus petat?* 377.
Quæſt. IX. *Quo in loco ſolvendæ ſint decimæ?* ibid.
Quæſt. X. *An decimæ prædiales, ſeu reales ſolvendæ ſint illi parochiæ in cuius territorio prædia reperiuntur?* 378.
Quæſt. XI. *An decimæ animalium ſolvendæ ſint parochiæ in cuius territorio paſcuntur, & fetus pariunt, licet domini habitent in alia parochia; vel, ſi hieme in una, æſtate in altera habitent, ſint inter utraſque parochias dividendæ?* ibid.

CAPUT VIII.

De culpa, & pœnis non ſolventium decimas. De variis modis quibus decimæ defraudari poſſunt; & de titulis quibus obligatio decimarum auferri valeat. 379.
Quæſt. I. *An latæ ſint aliquæ pœnæ contra defraudatores decimarum?* ibid.
Quæſt. II. *An qui fructus non decimatos furatur, teneatur ad reſtituendas Eccleſiæ decimas eorumdem fructuum?* 380.
Quæſt. III. *An emptor qui fructus non decimatos emit, teneatur ſolvere decimam?* ibid.
Quæſt. IV. *An comburentes, vel deſtruentes ſegetes, & fructus arboreſque ſuccidentes, teneantur deſtructas decimas Eccleſiæ reſtituere?* 381.
Quæſt. V. *An parochianus qui proprias ſegetes, vineas, alioſque fructus ante collectionem comburit, vel fructus collectos ſua culpa perire ſinit, teneatur pro deſtructis decimis Eccleſiæ ſatisfacere?* ibid.
Quæſt. VI. *An dominus qui noluit colligere fructus iam maturos, qui ob illius negligentiam graviter culpabilem perierunt, teneatur ad reſtitutionem decimæ deperditæ?* 383.
Quæſt. VII. *An qui nolunt colere agros, vel qui agros, aut vineas in domos convertunt, teneantur ad compenſationem decimarum?* 384.
Quæſt. VIII. *An Parochi valeant propria auctoritate a ſuis parochianis decimas accipere, vel nolentibus ſolvere ſacramenta denegare?* ibid.
Quæſt. IX. *Quot modis ceſſat debitum ſolvendi decimas?* ibid.
Quæſt. X. *An compoſitio, & tranſactio ſuper decimis valida ſit?* 386.

CAPUT IX.

De Eccleſiis, & perſonis, quibus decimæ ſolvi debent. ibid.
Quæſt. I. *An quando Eccleſiæ parochiales incorporantur, ſeu appropriantur Monaſteriis, & Capitulis, cenſeantur incorporatæ pariter decimæ?* 387.
Quæſt. II. *An in aliquibus caſibus decimæ ſolvendæ ſint Epiſcopo?* ibid.
Quæſt. III. *An Parochis divitibus, vel pravis moribus infectis decimæ ſolvi debeant?* 388.
Quæſt. IV. *An Canonicis, Clericis beneficia habentibus, & Regularibus qui curam parochialem exercent, decimæ ſolvendæ ſint?* ibid.
Quæſt. V. *An laicis aliquibus decimæ ſolvi debeant?* ibid.

DISSERTATIO II.

De primitiis, & oblationibus.

CAPUT I.

Quid ſint primitiæ: quo iure debitæ olim in lege naturæ, & ſcripta fuerint; & quo iure in lege gratiæ debeantur: & an nunc ſint contraria conſuetudine abrogatæ. 391.

CAPUT II.

De oblationibus. Quid ſint oblationes: num iure ſint impoſitæ: a quibus ſolvendæ: & quibus debeantur. 394.

LIBER QUARTUS
DE QUARTO, ET QUINTO ECCLESIAE PRAECEPTO,

nimirum de ſacramentali peccatorum confeſſione, & communione quotannis facienda.

DISSERTATIO I.

De præcepto annuæ confeſſionis.

CAPUT I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ recenſentur. 402

CAPUT II.

Eccleſia præceptum edidit, quod per ſe obligat omnes fideles ad ſacram peccatorum confeſſionem ſingulis annis faciendam. Nonnullæ quæſtiunculæ hac de re enucleantur. 404.

Quæſt. I. *An hoc præceptum obliget non ſolum Catholicos, ſed etiam hæreticos?* 406.

Quæſt. II. *An peccata mortalia omnia tum interna, tum externa fideles manifeſtare vi iſtius præcepti Sacerdoti teneantur?* ibid.

Quæſt. III. *Utrum non tantum mortalia, ſed etiam venialia vi huius præcepti teneantur fideles confiteri?* 407.

Quæſt. IV. *An qui nullum perpetravit mortale peccatum, teneatur ſemel in anno confiteri venialia?* ibid.

C A.

CAPUT III.

Qua anni parte præceptum confeſſionis obliget : & quomodo computandus annus ſit. Variæ hac de re quæſtiunculæ diſcutiuntur. 408.

Quæſt. I. *Quomodo computandum ſit anni initium , & finis pro obſervantia iſtius præcepti?* 410.

Quæſt. II. *An qui per integrum annum confeſſus non fuit , teneatur , cum primum commode poſſit , confiteri?* ibid.

Quæſt. III. *An, ſi quis anno elapſo confeſſionem omiſerit, & confiteatur ſub iſtius anni initium, ſatisfaciat hac unica confeſſione utriuſque anni præcepto?* 411.

Quæſt. IV. *An qui ineunte anno prævidet ſe a confeſſione impediendum fore in toto ſequenti anni tempore vel ob penuriam Confeſſariorum , vel ob aliud obſtaculum, teneatur confeſſionem anticipare?* 413.

Quæſt. V. *An qui ſemel in anno confeſſus eſt peccata mortalia, ſi ante finem anni in novum peccatum mortale relapſus fuerit; vel qui venialia confeſſus ſæpius, & iterum, intra annum mortaliter peccet , teneatur illo anno iterum confiteri, ut præcepto ſatisfaciat?* ibid.

Quæſt. VI. *An qui , adbibita ſufficienti diligentia , confitetur omnia peccata quæ memoriæ occurrunt, ſi poſt confeſſionem alicuius peccati obliti recordetur , teneatur illud, antequam elabatur annus, confiteri?* 414.

Quæſt. VII. *An qui propter iuſtam cauſſam omittit ſcienter aliquod peccatum mortale , aliis manifeſtatis , teneatur illud confiteri intra annum , ſi commode poſſit?* ibid.

CAPUT IV.

Præceptum annuæ confeſſionis non impletur per confeſſionem invalidam. Aliæ nonnullæ difficultates explicantur. 415.

CAPUT V.

De iis qui huic præcepto ſubiecti ſunt : & de cauſſis quibus quandoque fideles aliqui ab obſervantia iſtius præcepti excuſari queunt. 418.

Quæſt. I. *An ſenes octogenarii annuæ confeſſionis præcepto ſubiecti ſint?* 419.

Quæſt. II. *An ſummi Pontifices huic annuæ confeſſionis præcepto obnoxii ſint?* 420.

Quæſt. III. *An præter præceptum contentum in cap.* Utriuſque ſexus *&c. detur alia lex quæ obliget ad ſecretam peccatorum confeſſionem?* 421.

Quæſt. IV. *An hæc lex Clementina obliget præfatos Monachos ad confeſſionem venialium ſub mortali?* ibid.

Quæſt. V. *An aliud ius reperiatur obligans Religioſos ad confeſſionis frequentiam?* 422.

Quæſt. VI. *Quænam ſint cauſſæ ab iſtius præcepti obſervantia excuſantes?* ibid.

Quæſt. VII. *An grave periculum famæ honoris, vel temporanei detrimenti excuſet ab iſtius præcepti obſervantia?* ibid.

Quæſt. VIII. *An fidelis qui idioma ignorat Sacerdotis Confeſſarii , teneatur per interpretem confiteri, ut impleat præceptum annuæ confeſſionis?* 423.

Quæſt. IX. *An qui non poteſt propria voce confiteri, quia mutus eſt, teneatur confiteri per nutus , vel ſcripturam?* 430.

CAPUT VI.

De pœnis impoſitis iis qui annuæ confeſſionis præceptum non implent. 431.

Quæſt. I. *An incurrant hanc pœnam excommunicationis qui utrumque confeſſionis, & communionis , vel qui alterutrum tantum præceptum violant?* ibid.

Quæſt. II. *An qui facit confeſſionem nullam, incurrat hanc excommunicationis pœnam?* ibid.

Quæſt. III. *An pueri impuberes, non implentes præceptum annuæ confeſſionis, incurrant præfatas pœnas?* 432.

Quæſt. IV. *An meretrices, non implentes præceptum annuæ confeſſionis, incurrant excommunicationem ſynodalem, ceteraſque communis iuris pœnas?* ibid.

DISSERTATIO II.

De quinto Eccleſiæ præcepto, nimirum de ſacra communione paſchali.

PRAELOQUIUM.

CAPUT I.

An detur præceptum eccleſiaſticum communicandi ſemel in anno; & quas perſonas obliget. 434.

CAPUT II.

De tempore quo hoc præceptum communionis implendum eſt. Quid ſit tempus paſchale. Quæſtiunculæ nonnullæ hac de re enucleantur. 440.

Quæſt. I. *An qui tempore paſchali non implevit communionis præceptum, teneatur illud implere, tranſacto Paſchate, cum primum commode potuerit?* 441.

Quæſt. II. *An qui prævidet ſe communionem percipere non poſſe infra quindecim dies Paſchatis, teneatur anticipare illam?* 444.

CAPUT III.

An indigne communicantes hoc præceptum impleant. Ubi implendum ſit. Quinam excuſentur ab eiuſdem executione: quæ tandem pœnæ tranſgreſſoribus impoſitæ ſint. 447.

Quæſt. unic. *An excommunicati, & interdicti excuſentur a ſumptione Eucharistiæ?* 448.

FINIS.

Errata			*corrige ſic.*
Pag. 35.	lin. 4.	*abbato*	*Sabbato.*
72.	17.	in Scripturis revelatum	in Scripturis, aut traditione revelatum.
73.	2.	hic ſolent	hic nonnulli ſolent.
75.	4.	uſque ad dictum *Pater noſter*	uſque ad *Pater noſter.*
208.	18.	patientiæ	pœnitentiæ.
376.	33.	ut Leander	ut ait Leander.
377.	27.	vino ſecundum ſubſtantiam	divino ſecundum ſubſtantiam.

LIBER PRIMUS

DE QUINQUE ECCLESIAE PRAECEPTIS.

DE PRIMO PRAECEPTO, QUOD FESTOS DIES COLERE PRAESCRIBIT.

Memento ut diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, iumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas. Exod. xx. verſ. 8. & ſeqq.

DISSERTATIO PRIMA

DE FESTORUM SANCTIFICATIONE.

CAPUT I.

Gentes omnes quæ Deum colunt, dies feſtos celebrant. Varii hæreticorum errores recenſentur, & refelluntur.

I. NULLA umquam tam inculta, nulla tam barbara gens fuit quæ diis ſuis feſtos dies non conſecrarit. Lactantius *Lib. II. divin. inſtit. cap.* III. indicat, nonnullos extitiſſe Philoſophos, qui omnem ſupremi Numinis cultum improbarunt: ſcilicet, qui, cum vi rationis naturalis falſas eſſe Ethnicorum religiones agnoſcerent, pluresque deos ſimul conſociare nequirent; & contra, veram religionem lumine cæleſti ob ſua crimina deſtituti, aſſequi minime valerent, religionem omnem abiecerunt. Hoc in errore fuiſſe Ariſtotelem, ſuſpicatur Caietanus 2. 2. *quæſt.* lxxxv. *art.* 1. Hi o-

mnes ex illorum numero ſunt de quibus ait Apoſtolus Paulus Rom. I. *Dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt*. Si enim nullum Deum exiſtere putabant, quid amentius? Si Deum agnoſcentes, eidem cultum denegabant, quid rationi magis infeſtum? Religione itaque colendum eſſe Deum, ratio naturalis præſcribit. Hæc porro religio in feſtorum maxime celebratione elucet.

II. Non eſt quod Ethnicorum varia ſuperſtitionum genera referam. Non parvi tamen intereſt hæreticorum verum Deum colentium errores in feſtis celebrandis breviſſime recenſere. Hac enim ratione, ut alibi diximus, Catholicorum doctrina manifeſtior evadit. Et ut ab antiquioribus initium ducam, Ebionitæ omnium primi docuerunt, Chriſtianos debere dies feſtos tum novi, tum veteris teſtamenti celebrare, videlicet ſabbatum æque ac dominicam; ſicuti refert Euſebius *Lib. III. Hiſt. cap.* XXVII.

III. VVicleffiſtæ, Petrobuſianorum errores renovantes, omnia feſta de medio tollebant, eo quod ad Iudæorum cæremonias ea pertinere effutiebant; ut refert Thomas Valdenſis *Tom. III. tit.* XVI. *cap.* CXL. Hunc errorem tribus D. Pauli textibus confirmabant. Primus habetur Rom. XIV. verſ. 5. *Alius iudicat diem inter diem; alius autem iudicat omnem diem*. Secundus legitur Galat. IV. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos: timeo vos, ne forte ſine cauſſa laboraverim in vobis*. Tertius tandem Coloſſ. II. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti*.

IV. Lutherani, & Calviniſtæ feſtos dies colendos eſſe docent; ſed illorum celebrationem variis permiſcent erroribus. Primum aiunt, dies feſtos haud eſſe ceteris diebus ſacratiores; ac ſi myſterii, vel piæ ſignificationis nihil præferrent. Volunt enim feſta præſcribi dumtaxat diſciplinæ, ordinis, & politiæ cauſſa. Quapropter Catholicos accuſant, quod iudaico more dierum habeant diſcrimen; & recitatos textus D. Pauli obtrudunt. Secundo Eccleſiam Romanam redarguunt, quod præceptorum vi cogat fideles ad feſtorum celebrationem: liberum ſiquidem volunt feriarum cultum; & ſolum ratione ſcandali, aut contemptus obligari Chriſtianos ad feſta obſervanda. Tertio aſſerunt, idololatriam redolere dies feſtos Sanctis conſecrare. Placet ipſius Calvini verba referre, non tam ut ipſius verbis eius promam errores, quam ut ex iniqui Hæreſiarchæ ore colligant non pauci quid diebus feſtis peragere debeant. Hæc autem ſcribit ille Lib. II. Inſtit. cap. VIII. §. 32. pag. 75. *Abrogato ſabbato inter nos tamen etiamnum locum iſtud habet, ut ſtatis diebus ad audiendum verbum, ad myſtici panis fractionem, ad publicas orationes conveniamus: deinde ut ſervis, & operariis ſua detur a labore remiſſio*. Item §. 33. *Paullo hic cogor eſſe longior, quod hodie ob diem dominicum tumultuantur nonnulli inquieti ſpiritus: plebem chriſtianam quiritantur in Iudaiſmo foveri, quia retinent aliquam dierum obſervationem. Ego autem reſpondeo citra Iudaiſmum dies iſtos a nobis obſer-*

obſervari : quia longo intervallo differimus in hac parte a Iudæis. Non enim ut cæremoniam arctiſſima religione celebramus, qua putemus, myſterium ſpirituale figurari ; ſed ſuſcipimus ut remedium retinendo in Eccleſia ordini neceſſarium . Atqui Paulus docet, non eſſe in eius obſervatione iudicandos Chriſtianos : quia ſit umbra rei futuræ. Ideo timet, ne inter Galatas fruſtra laborarit, quod adhuc dies obſervarent . Et ad Romanos aſſerit, ſuperſtitioſum eſſe, ſi quis iudicat inter diem & diem. At quis, præter iſtos dumtaxat furioſos, non videat de qua obſervatione intelligat Apoſtolus ? Non enim in finem iſtum politicum, & eccleſiaſticum ordinem reſpiciebant . . . . Neque ſic tamen ſeptenarium numerum moror, ut eius ſervituti Eccleſiam aſtringam. Neque enim Eccleſias damnavero, quæ alios conventibus ſuis ſolemnes dies habeant, modo a ſuperſtitione abſint. Quod erit, ſi ad ſolam obſervationem diſciplinæ, & ordinis bene compoſiti referantur. Summa ſit : ut ſub figura Iudæis tradebatur veritas, ita nobis ſine umbris commendatur : primum, ut perpetuum tota vita ſabbatiſmum meditemur a noſtris operibus, quo Dominus in nobis per ſuum ſpiritum operetur ; deinde, ut pia operum Dei recognitione privatim ſe quiſque , quoties vacat , exerceat ; tum etiam ut omnes ſimul legitimum Eccleſiæ ordinem , ad verbum audiendum , ad ſacramentorum adminiſtrationem, ad publicas orationes conſtitutum obſervemus ; tertio ne nobis ſubditos inhumaniter premamus. Ita evaneſcunt nugæ Pſeudoprophetarum , qui iudaica opinione populum ſuperioribus ſæculis imbuerunt , nihil aliud afferentes , niſi abrogatum eſſe quod cæremoniale erat in hoc mandato (id vocant ſua lingua diei ſeptimæ taxationem] remanere autem quod morale eſt, nempe unius diei obſervationem in hebdomade. Hi ſunt hæreticorum errores, quos ſequentibus numeris breviter confutabimus.

V. Dico primum, *Sabbatum Hebræorum, & cetera veteris teſtamenti feſta haud quaquam licere Chriſtianis celebrare.* Quoniam ſabbatum, & alia iudaica feſta figuræ erant, & adumbratæ imagines futuræ lucis, quæ eſt Chriſtus Dominus : iſtius itaque adventu antiquandæ omnino erant, & abrogandæ . Quapropter iure D. Paulus, ad Galatas ſcribens, redarguit moſaici ritus cultores, & feriarum obſervatores. Et Concilium Laodicenum *cap.* XXIX. anathema iis infligit qui ſabbatum colunt. Nec refert quod ſabbatum vocetur pactum ſempiternum, ſignumque perpetuum *Exod.* 11. Sic enim appellatur, & quia res æternas portendit, & quia ad finem uſque Reipublicæ iudaicæ durare debebat ; uti explicat Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Exodum.

VI. Dico ſecundo, *Chriſtianos obſtringi dies feſtos celebrare, non ſolum ratione ordinis, & politiæ, ſed ratione etiam myſterii, quod ſignificant; & eſſe dies iſtos aliis ſacratiores, & ſanctiores.* Prima pars per ſe patet. Præceptum ſiquidem ſanctificandi feſta, licet, prout cæremoniale eſt, antiquatum fuerit; ut tamen morale, ſeu naturale, & divinum eſt (quam diſtinctionem immerito Calvinus reiicit) non

A ij ſecus

ſecus ac cetera Decalogi mandata, Chriſtianos omnes obligat. Nec minus certum eſt, Chriſtianorum feſta myſticas continere ſignificationes. Nam dies dominica memoria eſt reſurrectionis Chriſti, & beatam vitam præfigurat. Inſuper ſolemnes dies feſti Natalis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes, quos ex apoſtolica traditione Eccleſia celebrat, ut docet Auguſtinus *epiſ.* CXIX. & Lutherani ac Calviniſtæ pariter colunt, myſteria Ieſu Chriſti repræſentant. Perperam ergo ad ordinem, & politiam Eccleſiæ eorumdem celebratio reducitur. Idque confirmatur ex eo quod communi & Patrum, & populorum voce dies feſti modo *ſacri*, modo *ſancti*, modo *myſtici* nuncupentur. Qua de re vide Ambroſium *ſerm.* LXII. Auguſtinum *Lib. XXII. de Civit. Dei cap.* III. & Leonem *ſer.* IV. *in Quadr.* Et revera, ſi Chriſtus naſcens præſepe, moriens crucem, reſurgens tumulum conſecravit; cur non etiam dies illos ſanctificavit, quibus natus, paſſus, vitæque redditus eſt? Si templa, & altaria ſacra dicuntur, quod ſint Deo dicata; cur non erunt ſacri quoque dies illi qui divino cultui ſunt aſſignati?

VII. Dico tertio, *Feſtorum obſervationem, ſublato etiam ſcandalo, & contemptu, lege obligante conſcientiam merito Eccleſiam præcipere.* Iure ſiquidem divino devincti ſunt fideles, dies aliquos feſtos celebrare; ut ex Scriptura ſancta patet, & ratio naturalis præſcribit. Nulli autem ſunt dies feſti divino iure definiti. Ergo Eccleſia hac pollet poteſtate, qua certos dies Deo ſacros ſtatuat, & eorumdem obſervationi fideles adſtringat. Alioquin ius divinum minime conſiſteret, ſemel admiſſo quod Eccleſiæ lex non obligaret fideles ſuos. Iſti enim, hac ſacta poſitione, poſſent non ſervare diem dominicum, nec Paſcha, nec ulla alia feſta: vel quiſque poſſet ad libitum ſua feſta ſibi ſtatuere, & confuſionem ſummam in Eccleſiam invehere. Sed quid plura congero? Certum quippe eſt, ſemper Eccleſiam ſuo præcepto obligaſſe fideles ad feſta celebranda; ut conſtat ex Concilio Agatenſi, & Aurelianenſi, & ſexto Generali. Neque ex hac lege iugum Chriſtianorum gravius evadit iugo Iudæorum; quemadmodum obganniunt Calviniſtæ. Quoniam feſta iudaica graviſſima imponebant onera, cum ſingulis ſabbatis vetarent ignem accendere, carnes coquere, iter facere, & in Paſchate ſeptem dies inſipida azyma comedere: quæ incommoda longe abſunt a feſtis Chriſtianorum.

VIII. Ad primum textum D. Pauli, quem obtrudit Calvinus, reſpondeo, Apoſtolum ibi ſermonem habere de ieiunio, quod alii obſervabant quotidie, & alii certis diebus; ut exponunt Origenes, Ambroſius, & alii. Ad ſecundum reſpondetur, D. Paulum vanam improbare Ethnicorum ſuperſtitionem, qui ex vario ſiderum ſitu dies diſcernebant. In Epiſtola autem ad Coloſſenſes de feſtis Iudæorum agit Apoſtolus, & iudaizantes redarguit; ut Hieronymus, & Auguſtinus interpretantur. De aliis hæreticorum erroribus adverſus feſta Martyrum, & Confeſſorum, alioſque peculiares dies feſtos, infra dicemus.

C A-

CAPUT II.

Recenſentur propoſitiones hoc de argumento a ſummis Pontificibus damnatæ. Item aliæ quæ nimis laxæ; & aliæ quæ nimis ſeveræ quibuſdam videntur.

I. INdicatis ſuperiore capite hæreticorum erroribus, e re noſtra eſſe cenſemus quorumdam Caſuiſtarum, & Theologorum hoc de argumento aberrationes manifeſtare. Hac enim ratione vel initio ſtatim & unico intuitu, quid evitare lector debeat, exploratum habebit. Hoc ſiquidem eſt inſtitutum meum (quod quamvis alibi dictum fuerit, repetendum tamen eſt ſæpius, ut invidiæ periculo, quo ad fieri poteſt, me ſubducam) primo errores ab Eccleſia damnatos, deinde propoſitiones, quæ, licet expreſſe proſcriptæ non ſint, videntur tamen viris piis, & doctis nimis laxæ, & tandem quaſdam quæ nimis ſeveræ reputantur, ob oculos ponere.

§. I.

Propoſitiones damnatæ ab Innocentio XI. an. 1679. quæ primum Eccleſiæ præceptum ſpectant.

II. EX propoſitionibus a ſummo Pontifice Innocentio XI. proſcriptis duæ ſunt quæ præcepto colendi feſta adverſantur, ſuntque ſequentes.

52. *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.*

53. *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas eius partes, immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit.*

§. II.

Propoſitiones ex pluribus Caſuiſtis decerptæ, quæ nimis laxæ videntur.

III. 1. „ VEre impleret audiendi Sacri præceptum, illud ex contemptu audiens. Ergo a fortiori cum intentione non ſatisfaciendi. " Thomas Sanchez in *Decal. Lib. I. cap.* XIII. *num.* 13. *pag.* 65. *edit. Parm.* 1723.

2. „ Colligo, poſſe te breviſſimo temporis interſtitio Miſſam audire, ſi quatuor

„ v. g. altaribus variæ Miſſæ proportionata temporis anterioritate ſic celebrentur, „ ut, dum una inchoatur, ſecunda ab Evangelio tunc in conſecrationem proce- „ dat, tertia a conſecratione in conſumptionem, quarta denique a conſumptione „ uſque ad terminum. Ita ille (Antonius Eſcobar) & noviſſime Geſualdus in „ *Theol. Moral. Tom. I. tract.* XVII. *cap.* 11. *num.* 16. Unde patet, quam parum mo- „ deſte locuti ſunt Turrianus in *ſelect. diſp.* XVI. *dub.* 7. & Ledeſma *part.* 1. *cap.* „ XXVII. *poſt* 5. *concluſionem*, qui hanc affirmativam ſententiam improbabilem „ vocant. Eſt enim ſatis probabilis." P. Antoninus Diana *Tom. II. operis coord. reſol.* 29. *pag.* 166. *edit. Venet.*

3. „ Dominus qui habet oratorium, non tenetur rogare, aut ullo ſtipendio con- „ ducere Sacerdotem, qui faciat Sacrum ſibi non valenti adire Eccleſiam." P. Georgius Gobat *tract.* V. *num.* 350. *pag.* 252. *edit. Venet.*

4. „ Pridie feſtum læſi nimio potu valetudinem, ut nequirem altero die ædem „ ſacram ſubire, hancque impotentiam orituram prævidi. Reſp. Tametſi perægre „ ſuſcipio patrocinium lurconum; attamen illum de quo proponitur hæc quæſtio, „ excuſo a mortali, inquantum præciſe ponit impedimentum Sacri de iure audien- „ di die ſequenti." Idem Gobat *loc. cit. num.* 425. *pag.* 256.

5. „ Dico. II. Nemo obligatur pridie feſti non ponere impedimenta Sacri po- „ ſtridie audiendi. Sic docui *cit. cap.* XXVII. *num.* 35. cum Suario, Becano, Bona- „ cina, Palao, Dicaſtillo, quos ibidem refero, ubi etiam expreſſi, licet impedi- „ mentum ponatur per actionem peſſimam, non tamen eſſe neceſſe in confeſſione „ quidquam dicere de omiſſo Sacro.... Confirmo hanc doctrinam reſolutione caſus „ quem Tamburinus *in Decal. Lib. IV. cap.* 11. *§.* 3. *num.* 9. recenſet de duobus ado- „ leſcentibus, deſtinantibus proficiſci die ſabbati ad venationem inſtituendam „ loco tam remoto ab omni Eccleſia, ut fuerit impoſſibile die dominico audi- „ re Miſſam.

Caſus Venatorius.

6. ... *Quidam ex congregatione Nobilium ſelecti adoleſcentes* (verba ſunt Tamburini loc. cit.) *ad feras in remoto nemore venandas ſe egreſſuros, ut fit, ex compacto decreverunt, quo in nemore opportunitas audiendi Sacrum nequaquam ſuppetebat. Agebatur autem dies veneris illius hebdomadæ, & die conſequenti iter arripere eum contenderent, interrogaverunt a P. ſodalitatis Præfecto, an illis liceret; quandoquidem fore prævidebant ut, die dominico inſtanti, in eo loco ab Eccleſiis remotiſſimo, Miſſæ non eſſent interfuturi? Reſpondit Pater, ſine culpa licere .....*

Verum adoleſcens quidam ex illis, paullo ceteris religioſior, *huius Patris conſilio non acquieſcens, P. Rectorem eiuſdem Collegii, quid de hoc ipſe ſentiret, interrogavit; qui nequaquam licere reſpondit.....*

„ Ha-

Digitized by Google

„ Hactenus non ſolum narratio, ſed etiam iudicium P. Tamburini, qui, licet „ utrumque reſponſum merito habeat pro probabili, *ego tamen pro probabiliore* „ *habeo Præſidis*, utpote nixi & melioribus rationibus, & auctoritate quinque DD. “ Idem Gobat *tract.* v. *num.* 447. *& ſeq. pag.* 258.

7. „ Excuſaretur a mortali qui tertiam partem diei feſti inſumeret in opere „ ſervili, ſumpta hac tertia parte dumtaxat de eo tempore quod regulariter ſo- „ let inſumi in opere ſervili. “ P. Zacharias Paſqualigus *deciſione* 300. *numer.* 6. *& ſeq.*

8. „ An in die feſto liceat torneamenta, choreas, & alios ſimiles ludos exercere?... „ Tenenda eſt ſententia (affirmativa) quia huiuſmodi torneamenta, & alii ludi „ huius generis ex ſua natura, & intrinſeco fine ordinantur ad relaxandos ani- „ mos: quia, cum cauſent delectationem, faciunt ipſos quieſcere, atque adeo re- „ focillari.... Et hoc habet locum etiam reſpectu eorum qui exercent huiuſmodi „ ludos: quia, licet fatigentur in corpore, recreantur tamen in animo. “ Idem Paſqualigus *deciſ.* cli.

9. „ Non peccaret mortaliter qui efficeret ut plures per totum integrum diem „ feſtum laborarent, ſed ſinguli ſolum pro modico tempore; ſi id faceret ob lu- „ crum quod inde percipit. “ P. Leander a Ss. Sacramento *de obſervat. feſtorum tract.* 1. *diſp.* vi. *quæſt.* x.

10. „ An ſatisfaceret qui, etiamſi toto Miſſæ tempore cum aliis confabularetur, „ luderet &c. hoc non faceret continuo, ſed interpolate modo ad Miſſam at- „ tendendo, & modo confabulando &c. Reſpondeo ſatisfacere in hoc caſu, dum- „ modo attente aſſiſtat conſecrationi, & aliis quæ in Miſſa principalia ſunt. “ Idem Leander *Part. III. in* 5. *præcep. Eccleſiæ tract.* 11. *de audit. Miſſ. diſput.* 1. *quæſt.* lxxviii.

11. „ An qui ex vi præcepti, voti, & pœnitentiæ obligatur audire tres Miſſas, „ ſatisfaciat his omnibus obligationibus audiendo eas ſimul? Reſpondeo ſatisface- „ re. Quia præfatus audiens vere audit tres Miſſas. Quod vero faciat eodem, „ vel diverſo tempore, unico, aut pluribus actibus, hoc nihil obeſt. “ Idem Leander *loc. cit. quæſt.* lix.

12. „ Probabiliter reſpondeo, licitum eſſe typographis in diebus feſtis characte- „ res componere, ſeu ordinare. “ Idem Leander *loc. cit. tract.* 1. *de obſerv. feſt. diſp.* iv. *quæſt.* xviii.

13. „ Maxime probabile iudico accedentem ad audiendum Sacrum tempore quo „ præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minime teneri reliquis illius „ Miſſæ intereſſe. “ Ioannes Sanchez in *diſp. ſelectis diſp.* xv. *num.* 5.

14. „ An opinio quæ dicit ſatisfieri, ſi ſucceſſive audiantur duæ medietates „ (Miſſæ) ſit adhuc probabilis: ut v. g. ſi quis ad elevationem unius Miſſæ ve-

Digitized by Google

„ niat in templum, & poſtea audiat ſequentem Miſſam uſque ad elevationem „ tantum?.... Dicendum eſt, opinionem illam adhuc manere probabilem." P. Claudius La Croix *Tom. I. Lib. III. part.* 1. *de obſerv. feſt. num.* 611.

15. „ An autem ille qui per longum tempus confitetur, Miſſam audiat, variæ „ ſunt ſententiæ... Alii dubitant.... Alii abſolute negant.... Alii abſolute adfir- „ mant... Alii diſtinguunt... Omnes hæ ſententiæ ſunt probabiles." Idem La Croix *loc. cit. num.* 655. *§.* 6.

16. „ Multi negant, propter lucrum notabile poſſe omitti Miſſam; adfirmant „ tamen Azor. Baſs. Iord. Tamb. *num.* 7. Gob. a *num.* 492. qui etiam putat, ſi ſis „ tenuis fortunæ, te excuſari ob lucrum duorum ducatorum; ſi ſis vere pauper, „ unius ducati: quia hoc lucrum reſpectu illorum eſt notabile, quo non cenſetur „ Eccleſia velle eos privari." Idem La Croix *loc. cit. num.* 681. *§.* 6.

17. „ Si Miſſam negligas, ut iter agas cum aliquo ſocio, qui faciet expenſas „ itineris, aut multum ſublevabit, excuſant te Suar. Dicaſtil. & alii cum Gobat. „ Immo, & ſecundum aliquos, ſola derelictio ſociorum itineris videtur eſſe cauſſa „ ſufficienter excuſans." Idem La Croix *loc. cit. num.* 682. *§.* 7.

18. „ Aurigæ qui per conſuetudinem habent ius vehendi aliqua die feſto, etiam „ habent ius omittendi Miſſam, ſi hac audita vehere non poſſunt.... Addunt ali- „ qui, etſi tu poſſes vecturam omittere ſine notabili damno, tamen pleroſque non „ poſſe; & ideo te poſſe cum illis uti privilegio conſuetudinis." Idem La Croix *loc. cit. num.* 684. *§.* 9.

19. „ An peccet mortaliter qui die feſto mandat ſex famulis, ut ſinguli una „ hora laborent? Reſpondeo, ſi mandet ut laborent ſimul, ſecluſo ſcandalo, eſt „ veniale tantum." Idem La Croix *loc. cit. num.* 580.

20. „ Excuſat item, ſaltem a gravi peccato, parvitas operis, ſeu temporis. „ Unde grave non videtur una hora laborare (die feſto)... Immo durum vide- „ tur, mortalis damnare, ſi quis duas aut tres horas impendat." P. Hermannus Buſembau *Lib. III. tractat.* III. *cap.* III. *dub.* 2. *ſeptima cauſa*, apud Claudium La Croix eiuſdem interpretem *Lib. III. par.* 1. *num.* 583.

21. „ Tamquam certum reſpondeo, non teneri fideles ex vi præcepti colendi „ Deum in feſto ad exercendum intra illum diem aliquem actum internum di- „ vini cultus." P. Leander a Ss. Sacramento in 5. *præcep. Eccl. part.* III. *tract.* II. *diſp.* II. *quæſt.* lxxII.

22. „ Qui ad Miſſam non acceſſit ante præfationem, non tenetur ad reli- „ quum." P. Martinus Torrecilla *Tom. II. Summ. tractat.* 1. *diſput.* 1. *cap.* 1. *numer.* 19.

23. „ Præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro ſatisfacit qui duas Miſſæ partes au- „ dit, non ſimul a duplici celebrante, ſed diviſim." Idem Torecilla *ibid. num.* 26.

24.

24. „ Præcepto Sacrum audiendi ſatisfacit qui externe compoſitus, interne vo-„ luntarie diſtrahitur. “ Idem Torrecilla *ibid. num.* 21.

25. „ Etſi digni reprehenſione ſint qui ſacrificio Miſſæ ludendo, ridendo, & „ confabulando aſſiſtunt; dummodo tamen conſecrationi, & conſumptioni atten-„ ti ſint, tantummodo peccatum veniale committent . . . . Quatenus peccatum „ grave tantummodo conſtituit in eo qui toto tempore Sacrificii eſt ludens, ri-„ dens, & confabulans. “ Idem Torrecilla *ibid. num.* 28.

26. „ Opinio DD. dicentium, præceptum Miſſæ uſque ad annos pubertatis; „ vel circiter non obligare, probabilitate non caret. Et idem dicendum venit de „ præceptis etiam confeſſionis, & communionis annualis. “ Idem Torrecilla *ibid. cap.* III. *a num.* 7. *ad num.* 23.

27. „ Diſtantia unius leucæ, vel trium millium paſſuum excuſat ab obliga-„ tione Miſſam audiendi, etiam hominem robuſtum. “ Idem Torrecilla *ibid. num.* 15.

IV. Plures alias recenſere poſſem ſimiles propoſitiones, quas brevitatis gratia prætereo. Ex his enim quas deſcripſi, colligere facile lector valet, quanta cautione legendi ſint Auctores qui dicuntur benigni: quoniam iiſdem principiis ex quibus præfatas eliciunt aſſertiones, cetera dubia quæ in feſtorum occurrunt obſervatione, reſolvunt. Quid porro de recenſitis propoſitionibus, aliiſque affinibus dicendum ſit, infra ſuis locis iuxta ſanctorum Patrum, & Conciliorum doctrinam, quoad fieri poterit, ſtatuam.

§. III.

Recenſentur propoſitiones quæ aliquibus videntur nimium ſeveræ.

V. 1. „ GRaviter peccant qui cum peccati letalis affectu Miſſæ ſacrificio „ dominicis, & feſtis diebus interſunt. “ Natalis Alexander *Tom. II Theol. dogm. & mor. Lib. IV. de Decal. reg.* IX.

2. „ Præceptum de ſanctificatione ſpirituali ſabbati magis violare cenſentur qui „ dominicis, aut feſtis diebus letale peccatum committunt, quam qui quodvis „ opus corporale, alias bonum & licitum, faciunt. “ Idem Natalis Alexander *loc. cit. reg.* V. Genet *de 3. præcep. Decal. tract.* IV. *cap.* II. *quæſt.* II.

An propoſitiones iſtæ ſeveritatem ſapiant, an vero ſuavem Patrum, & Conciliorum doctrinam contineant, infra docebimus. Lege *epiſtolam* LIII. eiuſdem Natalis ad calcem *Tom. II.* Lege *diſſert.* III. *cap.* V.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quomodo præceptum ſanctificandi ſabbatum ad Decalogum pertineat. Quem Dei cultum præcipiat. De illius translatione in diem dominicum: & an ſimul aliquando cum feſto dominico obſervatum fuerit.

I. AD Decalogum pertinere præceptum ſanctificandi ſabbatum, Scriptura ſancta teſtatur Exod. xx. *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*. Inter Decalogi mandata numeratur, ut morale, & naturale, non ut cæremoniale, ſeu legale eſt. Morale porro, & naturale eſt præceptum iſtud, qua ex parte aliquod tempus deſignat quo ſupremo Numini exterior cultus offeratur. Quod peroptime explicat D. Thomas 2. 2. quæſt. cxxii. art. 4. ad 1. *Præceptum de ſanctificatione ſabbati, litteraliter intellectum, eſt partim morale, partim autem cæremoniale. Morale quidem eſt quantum ad hoc quod homo deputet aliquod tempus vitæ ſuæ ad vacandum divinis. Ineſt enim homini naturalis inclinatio ad hoc quod cuilibet rei neceſſariæ deputetur aliquod tempus, ſicut corporali refectioni, ſomno, & aliis huiuſmodi. Unde etiam ſpirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, ſecundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo.* Et ſic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit ſub præcepto morali. Cæremoniale, ſeu legale dicitur præceptum iſtud variis rationibus, quatenus ſcilicet & diem ſabbati præ alio præſcribit, & creationem mundi repræſentat, & viginti quatuor horarum ſpatio ſolemnitas illa celebrabatur. Audiamus Angelicum hæc omnia explicantem loco laudato. *Sed inquantum in hoc præcepto determinatur ſpeciale tempus in ſignum creationis mundi, ſic eſt præceptum cæremoniale. Similiter etiam cæremoniale eſt ſecundum allegoricam ſignificationem, prout fuit ſignum quietis Chriſti in ſepulchro, quæ fuit ſeptima die .... Unde præceptum de ſanctificatione ſabbati ponitur inter præcepta Decalogi, inquantum eſt præceptum morale, non inquantum eſt cæremoniale*. Heinc conſequitur, præceptum hoc, prout cæremoniale eſt, non obligare Chriſtianos: quoniam, promulgata evangelica lege, præcepta legalia abrogata ſunt. Utrum autem obligaverit præceptum iſtud ante legem Moyſis in ſtatu legis naturæ, adfirmant Catharinus Politus in Geneſim, Cornelius, Ribera, & alii. Sed probabilius negant Euſebius *Lib. I. Hiſt. eccl. cap.* iv. Irenæus *Lib. IV. adverſ. hæreſ. cap.* xxx. Toſtatus *in Geneſ. cap.* 11. *quæſt.* iv. Catechiſmus Romanus *in 3. Decalog. præcept. num.* 4. Ratio clara videtur. Nam Moyſes Dei iuſſu præceptum ſanctificandi ſabbatum, ut diem Domino ſacrum indi-

dixit. Igitur ante id temporis feſtum illud minime inſtitutum erat. Quod ex eo etiam conſtare poteſt, quia, ſi ſub mundi initium iuſſiſſet Deus, homines diem hunc ut ſacrum cuſtodire, omnes nationes, & gentes ſabbatum obſervaſſent Patet autem, nullam aliam gentem, præter Iudæos, ſabbatum ut diem feſtum coluiſſe.

II. Sabbatum nomen hebraicum eſt, quod latine *requiem*, ſeu *ceſſationem* ſignificat: & pluribus modis in Scriptura accipitur. Primum pro ſeptimo die, in quo Deus ab omni opere quievit. Secundum pro tota hebdomada per figuram ſynecdochem, in qua pars pro toto adhibetur. Et iuxta hanc ſignificationem Phariſæus dixit Luc. cap. XVIII. *Ieiuno bis in ſabbato*, nempe in hebdomada. Tertium pro quolibet die feſto Iudæorum, iuxta illud Lev. XXIII. *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*. Quartum pro qualibet hebdomadæ die. Et ſic prima ſabbati eſt primus dies poſt ſabbatum, & ſecunda ſabbati ſecundus dies, & ſic de reliquis. Quapropter in Evangelio Matthæi *cap.* XVIII. legitur *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati:* & Lucæ XXIV. *Una autem ſabbati valde diluculo*. Accipitur etiam pro die dominico. Habetur enim Actorum cap. XX. *Una autem ſabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem*. Quod ſic interpretatur Auguſtinus epiſt. lxxxvi. *Una enim ſabbati appellabatur dies, qui nunc dominicus appellatur; quod in Evangelio apertius invenitur. Nam dies reſurrectionis Domini prima ſabbati a Matthæo, a ceteris autem tribus una ſabbati dicitur*. Iuxta hanc expoſitionem facile intelligitur textus ille Matth. XXVIII. *Veſpere autem ſabbati, quæ luceſcit in prima ſabbati, venit Maria Magdalene, & altera Maria videre ſepulcrum*.

III. Cur Deus ſabbatum Iudæis præ alio die præceperit? Varia omitto inepta & abſurda interpretamenta, & eorum qui dixerunt, idcirco Deum voluiſſe Iudæos ab omni opere die ſabbati abſtinere, ut influxus Saturni, ſub quo talis dies ponitur, evitarent [quæ interpretatio ſuperſtitionem redolet] & aliorum, qui aſſerunt, Iudæos ulceribus inguinum laboraſſe, quem morbum AEgyptii *Sabbo* vocabant, a qua infirmitate ſeptimo die cum fuiſſent liberati, diem illum ut ſanctum coluerunt, ſabbatumque compellarunt; quod inane commentum eſt Apionis Alexandrini. Reſpondeo igitur, primam cauſſam eam eſſe quam Scriptura ſacra aſſignat, ſcilicet ut Iudæi creationis beneficium recolerent. Hæc ſiquidem habentur Exod. XX. *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus die ſabbati, & ſanctificavit eum*. Altera cauſſa eſt, ut Iudæi liberationis a captivitate AEgyptiaca recordarentur: ſicuti clare habetur Deuter. V. *Memento quod & ipſe ſervieris in AEgypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento: idcirco præcepit tibi ut obſervares diem ſabbati*. Plures alias cauſ-

cauſſas aſſignant alii, qua de re videſis Hieronymum in commentariis ad *cap.* v. Amos Prophetæ.

IV. Quæſt. I. *Quem cultum in præcepto ſanctificationis ſabbati Deus præſcripſerit Iudæis?* Reſp. D. Thomas dicit, Deum iuſſiſſe exteriorem cultum, 2. 2. quæſt. CXXII. art. 4. in corp. *In tertio præcepto Decalogi præcipitur exterior Dei cultus ſub ſigno communis beneficii, quod pertinet ad omnes, ſcilicet ad repræſentandum opus creationis mundi, a quo requieviſſe dicitur Deus ſeptima die. In cuius ſignum dies ſeptima mandatur ſanctificanda, ideſt deputanda ad vacandum Deo. Et ideo Exod. xx. præmiſſo præcepto de ſanctificatione ſabbati, aſſignatur ratio: quia ſex diebus fecit Deus cælum, & terram, & in ſeptima die requievit.* Hoc ipſum confirmat Catechiſmus Romanus de tertio præcepto *III.* Part. num. 1. *Hoc legis præcepto externus ille cultus qui Deo a nobis debetur, recte, atque ordine præſcribitur. Eſt enim hic veluti prioris præcepti fructus: quoniam quem intimis ſenſibus pie colimus, fide, & ſpe adducti, quam in eo poſitam habemus, non poſſumus eum non externo cultu venerari, eique gratias agere.* Ex his ſatis aperte colligitur, falſam eſſe opinionem eorum qui ſuſtinent, cultum interiorem, ſeu actus caritatis, & contritionis de peccatis, a Deo præcipi in hoc ſuo tertio mandato. Quandoquidem præceptum iſtud de ſanctificatione ſabbati imperat actus virtutis religionis, ut evidens per ſe eſt. Dilectio autem Dei ad virtutem caritatis, & contritio de peccatis ad virtutem pœnitentiæ ſpectant.

V. Quæſt. II. *An hoc præceptum affirmativum ſit, vel negativum?* Reſp. Eſſe affirmativum: quoniam Deus in hoc præcepto revera iubet ſanctificationem ſabbati. Ait enim: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices.* Imperat itaque ſanctificationem iſtius diei, cultumque ſibi exhibendum. Anne mandatum, quod tributum Deo offerendum præſcribit, inter negantia mandata recenſeri poteſt? An ex alia parte Iudæi ceſſabant ab operibus, quin aliquo ſigno externo Deum colerent? Quiſnam autem præciſe fuerit actus ille quo Iudæi cultum Deo offerebant, ex lege non conſtat. Indefinitus ergo erat, ex populi arbitrio ſtatuendus.

VI. Quæſt. III. *Cur ſabbati ſolemnitas in diem dominicum translata ſit?* Reſp. Cum ex ipſa naturali lege aliqua temporis pars aſſignari debeat qua Deo cultus offeratur, Apoſtoli ſelegerunt primum hebdomadæ diem veluti ceteris aptiorem, quem Ethnici dixerunt diem Solis, ipſi vero diem dominicum appellarunt. Iſtius diei dominicæ celebritas obtinebat penes Chriſtianos Apoſtolorum tempore. Illius meminit S. Ioannes Apocalyp. 1. *Fui in ſpiritu dominica die, & audivi.* Meminit quoque S. Lucas Act. xx. *Una autem ſabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem* (ideſt ad corpus Chriſti ſumendum) *Paulus diſputabat.* Iſtius autem mutationis cauſſæ plures exhibentur. Primo, quod die iſta mundus initium acceperit. Secundo, quod eodem die Chriſtus a mortuis reſurrexerit ad vi-

Digitized by Google

vitam immortalem. Tertio, ne Chriſtiani quid commune cum Iudæis habere viderentur. Quarto, quia eodem die Spiritus ſanctus ſuper Apoſtolorum collegium viſibilis apparuit. Quinto, hac eadem die Apoſtoli onus prædicandi gentibus Evangelium a Chriſto ſuſceperunt. Has rationes recenſet *epiſtol.* XI. olim LXXXI. *cap.* 1. S. Leo, qui diem hanc *diem reſurrectionis dominicæ vocat*, his verbis. *His qui conſecrandi ſunt, nequaquam benedictio, niſi in die reſurrectionis dominicæ, tribuatur . . . quæ tantis divinarum diſpenſationum myſteriis eſt conſecrata, ut quidquid eſt a Domino inſignius conſtitutum, in huius diei dignitate ſit geſtum. In hac mundus ſumpſit exordium. In hac per reſurrectionem Chriſti & mors interitum, & vita accepit initium. In hac Apoſtoli a Domino prædicandi omnibus gentibus Evangelii tubam ſumunt, & inferendum univerſo mundo ſacramentum regenerationis accipiunt. In hac, ſicut B. Ioannes Evangeliſta teſtatur, congregatis in unum Diſcipulis, ianuis clauſis, cum ad eos Dominus introiſſet, inſufflavit, & dixit:* Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. *In hac denique promiſſus a Domino Apoſtolis Spiritus ſanctus advenit, ut cæleſti quadam regula inſinuatum, & traditum noverimus, in illa die celebranda nobis eſſe myſteria ſacerdotalium benedictionum, in qua collata ſunt omnia dona gratiarum.*

VII. Quæſt. IV. *An feſtum diei dominicæ iuris divini ſit, vel eccleſiaſtici?* Reſp. Panormitanus *cap.* III. *de Fer.* cum aliis quibuſdam iuris eſſe divini contendit. Sed Theologi communi conſenſu docent eſſe iuris eccleſiaſtici cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. *ad* 4. ubi hæc habet. *Dicendum, quod obſervantia diei dominicæ in nova lege ſuccedit obſervantiæ ſabbati, non ex vi præcepti legis, ſed ex conſtitutione Eccleſiæ, & conſuetudine populi chriſtiani.* Hoc idem tradit Catechiſmus Romanus III. Part. in 3. Decalog. præcept. num. 19. *Placuit autem Eccleſiæ Dei ut diei ſabbati cultus, & celebritas in dominicam transferatur diem.* Quod clara quoque ratione confirmant Theologi fere omnes. Docent enim, Chriſtum Dominum in ſua nova lege nulla alia nobis impoſuiſſe præcepta divina, præter ea quæ fidem, ſacramenta, & ſacrificium ſpectant. Celebritas autem diei dominicæ nec ad fidem, nec ad ſacramenta, nec ad ſacrificium pertinet. Ergo feſtum iſtud Eccleſiæ indicendum reliquit. Ut autem veritas plenius eluceat, animadvertendum, verum utique eſſe quod iuris naturalis, & divini ſit, non ſolum debere determinatum eſſe tempus quo Deo debitus cultus exhibeatur; verum etiam quod dies aliqui definiantur ad cultum hunc Deo tribuendum. Quoniam tertium Decalogi præceptum, ut morale eſt, etiamnum perſeverat. Niſi autem aliqui dies determinati eſſent, quibus Deo vacandum foret, non poſſet præceptum communiter ab omnibus obſervari. Quod autem hi dies ſint feria prima, vel ſecunda, vel tertia, Eccleſiæ poteſtati Deus reliquit. Et quamvis ſub initium naſcentis

tis Eccleſiæ chriſtianæ Apoſtoli ipſi feſtum hoc inſtituerint; non tamen ſequitur iuris eſſe divini: quia Apoſtoli non omnia ex mandato Chriſti Domini, ſed plura ex Spiritus ſancti afflatu decreverunt. Ex quibus colliges, Eccleſiam abſolute poſſe præceptum de obſervatione diei dominicæ mutare; etſi reipſa numquam id præſtabit. Numquam ſiquidem Eccleſia ea mutat quæ immemorabili, & univerſali conſuetudine confirmata ſunt, atque divinis mandatis quammaxime conſentanea.

VIII. Quæſt. V. *An, facta laudata translatione ſabbati in dominicum diem, ſtatim ubique ceſſaverit ſabbati obſervatio?* Reſp. Difficultas propoſita longiorem requireret diſputationem. Paucis tamen eam expediam. Iam *cap.* I. improbatus fuit error Ebionitarum, qui ſabbata, & omnia feſta veteris teſtamenti æque ac feſta novi fœderis, celebranda effutiebant. Nunc autem, cum de ſolo ſabbato ſermo recurrat, breviſſime dico, quod, licet Hebræorum legalia, & cæremonialia antiquata fuerint, lege evangelica promulgata; attamen ſabbati feſtum non illico in omnibus Orientis Eccleſiis abolitum fuiſſe, ſentiunt eruditi non pauci, quos inter Ludovicus Thomaſſinus de dierum feſtorum celebratione *Lib. II. cap.* II. Idque colligitur ex conſtitutionibus apoſtolicis. Nam Auctor iſtorum canonum, & conſtitutionum hæc ſcribit Lib. II. cap. LIX. *Convenite diebus ſingulis mane, & veſpere ad canendos Pſalmos . . . . potiſſimum autem die ſabbati, & dominico*. Clarius hoc præcipit *Lib. VIII. cap.* XXXIII. Petri, & Pauli nomine. *Ego Petrus, & ego Paulus conſtituimus ut ſervi quinque diebus opus faciant, ſabbato autem, & dominico die vacent in Eccleſia propter doctrinam religionis. Diximus enim habere quidem ſabbatum rationem creationis mundi, dominicum vero reſurrectionis*. Nihil facilius foret dictu quam laudatum Librum apocryphum eſſe; & propterea nullius auctoritatis. At convenit inter eruditos, extitiſſe codicem quemdam canonum Eccleſiæ in Oriente quatuor primis ſæculis, cui libro conſequentibus annis leges recens latæ attexebantur. Porro in laudato canonum, & conſtitutionum libro non pauca reperiuntur quæ Apoſtolis accepta ſunt referenda; plurima vero, quæ tertio, & quarto ſæculo fuerunt condita. Dicendum igitur, in quibuſdam Orientis Eccleſiis, temporum, & regionum habita ratione, permiſſam in aliquod tempus fuiſſe ſabbati celebrationem, tum ne Hebræi, qui chriſtianæ religioni nomen dederant, turbarentur; tum ut ſplendido cum honore ſynagoga ad ſepulcrum efferretur.

IX. Ceterum in plurimis ipſius Orientis Eccleſiis ſabbati celebrationem abrogatam fuiſſe, teſtis eſt Epiphanius Conſtantinæ in inſula Cypri Epiſcopus hæreſi LXVI. *Sabbatum illud lege præſcriptum ad Chriſti uſque adventum perſeveravit, quo demum abrogato, magnum nobis ſabbatum obtulit, qui eſt ipſe Dominus, requies, & ſabbatiſmus noſter*. Ad Eccleſiam occidentalem quod attinet, compertum

Digitized by Google

tum eſt, poſt novi fœderis promulgationem numquam in ea ſabbatum obſervatum fuiſſe; quemadmodum & de Eccleſia Alexandrina teſtatur vel ipſe Socrates, hæreſis lue infectus, *Lib. V. cap.* XXI. quamquam minime ſibi conſtet, dum aſſerit, omnes orbis Eccleſias, præter Romanam, & Alexandrinam, ſabbatum celebrare: quòd manifeſte falſum eſt. Quarto tamen labente ſæculo, Synodus Laodicena iis omnibus anathema indixit qui ſabbatum colerent. Hæc enim ſtatuit can. XXIX. *Non oportet Chriſtianos iudaizare, & in ſabbato otiari, ſed eo die operari. Diem autem dominicum præferentes, otiari, ſi modo poſſint, ut Chriſtianos. Quod ſi conventi fuerint ut iudaizantes, anathema ſint apud Chriſtum.* Hoc quoque tempore conditus videtur canon ſeptuageſimus Apoſtolorum, quo decernitur, nefas eſſe Chriſtianis cum Hebræis convenire aut in ieiuniis, aut in feſtorum obſervatione. *Si quis ieiunat cum Iudæis, vel cum ipſis dies feſtos agit.*

CAPUT IV.

De aliis feſtis, præter diem dominicum, ex præcepto Eccleſiæ celebrandis.

I. UT clarior omnium feſtorum quæ in Eccleſia catholica ex præcepto celebrantur, cognitio habeatur, primum feſta quæ ad Chriſtum Dominum, deinde quæ ad B. Virginem, & poſtremo quæ ad Sanctos attinent, recenſebo. Sed antequam id præſto, decretum Urbani VIII. exſcribam, quod in Bullario habetur *Tom. V.* Primum tamen eiuſdem decreti paragraphum omitto, ceu minime neceſſarium ad inſtitutum noſtrum. In aliis autem paragraphis habentur quæ ſequuntur.

II. *§.* 2. *Nos itaque volentes ex debito paſtoralis officii providere, & ſanctificationis feſtorum certum deinceps firmare præceptum, antiquam Eccleſiæ in hoc conſuetudinem ſectantes, habitis prius frequentibus per doctos, pioſque viros, quos ad hæc ſpecialiter deputavimus, conſultationibus, ut rei videtur gravitas poſtulare, motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtra, nec non de prædictæ apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, hac perpetuo valitura conſtitutione, de voto etiam venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Eminentiſſimorum Cardinalium, ſacris ritibus Præpoſitorum, apoſtolica auctoritate decernimus, & declaramus, infraſcriptos dumtaxat dies pro feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe vel in initio ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur.*

III. *Dominicos ſcilicet dies totius anni, Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus feriis, Aſcenſionis,*

Digitized by Google

nis, Pentecoſtes cum duabus pariter ſequentibus feriis, ſanctæ Trinitatis, ſolemnitatis corporis Chriſti, & inventionis ſanctæ Crucis, nec non feſtivitatum Purificationis, Annuntiationis, Aſſumptionis, Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis ſancti Michaelis Arcangeli, Nativitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ, ſanctorum Petri, & Pauli, ſancti Ioannis Evangeliſtæ, ſancti Thomæ, ſanctorum Philippi, & Iacobi, ſancti Bartholomæi, ſancti Matthæi, ſanctorum Simonis, & Iudæ, & ſancti Mathiæ Chriſti Domini Apoſtolorum: item ſancti Stephani Protomartyris, ſanctorum Innocentium, ſancti Laurentii Martyris, ſancti Sylveſtri Papæ, & Confeſſoris, ſancti Ioſeph etiam Confeſſoris, & ſanctæ Annæ, Deiparæ reſpective Sponſi, ac Genitricis, ſolemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque regno, ſive provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi, & venerari contigerit.

IV. *§. 3. Ad reliquorum vero dierum obſervantiam, quos hactenus ſive in univerſa Eccleſia, ſive in quavis natione, aut regno, provincia, diœceſi, aut loco, quomodocumque, ſive ex præcepto, ſive ex conſuetudine, ſive ex devotione, Chriſtifideles tamquam feſtivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipſos teneri, dicta auctoritate, tenore præſentium, perpetuo etiam decernimus, & declaramus. Ne autem dies feſtos a locorum Ordinariis nimia aliquorum facilitate, aut populorum importunitate deinceps iterum multiplicari contingat, eoſdem Ordinarios in Domino monemus, ut ad eccleſiaſticam ubique ſervandam æqualitatem de cetero perpetuis futuris temporibus, ab indictione ſub præcepto novorum feſtorum ſtudeant abſtinere. Ut vero ea quæ ſuperius expreſſa ſunt, ferventiori qua decet veneratione, ac devotione colantur; eiſdem Ordinariis antiquorum canonum obſervantiam ad memoriam revocamus, in concedendis licentiis laborandi diebus feſtis: quæ quidem licentiæ non aliter quam ad formam prædictorum canonum, ut præmittitur, concedendæ, nonniſi gratis, libere, & ſine ullo prorſus pretio, aut pacto, directe, vel indirecte concedantur ſub pœnis etiam gravioribus, noſtro, ſucceſſorumque noſtrorum arbitrio infligendis. Non intendimus tamen per hanc noſtram conſtitutionem dies feriatos circa iudicialia in aliquo immutare, quos ad hunc effectum relinquimus in eiſdem ſtatu, & terminis in quibus erant ante eiuſdem promulgationem . . . . Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis dominicæ 1642. idibus ſeptembris Pontificatus noſtri anno* XX.

V. Ex recitato decreto clare colligitur, omnia feſta quæ in eodem expreſſa non ſunt, eſſe omnino antiquata. Et eorum accedo ſententiæ qui aſſerunt, abrogata etiam feſta quæ prius ex voto obſervabantur. Quoniam ſummus Pontifex derogatione utitur univerſali, quæ ſicuti quamcumque legem, & conſuetudinem, ita quoque votum quodlibet delet.

CA-

CAPUT V.

De feſtis quæ Chriſti Domini myſteria ſpectant, quæve ex præcepto celebrantur.

I. PRimum omnium feſtorum, quæ Chriſti Domini ſanctiſſimam vitam ſpectant, eſt eiuſdem Nativitas. Feſtum enim Incarnationis, ſeu Annuntiationis, quod alioqui primum eſſet habendum, inter feſta beatiſſimæ Virginis Mariæ recenſeri ſolet. Ex Apoſtolis ipſis originem duxiſſe feſtum Nativitatis Chriſti Domini, colligitur ex Clemente *Lib. VIII. Conſtitut.* & ex Iſidoro, qui *Lib. I. de offic. cap.* xxv. ait: *Natalis dies Domini a Patribus votivæ ſolemnitatis inſtitutus eſt*. Tamen ſolemnitatem iſtam ſero Græci peregere, ut teſtatur Chryſoſtomus *Tom. I. ſerm.* xxxi. ubi de natalitio Chriſti die verba faciens, hæc habet: *Nondum decimus annus eſt, ex quo hic ipſe dies manifeſte nobis innotuit*. Aſſerit nihilominus, in Occidente ſemper celebratum fuiſſe: rationemque prodit, quia ſcilicet in urbe Roma ſervabantur monumenta deſcriptionis Iudææ, Auguſto imperante factæ; & idcirco Romana Eccleſia optime ſcire potuit natalem diem Chriſti Domini. *Ex his liquet* [ait ibidem] *deſcriptionis primæ tempore natum eſſe. Et cui veteres hiſtoriarum codices, qui Romæ publice adſervantur, lectitare lubeat, perfacile etiam tempus huiuſce deſcriptionis accurate diſcere poterit . . . Auſculta, neque diffidas . . . nam illi ipſi qui illic commorantur, multo ante, & ex antiqua traditione ipſum celebrantes, ad nos uſque illius notitiam tranſmiſerunt*. Feſtum iſtud eodem die celebratur quo myſterium fuit peractum, ſcilicet die xxv. decembris. Dies iſte dominicus fuit. Si autem ſcire aves, cur non ſemper die dominico, ſed quolibet hebdomadæ die feſtum celebretur, conſule Durandum *Lib. VI. Ration. cap.* iv.

II. Secundum feſtum eſt Circumciſionis. Solemnitas hæc cum octava die Nativitatis confundi ſolet. Illius vetuſtatem indicat Concilium Turonenſe II. anno 567. celebratum. Siquidem, poſtquam pronuntiavit dies omnes inter Nativitatem & Epiphaniam feſtos eſſe, tres profeſtos recenſet, quorum poſtremus ſunt calendæ ianuariæ, quibus Miſſam de Circumciſione celebrari iubet. *Et quia inter Natale Domini* [inquit can. xvii.] *& Epiphaniam omni die feſtivitates ſunt . . . . excipitur illud triduum, quo ad calcandam Gentilium conſuetudinem Patres noſtri ſtatuerunt, privatas in calendis ianuarii fieri litanias, ut in Eccleſiis pſallatur, & hora octava in ipſis calendis Circumciſionis Miſſa, Deo propitio, celebretur*. Si Synodus fatetur ſe antiquorum Patrum veſtigiis inſiſtere, innuit certe Circumciſionis feſtum

vel ea ætate antiquum fuiſſe. Inaniter ergo contendunt quidam, recens in Eccleſiam invectum eſſe feſtum iſtud.

III. Tertio loco ſuccedit feſtum Epiphaniæ, ſeu Theophaniæ, aut Bethphaniæ. Epiphania ſignificat apparitionem, qua Chriſtus, media ſtella, Magis ſe adorandum manifeſtavit. Theophania etiam dicitur, quod eadem die, multis revolutis annis, novo modo mundo apparuit IESUS, cum a Ioanne baptizari voluit; eiuſque divinitas declarata fuit Patris teſtimonio. Theophania enim apparitionem Dei prodit. Quare Clemens pro iſtius feſtivitatis ratione dicit *Lib.VIII.cap.*XXXIII. quod *in illa die declarata ſit divinitas Chriſti teſtimonio Patris in baptiſmo, & Spiritus ſancti, qui in ſpecie columbæ oſtendit aſtantibus eum cui tributum erat teſtimonium.* Addit etiam Iſidorus *Lib. I. de divin.offic.* eodem die peractum fuiſſe a Chriſto celebre illud miraculum aquæ converſionis in vinum; &, cum miraculum iſtud peractum fuerit in domo in qua nuptiæ celebrabantur, feſtum hoc vocatur etiam Bethphania.

IV. Feſtum quartum eſt Paſcha, quod nomen hebraicum eſt, & ſignificat tranſitum, non quemcumque, ſed illius Angeli, qui AEgyptiorum primogenita percuſſit. Varias alias ſignificationes nomen hocce in Scriptura habet. Accipitur primo pro agno, quem quotannis immolabant, & edebant Hebræi in memoriam illius quem patres eorum comederunt pridie illius diei quo iugum AEgyptiorum excuſſerunt. Uſurpatur ſecundo pro die azymorum. Tertio pro immolatione agni paſſim a quatuor Evangeliſtis accipitur. Tandem Eccleſia catholica Paſcha uſurpat pro tribus primis diebus quibus ex præcepto celebrat Chriſti Domini a mortuis reſurrectionem: quæ eſt omnium ſolemnitatum potiſſima. Etenim inquit Apoſtolus: *Si Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides veſtra: adhuc enim eſtis in delictis veſtris. Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* De antiquitate iſtius ſolemnitatis non eſt quod differamus. Planum ſiquidem eſt, eam ab ipſis Apoſtolis duxiſſe primordia. Secundo Eccleſiæ ſæculo diſſidium maximum excitatum fuit Occidentales inter & Aſiaticos. Iſti quartodecimo die poſt æquinoctium vernum celebrandum eſſe Paſcha contendebant; illi dominica æquinoctium conſequente, ne iudaiſmum redolere viderentur. Acre, & lugubre diſſidium duobus ferme ſæculis Eccleſiam exagitavit, donec in Concilio Nicæno I. decretum fuit, dominica poſt vernum æquinoctium ſolemnia paſchalia ab univerſa Eccleſia celebranda eſſe.

V. Quinto loco ponitur Chriſti Domini Aſcenſionis in cælum ſolemnitas, quam ab Apoſtolis ipſis repetendam eſſe nemo negaverit. Anne ambigendum, Apoſtolos, & Diſcipulos, qui Chriſtum aſcendentem in cælum conſpexere, tanti triumphi ſolemnia celebraſſe? Probabile cenſent Theologi quidam, cum ipſo Chriſto ſanctorum Patrum multitudinem ad cælum convolaſſe.

V.

Digitized by Google

VI. Sextum feſtum eſt Pentecoſtes: quod Hebræi in memoriam legis divinitus datæ peragebant; Chriſtiani vero ob viſibile Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos, & Diſcipulos apparitionem celebrant. Et quamquam ad Spiritum ſanctum hoc feſtum pertinere videatur; nihilominus tamen Chriſto Domino conſecratum eſt: tum quod ipſe illius adventum promiſerit; tum quod hac die eius Evangelium publice per univerſum orbem cœptum fuerit promulgari.

VII. Septimus dies feſtus eſt ſanctiſſimæ Trinitatis, recens in Eccleſiam introductus. Solemnia hæc non uno modo ubique cuſtodita fuere. A quibuſdam Eccleſiis obſervabantur dominica, quæ Adventum antevertit; ab aliis octavo die Pentecoſtes. Ab Urbis Eccleſia non agebantur, quod Trinitatis laudibus continenter vacabat precibus, & ſacrificiis, ut teſtatur Alexander III. quilibet enim dominicus dies Trinitati potiſſimum conſecratus cenſebatur. Qua de cauſſa Micrologus aſſerit, ſingulis olim dominicis Trinitatis præfationem in Miſſa decantar ſolitam fuiſſe. Et etiamnum iiſdem diebus in matutinis horis ultimum reſponſorium, ſi feſtum aliud non occurrat, de Trinitate recitatur; ſicuti & Symbolum fidei, quo Trinitas mirum in modum explicatur. In maiorem tamen ſanctiſſimæ Trinitatis reverentiam, & venerationem Ioannes XXII. & Urbanus VIII. quotannis primo dominico die poſt Pentecoſtem decreverunt eiuſdem feſtum colendum eſſe.

VIII. Sacroſanctæ Euchariſtiæ myſterium feria quinta poſt octavam Pentecoſtes celebratur. Hoc feſtum poſt duodecim ſæcula ab Urbano IV. inſtitutum fuit peculiari conſtitutione, quæ incipit, *Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem*: quam confirmavit Clemens V. Quamquam vero feſtum iſtud ceteris enumeratis recentius ſit; uberiori tamen celebrari lætitia, & ſolemniori apparatu ſolet. Officium, quod ab univerſa Eccleſia recitatur, & a Doctore Angelicô divo Thoma compoſitum fuit eiuſdem Urbani iuſſu, tantam redolet dulcedinem, tantam ſpirat hilaritatem, & adeo enucleate, ac divina quadam claritate myſterium ineffabile explicat, ut omnium mentes admiratione defigat, animoſque ſummo perfundat gaudio.

IX. Tandem inventio ſanctæ Crucis, quæ die tertia maii colitur, inter feſta ad Chriſtum attinentia numeratur. De hiſtoria iſtius inventionis non una eſt Scriptorum ſententia: quorum tamen momenta expendere hic minime vacat. Quod Helena Conſtantini Imperatoris mater Crucis ſanctæ lignum invenerit, ad ſubſtantiam ſaltem quod attinet, vix in diſcrimen vocari poteſt. Quæ enim contra reponuntur, nullius ſunt ponderis. Hiſtoria iſthæc, non ratio, ſed occaſio fuit inſtituendi feſtum in honorem ſancti illius ligni, ex quo infinita beneficia in univerſum genus humanum permanarunt. Veriſimile eſt feſtum iſtud incepiſſe Sylveſtri Papæ tempore.

CAPUT VI.

De feſtis quæ ad B. Virginem, ceteroſque Sanctos pertinent.

I. FEſtis Chriſti Domini ſuccedunt Deipatæ ſolemnia. Primum feſtum huic dicatum, quod in Urbani conſtitutione recenſetur, eſt illius Purificatio. In hac feſtivitate duo recoluntur, & Ieſu Chriſti oblatio, & Virginis in templo præſentatio. Secundum divinæ Matris feſtum eſt Annuntiatio, qua Archangelus Gabriel a Deo miſſus Virgini reſeravit myſterium Incarnationis Filii Dei in eiuſdem puriſſimo utero: quo circa feſtum etiam Incarnationis appellatur. Tertius dies feſtus, Virgini conſecratus, eſt illius *Aſſumptio in cælum*: cuius inſtitutio vel ipſis Apoſtolis, vel tempori Apoſtolorum proximo accepta refertur. Feſtum quartum eſt Nativitas eiuſdem, cuius initium incertum eſt. Satis tamen antiquum eſſe, convenit inter Theologos. Quintum feſtum ſub præcepto, a Clemente XI. anno 1708. lato, celebrandum, eſt Conceptio Virginis immaculatæ.

II. Simulatque Martyribus ornata fuit Eccleſia, eoſdem religioſo cultu proſequi cœpit. De fide enim eſt, in Sanctorum honorem aliquos dies feſtos ab Eccleſia inſtitui poſſe: de quo plura diximus ubi de cultu Sanctorum ſermonem habuimus. Quod autem reipſa Eccleſia Sanctos ſuos venerata ſit, teſtatur Clemens Romanus, rationemque prodit Lib. VIII. Conſtitut. cap. XXXIII. *Quia & magiſtri noſtri fuerunt ad docendum nos de Chriſto, nobiſque Spiritum ſanctum dederunt, & Chriſtum vitæ ſuæ antepoſuerunt.* Quod confirmat Tertullianus *Lib. de Coron. milit.* inquiens: *Ex antiqua maiorum traditione pro natalitiis annua die fecimus* &c. Finem, modumque iſtius inſtitutionis peroptime explicat Auguſtinus Lib. XXII. de Civ. Dei cap. X. *Nos Martyribus noſtris, non templa, ſicut diis, ſed memorias, ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in quibus ſacrificemus Martyribus; ſed uni Deo & Martyrum, & noſtro, ſacrificium immolamus: ad quod ſacrificium ſicut homines Dei, qui mundum in eius confeſſione vicerunt, ſuo ordine & loco nominantur; non tamen a Sacerdote, qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat; quamvis in memoria ſacrificet eorum: quia Dei Sacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti; qui non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.* Ex his Auguſtini verbis evaneſcunt penitus omnia hæreticorum commenta, quibus blaterant feſtos dies Divis dicatos ſuperſtitionem redolere, & idololatriam.

III. Primum autem feſtum quod in Urbani VIII. decreto recenſetur, eſt *Dedicationis ſancti Michaelis Archangeli*, quod celebratur die 29. ſeptembris ab univer-

Digitized by Google

ſa Eccleſia in memoriam ſimul omnium Angelorum. Eius initium a Bonifacio II. communiter repetitur. Secundum eſt Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ, quod prædixiſſe videtur Archangelus Gabriel Luc. 1. *Et multi in Nativitate eius gaudebunt*. Antiquiſſimum eſſe feſtum iſtud, teſtatur Auguſtinus *epiſt.* CXIX. Tertium eſt martyrii Apoſtolorum Petri, & Pauli: cui ſuccedunt celebritates aliorum Apoſtolorum, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Philippi & Iacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, ac Mathiæ.

IV. Inter feſta Martyribus conſecrata primum ſibi vendicat locum feſtum Protomartyris Stephani, quod antiquiſſimum eſſe in Eccleſia, patet ex *cap.* Pronuntiandum *de Conſecr. diſt.* III. *& cap.* Conqueſtus, *de Feriis*: & illius diſtincte meminit Clemens *Lib. VIII. Conſtit. cap.* XXXII. Sanctorum quoque Innocentum celebritatem vetuſtam eſſe in Eccleſia, conſtat ex Origene *hom.* III. in diverſos, ubi inquit: *Horum memoria ſemper, ut dignum eſt, in Eccleſia celebratur*. An ſemper fuerit vi præcepti celebratum feſtum iſtud, diſſentiunt Auctores. Poſt Urbani conſtitutionem nulla occurrit difficultas. Sub eodem præcepto colitur feſtum ſancti Laurentii, de quo plures ſermones habuerunt Patres, Leo, Ambroſius, Auguſtinus, Petrus Chryſologus, & alii.

V. De ſanctis Confeſſoribus certo non conſtat fuiſſe ſemper in Eccleſia aliquod feſtum ſub præcepto ab omnibus Chriſtifidelibus celebrandum. Quamvis enim feſtum ſancti Sylveſtri in laudato *cap. de Conſ. & cap. ult. de Fer.* contineatur, non hinc tamen eruitur fuiſſe univerſale, & ex præcepto impoſitum; quemadmodum nunc eſt poſt decretum Urbani VIII. Secundum Confeſſorum feſtum eſt illud dicatum ſancto Patriarchæ Ioſepho, quod nunc pariter ſub præcepto celebratur. Tertio loco ponitur feſtum ſanctæ Annæ genitricis Deiparæ. Ultimo tandem loco numeratur feſtum omnium Sanctorum, quod ante Auguſtini tempora inſtitutum fuiſſe putarunt aliqui propter ſermonem qui ſub Auguſtini nomine de hoc feſto legitur. Sed iam convenit ſermonem illum ſuppoſititium eſſe. Et communis Doctorum ſententia eſt, celebritatem hanc cœpiſſe tempore Bonifacii IV.

VI. Præter recenſita feſta, ab univerſa Eccleſia celebranda, addit Pontifex Urbanus, in quolibet regno, ſeu provincia, & civitate, aut oppido poſſe feſtum unius ex principalioribus Patronis ſub præcepto colendum deſignari. Quamquam igitur regna, provinciæ, civitates, oppida, plures Sanctos ut Patronos venerentur; non omnium, ſed unius tantum reſpective feſtum ex præcepto celebrare tenentur. Diſputant autem Theologi, num ſicuti regnum, ita & provincia regno ſubdita poſſit ſibi peculiarem eligere Patronum cuius feſtum ſub præcepto colendum ſit. Probabilior mihi videtur opinio affirmativa. Si enim poteſt quodlibet regnum, quidni & provincia quæque; cum in decreto regnum, provincia, civitas, & op-

pidum nominentur? Nec obſtat, quod provincia per particulam *ſive*, *quæ*, ut aliquibus videtur, facit ſenſum disiunctivum, ut aiunt, efferatur. Quoniam, ſi quandoque talem prodit ſenſum; ſæpius etiam alium, quem ampliatum vocant, exprimit, maxime in favorabilibus, uti in præſentia evenit. Huic præcepto colendi feſtum Patroni principalis loci adſtricti ſunt etiam Regulares.

CAPUT VII.

De iis qui poteſtatem habent dies feſtos inſtituendi.

I. Extra diſputationis aleam in primis eſt, Concilium generale, & ſummum Pontificem poſſe dies feſtos inſtituere. Habent enim, ad ſpirituale regimen quod attinet, poteſtatem univerſalem ſuper omnes fideles. Feſtorum autem inſtitutio ad iuriſdictionem pertinet ſpiritualem. Poterunt igitur feſta indicere, quæ ubique terrarum obligent chriſtianum populum. Neque de hoc difficultas eſt penes Catholicos, quidquid fabulentur heterodoxi.

II. Quæſt. I. *An Epiſcopi facultate polleant inſtituendi feſta in ſua diœceſi abſque Cleri, & populi conſenſu?* Reſp. Epiſcopi iure communi poſſunt dies feſtos inſtituere in propria diœceſi, ut conſtat ex *cap.* Pronuntiandum, *de Conſ. diſ.* III. & *cap.* Conqueſtus, *de Fer.* & ex vetuſto Eccleſiæ uſu. Illud ſolum in controverſiam vocant Theologi, an Epiſcopus in hac inſtitutione dependeat a Cleri, populique conſenſu? Sententia mihi probabilior videtur, vi iuris communis non poſſe Epiſcopos ſine Cleri, & populi conſenſu feſta indicere. Quoniam in cap. *Pronuntiandum* dicitur: *Illæ feſtivitates quas ſinguli Epiſcopi in ſuis Epiſcopatibus cum populo collaudaverint*. Et cap. *Conqueſtus* hæc habentur: *Ceteriſque ſolemnitatibus, quas ſinguli Epiſcopi ſuis diœceſibus cum Clero, & populo duxerint ſolemniter celebrandas*. Sanctus Antoninus *II. P. tit.* IX. *cap.* VII. poſt enumerationem feſtorum ante primum §. inquit: *Videtur etiam ex illo textu cap.* Pronuntiandum, *quod Epiſcopus ſolus non poſſit indicere feſta celebranda, niſi populus acceptet*. Sententiæ D. Antonini accedunt Angelus *verb. Fer.* Tabien. *num.* 10. Sylveſter *verb.* Dom. *num.* 3. Azorius *Tom. II. cap.* XXVI. *quæſt.* III. Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* XI. *num.* 8. Bonac. *diſp.* V. *punct.* I. *num.* 3. Sanchez *in Conſil. Lib. V. cap.* II. *dub.* 5. *num.* 6. Covarruvias *Lib. IV. variar. cap.* XIX. *num.* 9. Auguſtinus Barboſa *III. Part. de poteſt. Epiſ. alleg.* 105. *num.* 36. & alii plures. Hoc ſane elicitur ex iure, Epiſcoporum facultatem limitante. Hæc autem limitatio hac nititur congruentia, quod ex feſtorum inſtitutione politica civitatis negotia interrumpantur. Silet enim forum

rum

rum, & manuaria opera ceſſant diebus feſtis. Neque alicuius momenti eſt quod ex decreto Urbani VIII. opponunt Salmanticenſes *tract.* XXIII. *punct.* 6. §. 1. *num.* 119. ſcilicet Pontificem ſolis Epiſcopis prohibere feſtorum inſtitutionem, nulla populi, aut Cleri facta mentione. Ideo enim Pontifex ſolis Epiſcopis vetat, quia eorum eſt, non populi, vel Cleri, indicere feſta. Ii ſunt qui, tamquam ſuperiores, Clerum, populumque congregare, vel admonere debent de feſtorum inſtitutione. Quapropter iis vetat Pontifex, & non Clero, aut populo, quorum dumtaxat eſt aſſentiri, vel diſſentire. Ceterum nec verbum in laudata conſtitutione habetur, vel oblique oſtendens, quod ſi velit Epiſcopus indicere feſta, id præſtare valeat abſque Cleri, populique conſenſu: quem alioquin iura expreſſe requirunt. Ubi autem conſuetudo obtinet ut Epiſcopi ſoli ſine Cleri, & populi conſenſu feſtos dies inſtituant, omnino ſervanda eſt.

III. Quæſt. II. *An Principes ſæculares valeant ſine auctoritate Epiſcopi dies feſtos inſtituere, ad quorum obſervationem populus ſub gravi culpa teneatur?* Reſp. S. Antoninus *II. Part. tit.* IX. *cap.* VII. §. 1. inquit: *Repentinæ feriæ ſunt, quas Imperator indicit, vel propter victoriam quam fecit, vel quia uxorem duxit, vel quia ei filius natus eſt, & huiuſmodi. Et dicuntur repentinæ, quia repente, & ſubite inducuntur. Nullus præter Principem has indicere poteſt. C. de fer. l. Null.... Si civitas, vel dominus indicit, ſeu mandat aliquod feſtum ſub certa pœna celebrari, pœnam quidem poteſt exigere a violatoribus, ſed culpam non incurrunt: quia non pertinet ad eos feſta præcipere.* Sententiæ D. Antonini ſubſcribunt communiter Doctores, qui aſſerunt cum eodem, poſſe quidem Principes laicos feſtos dies indicere, in quibus ſubditi, a laboribus, operibuſque mechanicis feriati, publicæ lætitiæ, & exultationi vacent; non tamen feſta præcipere poſſe, ut publicum Dei cultum, animarumque bonum inſpiciunt. Quoniam ſub hac acceptione ad ſpiritualem pertinent iuriſdictionem. Quando autem Principes congruum iudicaverint quædam feſta celebrari ob aliquam gravem neceſſitatem, & ad implorandum divinum auxilium, petere debent a Paſtore eccleſiaſtico, ut ea indicat.

CAPUT VIII.

Quam obligationem præceptum obſervandi dies feſtos imponat; & quando eiuſmodi obligatio incipiat.

I. PRæceptum ſervandi dies feſtos obligat ſub mortali, etiam præciſo ſcandalo, & contemptu. Hæc aſſertio certa eſt; & contrariam propoſitionem proſcripſit Innocentius XI. quæ eſt eiuſmodi: *Præceptum ſervandi feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.* Caramuel in ſua Theologia Regularium *diſp.* c11. hæret, & ſubdubitat, an quinque Eccleſiæ præcepta obligent ſolum ſub pœna, & non ſub culpa: atque plures Doctores refert pro opinione affirmante, quinque Eccleſiæ præcepta pœnæ tantum, non culpæ adſtringere fideles. Sed, quæ hac de re diſputat Caramuel, nos in tractatu de legibus ad examen revocabimus. Nunc ſufficiat innuere, præceptum ſanctificandi feſta ex univerſali fidelium perſuaſione obligare ſub mortali. Hæc enim res facti eſt. In quæſtione autem facti evidentiam conſtituit teſtium multitudo. Cum itaque omnes fideles per orbem diffuſi in hoc conveniant, quod detur talis gravis obligatio ſervandi feſta; conſequitur, certiſſimam eſſe eiuſmodi obligationem. Vide ea quæ dicta ſunt *cap.* 1. *num.* 7. adverſus hæreticorum errores.

II. Quæres, *quo tempore incipiat dici feſti obligatio?* Reſp. Hanc quoque eſſe quæſtionem facti, in qua experientiæ, ſeu conſuetudini ſtandum eſt. Porro reipſa conſtat, præceptum ſervandi feſta, & ieiunia a media nocte incipere, & durare uſque ad alteram mediam noctem proxime ſequentem. Quæ certe conſuetudo & facilior eſt ad ſervanda feſta, & etiam rationabilior videtur, præcipue ut Chriſtianorum ritus diſtinguatur a ritu Iudæorum, qui a veſpera uſque ad veſperam ſervant ſabbata ſua. Nil tamen impedit quominus Pontifex pro univerſa Eccleſia, & Epiſcopus pro ſua diœceſi, valeant feſta præcipere vel a veſpera uſque ad veſperam, vel ab aurora uſque ad meridiem, vel a meridie uſque ad veſperam. Hæc enim determinatio eccleſiaſtica eſt, quæ, gravi occurrente cauſſa, mutari optime poteſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De iis qui ad obſervandos dies feſtos tenentur : & potiſſimum de advenis, viatoribus, peregrinis, & vagis variæ quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. Omnes fideles utriuſque ſexus, cum rationis uſu potiuntur, ad obſervandum præceptum de feſtorum ſanctificatione obſtrictos eſſe, vix eſt qui in dubium revocet. Tempus quo pueri uſum rationis aſſequuntur, eſt ſeptennium præterpropter. Quare, ſi ante ſeptennium rationis lux menti puerorum affulgeat, ut in optime educatis, & acri ingenio præditis uſuvenire ſolet, hi feſtorum præcepta obſervare obligantur; ut communiſſima Doctorum ſententia docet. Ratio evidens eſt: quia lex, ſeu præceptum eſt vinculum rationis, ut inquit Angelicus *quæſt.* XVII. *de verit. art.* 3. Ergo, quandocumque ratio adeſt, lex ligat. Si autem, ſeptennio expleto, dubium occurrat, an rationis radius ſplendeat, tenetur puer ad obſervationem diei feſti: quia in dubio tutior pars eſt eligenda. Et ſi, ſeptennio nondum expleto, ſigna non levia appareant diſcretionis, cogendi ſunt pueri ad Miſſam audiendam; ut docent Auctores graviſſimi.

II. Infantes, uſu rationis deſtituti, cum non ſint legis capaces, pariter non ſunt præcepto ſanctificandi feſta adſtricti: idemque dicendum de omnibus amentibus. Infideles quoque ab hoc præcepto ſoluti ſunt. Quandoquidem, cum non ſint Eccleſiæ membra, nec Eccleſiæ legibus ſubiiciuntur, neque in rebus Eccleſiæ poſſunt communionem habere. De his D. Paulus *I. Cor.* v. inquit: *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, iudicare? Nonne de iis qui intus ſunt, vos iudicatis? Nam eos qui foris ſunt, Deus iudicavit.* Qua de cauſſa nec catechumeni huic præcepto obnoxii ſunt. Ad Miſſam iſti admittuntur uſque ad offertorium; diciturque Miſſa catechumenorum: ſunt enim & iſti extra Eccleſiam.

III. Quæſt. I. *An peregrini teneantur celebrare feſta ſuæ patriæ, ſeu territorii, & diœceſis?* Reſp. Feſta in duplici genere conſiderari poſſunt. Alia ſunt quæ ab univerſa Eccleſia obſervantur, ad quæ celebranda omnes, & ubique tenentur. Alia ſunt propria alicuius territorii, ſeu diœceſis. Nomine quoque peregrinorum non intelligimus vagos, qui nullibi proprium domicilium habent. Iſti enim tenentur ad feſta locorum in quibus reperiuntur. Neque ſermo eſt de iis qui domicilium mutarunt: quoniam iſti, non peregrini, ſed incolæ dicuntur. Peregrini, ſeu viatores ii reputantur qui extra proprium territorium, ſeu diœceſim per modum tranſitus verſantur. Iſtos autem ad feſta ſuæ patriæ non teneri, probabilior ſententia eſt: quam communiter tam Iuriſtæ, quam Theologi docent; quæ etiam

pro-

probatur ex conſtitutione Bonifacii VIII. *in* VI. *Decret. cap. Ut animarum*, ubi Pontifex ſtatuit, ſurantes extra diœceſim propriam non ſubeſſe excommunicationi latæ ab Epiſcopo in fures ſuæ iuriſdictioni ſubiectos, his verbis. *Statuto Epiſcopi, quo in omnes qui furtum commiſerint, excommunicationis ſententia promulgatur, ſubditi eius extra eius diœceſim exiſtentes, minime ligari noſcuntur; cum extra territorium iuri dicendi non pareatur impune*. Ex quo clare colligitur, viatores, extra propriam diœceſim in tranſitu permanentes, ſubiectos haud eſſe legibus propriæ diœceſis. Ratio autem ſatis clara videtur. Quoniam inſtitutio feſti diei in aliquo territorio directe non afficit perſonas, ſed loci illius bonum ſpectat; quatenus vel ob beneficium quodpiam illi a Deo collatum, vel ut quempiam favorem, gratiamque a Deo incolæ impetrent, cultum religioſum tali die Deo rependendum Epiſcopus decernit. Ergo præceptum eiuſmodi obligat dumtaxat homines tali in loco verſantes. Ex quo evaneſcit adverſæ ſententiæ argumentum, videlicet peregrinos, & viatores ſubditos eſſe propriis Epiſcopis, etiam extra patriam ſuam exiſtentes. Nam verum eſt eſſe ſubditos illis; ſed, cum præceptum ſervandi præfata feſta in ipſos immediate latum non ſit, eidem non ſunt obnoxii. Quod autem opponi ſolet, hinc abſurda conſequi, nempe peregrinos iſtos nec feſtis ſuæ patriæ, nec feſtis alterius territorii ſubiectos fore, ſtatim reſolvemus.

IV. Quæſt. II. *An peregrini teneantur obſervare feſta, & ieiunia illius loci ubi ſunt in tranſitu?* Reſp. Teneri. Quod probo auctoritate Auguſtini *Lib. III. confeſs. cap.* VIII. & refertur cap. *Quæ contra* diſt. XII. *Quæ contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt; ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens*. Sed lubet referre aliud Auguſtini teſtimonium, quo clarius aſſertio evincitur: & habetur *epiſt.* CXVIII. inſertumque eſt *diſt.* XII. *cap.* Illa &c. *Nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quam ut eo modo agat quo agere viderit Eccleſiam, ad quamcumque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos vivitur, ſocietate ſervandum eſt. Mater mea, Mediolanum me ſecuta, invenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem, cœperat fluctuare, quid ageret. Tunc ego conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. At ille ait: Cum Romam venio, ieiunio ſabbato; cum Mediolani ſum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cum Matri retuliſſem, libenter amplexa eſt*. Hoc ſolum Ambroſii, & Auguſtini teſtimonium ſufficere deberet pro evidenti quæſiti deciſione. Rationem tamen ad maiorem manifeſtationem addere volo. Quamvis viatores, & peregrini abſolute ſubditi ſint Epiſcoporum propriæ patriæ reſpectu & gradus ſeu dignitatis aſſequendæ, & aliarum

Digitized by Google

rum actionum ; nil tamen impedit quominus ſubdantur Epiſcopis locorum ubi conſiſtunt , in iis legibus quæ bonum commune , & politiam exteriorem talium diœceſeon ſpectant. Quin hæc advenarum ſubiectio neceſſaria prorſus eſt & bono regimini , & morum integritati talis loci. Nonne magna foret perturbatio, ſi dum incolæ abſtinent a carnibus, ab operibus, & ſacra audiunt, Deoque vacant ; advenæ e contrario ſacra negligerent , carnes manducarent , & operibus vacarent mechanicis? Nonne ii qui vel hoſpitalitatis, vel amicitiæ cauſſa advenas exciperent, magna perferrent offendicula , & in occaſione periculoque non levi reperirentur, ſimul cum advenis propria violandi feſta , & ieiunia? Quare Epiſcopi iure animadvertunt in viatores, ſua ſive feſta, ſive ieiunia præſcripta non ſervantes. Qua ſiquidem poteſtate valent in bonum ſpirituale ſui gregis ſtatuta condere; eadem punire valent eos omnes qui ſuo gregi ſcandalo ſunt, eumdemque operum pravitate a divino avocant cultu. Quæ omnia vi univerſalis conſuetudinis fulciuntur. Intimo enim ſenſu fideles omnes ſe ſe obnoxios reputant legibus locorum in quibus verſantur, etiam in tranſitu. Et profecto, ſi Principes laici poteſtate fruuntur ferendi leges, quibus advenæ , peregrini , viatoreſque omnes ſubiiciantur ; & refractarios reipſa plectunt, quoniam hoc confert in bonum , & pacem Reipublicæ : qua ratione ſimilem poteſtatem denegabimus Præfectis eccleſiaſticis pro bono ſpirituali ſuarum reſpective diœceſum ? Hæc ſententia in hac amplitudine communiſſima eſt : & contrariam opinionem, aſſerentem peregrinos legibus locorum non devinciri, niſi animum habeant perpetuo ibi manendi, iure improbabilem vocat Suarez *Tom. I. de Relig. cap.* XIV. *num.* 2.

V. Quæſt. III. *An ſcholares, milites, mercatores, mercenarii, ſimileſque teneantur ſervare feſta, & ieiunia illius civitatis in qua maiore anni parte verſantur?* Reſp. iſtos omnes ſubditos eſſe legibus illarum civitatum in quibus commorantur : non ſolum quia , licet hac diuturna permanſione non acquirant domicilium abſolute, acquirunt tamen quaſi domicilium , ut aiunt ; ſed præcipue ob rationes adductas in ſuperiore paragrapho. Et hæc ſententia non modo probabilior , ſed communiſſima eſt.

VI. Quæſt. IV. *An peregrini, qui unum, duos , aut tres tantum dies commorantur in aliqua civitate, teneantur ſervare ieiunia, & feſta eiuſdem?* Reſp. Negant non pauci Theologi : & hanc aſſignant rationem : quia ſolum ad feſta particularia tenentur qui ſunt ſubditi Epiſcopi diœceſani , & incolæ dicti loci : ſed ſimiles peregrini non ſunt ſubditi Epiſcopi, cum eos nequeat ordinare, aut confirmare &c. ergo ad dicta feſta non tenentur . Quanti facienda hæc ratio ſit , Salmanticenſes *tract.* XXIII. *punct. 9. §. 3. num.* 181. declarant his verbis. „ Licet advenæ per aliquot dies commorantes non fiant ſubditi Epiſcopi quoad alios effectus, bene tamen quoad obligationem diei feſti , & ieiunii. Tum a priori : quia hæc ſubie-

„ ctio

„ ctio eſt neceſſaria ad bonum regimen proprii gregis.„. Tum a poſteriori: quia, ut „ ſupra vidimus, licite Epiſcopi advenas prædictos non ſervantes feſta punire poſſunt." Cum itaque advenæ ſubiecti ſint legibus loci in quo verſantur; licet nec domicilium, nec quaſi domicilium habeant: hanc ſubiectionem limitare, aut extendere minime poſſumus per maiorem vel minorem moram. Nec maior vel minor permanentia confert iuriſdictionem uni, & alteri ſubiectionem. Quoties ergo advenæ commorantur in aliquo loco, tempore apto, & congruo ad obſervandum feſtum, vel ieiunium; toties tenentur ad eorum obſervationem. Et quia unicus dies tempus aptum eſt ad obſervationem feſti, vel ieiunii; qui unico die commorantur in civitate, ad eiuſdem feſti, vel ieiunii obligantur obſervantiam. Nonne ſtatim ac aliquis exiit ex proprio territorio, ſolutus eſt a legibus talis territorii? Nonne hic perperam maior aut minor mora opponeretur? Ergo idem dicendum de permanentia alicuius in extranea civitate. Debet enim eſſe æqua conditio abſentiæ, & præſentiæ; & qui ſentit commodum, debet ſentire & incommodum. Quæ omnia confirmari poſſunt hac hypotheſi, quod feſtum in utroque loco, tum tranſitus, tum domicilii, ex peculiari ſtatuto obſervaretur. An tunc advena ſolutus eſſet ab obligatione? Neque adverſarii audent id concedere. Qua ergo lege teneretur obſervare feſtum iſtud? Non lege ſuæ patriæ, a qua abeſt: non lege generali Eccleſiæ, quæ nulla eſt. Teneretur ergo lege illius loci in quo verſaretur. Quo dato, conſequitur, advenam hunc obligari ad feſti obſervationem; etiamſi nulla foret lex in ſua patria de tali feſto. Anne lex loci ſui domicilii ſubditum cum conſtituit Epiſcopi alterius diœceſis? Hinc inferendum eſt, potiori iure obligari ad ſervanda feſta, & ieiunia qui per hebdomadam, aut menſem in aliena verſantur civitate. Et hanc noſtram ſententiam, ut probabiliorem, & communiorem, defendunt vel ipſi benigniores Caſuiſtæ, quorum caput eſt Leander *de præc. Eccl. tract.* I. *diſp.* III. *quæſt.* XXI. qui cum pluribus aliis huic accedit.

VII. Quæſt. V. *An peregrini teneantur obſervare feſta, & ieiunia locorum, ubi commorantur dumtaxat vel tempore prandii, vel cœnæ, ſimulque pernoctantes, in craſtinum diſceſſuri?* Reſp. teneri, ſi tempore quo commorantur, occurrat opportunitas congrua pro præcepti obſervatione: nimirum, ſi occaſio fuerit comedendi, debent a carnibus abſtinere. Si fuerit dies feſtus, & dormierit quis in illo loco, ac mane diſcedere velit, brevi perventurus ad locum, ubi feſtum non eſt; Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* XIV. *num.* 23. aſſerit illum non teneri ad Miſſam audiendam. Leander autem loco citato *quæſt.* XXIII. docet, advenam iſtum debere audire Miſſam, cui ſubſcribo. Ex doctrina ipſius Suarez hoc evincitur. Probat ſiquidem loco laudato *num.* 18. & 19. peregrinos obnoxios eſſe legibus loci, non ex maiori, vel minori mora; ſed quia revera ſubditi ſunt eiſdem legibus: aitque ſatis eſſe ad obligationem, ut commorentur tempore apto pro præcepti obſervatio-

Digitized by Google

tione. Cum itaque aliquis mane audire Miſſam commode poſſit; qua ratione a tali onere excuſabitur? Si autem toto tempore matutino in eodem loco verſaretur; teneretur ad Miſſam audiendam, etiam ſecundum Suarez. Idemque dicendum cenſet, etiamſi ſummo mane diſcederet, quoties feſtum illud ſervaretur in toto territorio, per quod uſque ad meridiem iter acturus eſſet: quoniam revera militat eadem ratio, ac ſi in loco in quo pernoctavit, moratus eſſet. Qui vero nullo modo commorantur in tali loco, ſed ſolum illac tranſeunt, non adſtringuntur intercipere iter, ut Miſſam audiant; quemadmodum communiter docent Auctores.

VIII. Quæſt. VI. *An incolæ, egredientes ſummo mane de proprio loco, ubi eſt dies feſtus, iter acturi ad loca in quibus feſtum non eſt, teneantur ante diſceſſum Miſſam audire?* Reſp. obligari: quia præceptum audiendi Sacrum eſt adfirmativum, & ad actum unum potiſſimum obligat: ergo impleri debet, cum facultas ſuppetit. Exiſtens enim in loco eiuſdem loci præcepto ligatur; & cum urget, implere tenetur, ſi poteſt. Summo mane præceptum urget, & obligat; adeſtque facultas illud obſervandi. Ergo ad obſervationem tenetur. Quod autem quidam diſtinguunt de una, & pluribus Miſſis, inquientes: Si plures ſint Miſſæ celebrandæ in tali loco uſque ad meridiem, tum non obſtringitur; obſtringitur vero, ſi una tantum Miſſa ſit celebranda: hoc ſane mihi videtur ineptum commentum. Quin, quo plura celebrantur Sacra, eo maior eſt implendi præcepti opportunitas. An poſtea caſu quo Miſſa non celebraretur, niſi circiter meridiem, deberet egreſſurus e loco expectare toto mane; nimis durum reputat Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap. XV. num.* 10. ad tantam obligationem iſtum adſtringere. Si vir egreſſurus pauper ſit; graveque incommodum patiatur, toto illo tempore expectans celebrationem Sacri; excuſatione dignus videtur, ſi non audiat: ſecus dicendum de iis qui titulo gravis incommodi excuſari nequeunt. Ceterum in ſimilium caſuum genere Parochi locorum conſulendi ſunt, ut pro circumſtantiarum varietate, quid & conſuetudini, & religioni congruum ſit, decernere valeant.

IX. Quæſt. VII. *An licitum alicui ſit diſcedere e propria civitate, ſeu territorio, in quo eſt præceptum diei feſti, vel ieiunii, hac expreſſa intentione non ſervandi præceptum eiuſmodi, cum ad locum pervenerit in quo non urget?* Reſp. Sublata neceſſitatis cauſſa, minime licet egreſſus iſte. Quoniam, cum in aliqua civitate ſive feſtorum, ſive ieiuniorum præcepta inſtituuntur, & a Clero, populoque acceptantur; omnes incolæ ſincero animo ſe ſe obſtringunt præceptorum obſervationi. Et quamvis præcepta non ferantur in illam, vel in iſtam perſonam; ſed directe ſpectent bonum communitatis; nihilominus cives omnes, ut hoc communitatis bonum promoveant, deliberato conſenſu præcepta feſti, vel ieiunii ſuſcipiunt. Nec præcepta in loca materialia, quæ legum capacia non ſunt, feruntur; ſed regimen,

men, diſciplinamque exteriorem inſpiciunt. Hæc porro diſciplina ſine populo conſiſtere nequit. Populus ergo eſt qui legem implere debet.

X. Populus utique, repones, non autem ſinguli cives. Diſtinctio iſthæc vana eſt. Præceptum indiſcriminatim omnes, & ſingulos obligat; nec unum magis præ alio ligat: immo, ut extra diſputationem poſitum ſupponimus, abſolute obligat omnes; quod de permanentibus in civitate etiam adverſarii concedunt. Obligat, inquiunt, permanentes; ſed non obligat ut permaneant. Verba ſunt hæc. Nam in inſtitutione legis omnes, nulla facta diſtinctione, obligati ſunt: quæ ſane obligatio in poſteros permanat, ut ſupponimus. Solum ergo prudenter interpretari poſſumus, præceptum non ligare, quando iuſta diſcedendi cauſſa occurrat. At quod incolæ exire idcirco, & hac expreſſa intentione velint, ut legis obſervantiam evadant; hoc, mea quidem ſententia, eſt illudere legi, Deumque, cui promiſſio facta eſt, irridere. Nec dici valet, incolas iſtos uti iure ſuo. Quoniam ius iſtud abſolute ſuppoſuerunt obſervationi præcepti iam tum cum inſtitutum fuit: & ſolum benigna, prudenſque interpretatio eos a vinculo obligationis ſolvit, dum iuſta aliqua egrediendi ratio urgeat. Hoc, & non plus, animi rectitudo, bona fides, & ſinceritas agendi permittunt: cui ſane ſinceritati, & bonæ fidei adverſatur expreſſa intentio alio abeundi, ut iugum factæ promiſſionis excutiatur. Sententiam hanc defendunt Sylveſter *verb.* Ieiunium *quæſt.* 11. Layman *Lib. I. tract.* IV. *cap.* XI. *num.* 9. Sayrus *Lib. VII. clav. Reg. cap.* VII. *num.* 12. Ledeſma *de Matrim. diſp.* XXI. Rebellus *de iuſ. & iur. Part. II. Lib. II. quæſt.* VII. *ſect.* 3. *num.* 16. Leſſius *de iuſt. Lib. IV. dub.* 8. & plures alii, quos brevitatis gratia omitto.

XI. Quæſt. VIII. *An Regulares exempti ſubiecti ſint obſervationi feſtorum quæ ab Epiſcopo, vel diœceſana Synodo indicuntur?* Reſp. Regulares tenentur obſervare feſta quæ pro univerſa diœceſi ſunt ab Epiſcopo indicta. Id aperte declarat, & præcipit Tridentina Synodus ſeſs. XXV. cap. XII. *Dies autem feſti quos in diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, obſerventur.* An poſtea teneantur Regulares obſervare feſta quæ pro uno tantum oppido, vel civitate, ex voto populi, Epiſcopo approbante, ſunt introducta, diſputant in utramque partem Theologi. Eorum mihi videtur probabilior opinio qui adfirmant, eoſdem Regulares teneri etiam ad eiuſmodi feſta. Primo quia Tridentinum abſolute iubet, Regulares ſervare feſta quæ Epiſcopus in ſua, non pro tota ſua, diœceſi præceperit. Feſta quæ conſuetudine iuſta invecta ſunt, ſin expreſſo mandato, conſenſu tamen Epiſcopi præcepta ſunt. Nec videtur maior ratio de primis ac de ſecundis. Secundo, quia populi idcirco Regulares in ſuas civitates introducunt, ut Deo ſacrificia immolent, ut veniam a divina miſericordia implorent, ut laicis exemplo ſint in divino cultu. Non autem virtutis exemplum, ſed mali ſpeciem, occaſionemque præberent, ſi eo ipſo tempore quo cives feriati Deo

va-

vacant, illi terrenis operibus indulgerent. Quapropter vel ipſi contrariæ ſententiæ patron Regulares hortantur ut in feſtorum celebratione ad populum ſe ſe conforment. Vix enim in praxi ſecus ſe gerere poſſunt abſque ſcandalo. Regulares quoque advenæ, ſeu hoſpites tenentur ſervare feſta locorum ubi in tranſitu commorantur; quemadmodum dictum eſt de laicis: quoniam eadem de his ac de illis ratio eſt.

XII. Quæſt. IX. *An Epiſcopus teneatur ſervare feſta, & ieiunia quæ populo ſuo ipſe imponit?* Reſp. Epiſcopi, & omnes legiſlatores ſubditi ſunt legibus quas ferunt in ſubditos pro bono communi Reipublicæ. Id docet D. Thomas 1. 2. quæſt. XCVI. art. 5. ad 3. *Quantum ad vim directivam legis Princeps ſubditur legi propria voluntate; ſecundum quod dicitur extra de conſt. cap. Cum omnes, quod quiſque iuris in alterum ſtatuit, ipſe eodem iure uti debet. Et Sapientis dicit auctoritas: Patere legem quam ipſe tuleris.... Improperatur etiam his a Domino, qui dicunt, & non faciunt; & qui aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea movere, ut dicitur Matth.* XXIII. *Unde quantum ad Dei iudicium Princeps non eſt ſolutus a lege, quantum ad vim directivam eius.* Divi Thomæ ſententiæ ſubſcribunt communiter Theologi.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE OPERIBUS A QUIBUS ABSTINERE DEBENT FIDELES FESTIS DIEBUS.

CAPUT I.

Quæ ſint opera ſervilia in diebus feſtis probibita, declaratur.

I. PRæceptum ſanctificandi feſta, ut iam indicatum fuit, adfirmativum ſimul, & negativum eſt. Prout adfirmans, cultum Deo exhibendum præcipit; de quo diſſertatione ſequenti: ut negans, ab operibus vacare iubet; de quo in præſentia. Opera quæ diebus feſtis prohibentur, ſervilia nuncupantur. *Omne opus ſervile non facietis in eo.* Lev. cap. XXIII. Hoc textu omnia fere opera corporalia interdicebantur Iudæis, nedum mere ſervilia. Hæc tamen prohibitio haud erat pro omnibus feſtis æqualis. Pro obſervatione ſabbati adeo ſevera, & generalis erat, ut ipſis nec cibos coquere, vel præparare liceret; ſed id fiebat die præcedenti, qui propterea paraſceve, ut pluribus viſum eſt, dicebatur. In ceteris autem feſtivitatibus vetitum minime erat ignem accendere, cibos præparare, idque genus ſimilia; ut habetur *Exod. cap.* XII. de die prima, & ultima azymorum: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent.* Quin nec in ipſo ſabbato omnia omnino opera corporalia prohibita Iudæis erant. Nam poterant iter agere ad certos limites, eaſque corporales actiones exercere quæ anteverti nequeunt; ut animalia ducere ad aquæ porum, eadem e fovea ſubducere, ſi opus fuiſſet. Porro Chriſtianis non ſolum hæc, ſed plura alia ad uſum corporis neceſſaria conceduntur. Quare ſeverior erat Iudæis ſabbati, quam ſit Chriſtianis diei dominici obſervatio. Diſcriminis ratio eſt. Iudæis omnia ſub figurarum velamine contingebant: & quia ſabbatum Dei ceſſationem ab omni opere repræſentabat; ideo tam ſevere otium illud præcipiebatur. Secus accidit in lege gratiæ, in qua figuræ, & ſymbola impleta ſunt. Hæc omnia egregie perſequitur D. Thomas 2. 2. quæſt. CXXII. art. 4. ad 4. *Nec huiuſmodi* (ſcilicet diei dominicæ) *obſervatio figuralis eſt, ſicut fuit obſervatio ſabbati in veteri lege. Et ideo non eſt ita arcta prohibitio operandi in die dominica, ſicut in die ſabbati; ſed quædam opera conceduntur in die dominica quæ in die ſabbati prohibebantur; ſicut decoctio*

Digitized by Google

ctio ciborum, & alia huiuſmodi : & etiam in quibuſdam operibus prohibitis facilius propter neceſſitatem diſpenſatur in nova quam in veteri lege : quia figura pertinet ad proteſtationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet ; opera autem ſecundum ſe conſiderata immutari poſſunt pro loco, & tempore.

II. Explicandum nunc ſupereſt, quænam opera corporalia hoc præcepto prohibeantur. Certum namque eſt ſola corporalia, & externa opera prohiberi ; non autem omnia, ſed tantum ſervilia. Porro ſervilis operis notionem prodit D. Thomas 2. 2. quæſt. cxxii. art. 4. ad 3. *Servitus eſt qua homo ſervit homini. Eſt autem homo alterius ſervus, non ſecundum mentem, ſed ſecundum corpus.... Et ideo opera ſervilia ſecundum hoc dicuntur opera corporalia, in quibus unus homo alteri ſervit.* Duplex ergo in homine operum genus, ſervilium nimirum, & liberalium. Opera ſervilia ex relata doctrina Angelici ea ſunt quæ, licet ab anima, tamquam a principio, proveniant, organo tamen corporeo exercentur, & per ſe corporis commoditatibus inſerviunt, & per ſervos fieri ſolent, ideoque ſervilia nuncupantur, ut terram colere, domos ædificare, artefacta conſtruere. Contra, opus liberale a mente procedens, & ſæpe ab organo corporeo pendens, eo proxime tendit, ut mentem illuminet, animumque excolat ; ut docere, prædicare, legere, ſcribere, & ſimilia.

III. Triplex opus ſervile diſtinguit D. Thomas : nimirum religioſum, quod famulatum Deo præſtat ; peccaminoſum, quo homo peccato inſervit, & dæmoni ; & humanum, quo homo homini ſervit. Hæc ſunt verba Angelici 2. 2. quæſt. cxxii. art. 4. ad 3. *Eſt autem triplex ſervitus. Una quidem qua homo ſervit peccato, ſecundum illud :* Qui facit peccatum, ſervus eſt peccati *: & ſecundum hoc omne opus peccati dicitur ſervile. Alia vero ſervitus eſt qua homo ſervit homini.... Tertia autem eſt ſervitus Dei : & ſecundum hoc opus ſervile poſſet dici opus latriæ, quod pertinet ad Dei ſervitium. Si autem ſic intelligatur opus ſervile, non prohibetur in die ſabbati : quia hoc eſſet contrarium fini obſervationis ſabbati.* Videndum nunc ſupereſt, quænam opera ſervilia ex iis quæ enumerata ſunt, hoc præcepto prohibeantur.

CAPUT II.

An per peccata mortalia diebus feſtis perpetrata, eorumdem feſtorum præceptum graviter violetur; ac teneatur Chriſtianus in confeſſione ſacramentali exprimere, ſe in die feſto peccaſſe.

I. INter propoſitiones ſuperiori diſſertatione capite ſecundo recenſitas, quæ non paucis nimium redolere rigorem videntur, hæc una eſt, quam iſthuc tranſcribere lubet. „ Præceptum de ſanctificatione ſpiritali ſabbati magis violare cen„ ſentur qui dominicis, aut feſtis diebus letale peccatum committunt, quam qui „ quodvis opus corporale, alias bonum, & licitum, faciunt. " An doctrina iſthæc nimiam ſapiat ſeveritatem, aperiendum eſt. Atque, ut pro dignitate graviſſima quæſtio, in qua de commiſſione novi peccati mortalis ſermo eſt, enucleetur, ea quæ extra diſputationis aleam ſunt poſita, ab iis quæ in controverſiam revocantur, ſecernamus oportet.

II. In primis Theologi omnes, tum veteres, tum recentiores, adfirmant, peccata mortalia exterius commiſſa in diebus feſtis graviora eſſe, & quamdam irreverentiam præcepto irrogare. Verum an hæc maior malitia mortalis ſit, & alterius ſpeciei, & ex neceſſitate in confeſſione manifeſtanda, vel venialis dumtaxat, acriter in utramque partem Theologi diſputant. Antequam meum ſuper hac re iudicium profero, utriuſque partis momenta producam, & expendam. Atque ut a ſanctis Doctoribus initium ducam, certum videtur, antiquos Theologos, ipſoſque Patres, qui controverſiam hanc tractarunt, docuiſſe, peccatum mortale in die feſto perpetratum novam, graveinque inducere malitiam ſpecie diverſam, neceſſarioque in confeſſione exprimendam. Sanctorum Doctorum verba omnium primum exſcribo.

III. Auctor libri de vera, & falſa pœnitentia, quem ſancto Auguſtino adiudicat Gratianus, de circumſtantiis in confeſſione patefaciendis loquens, diei feſti, in quo peccatum eſt, exprimendam aſſerit circumſtantiam: & refertur diſt. v. de Pœnit. can. 1. *Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeverantia, in varietate perſonæ . . . Si in loco ſacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut ſunt domus dominorum, & aliorum multorum. Si in tempore orationi conſtituto, an in feſtivitate Sanctorum, & in tempore ieiunii. Conſideret quantum peccaverit, & defleat . . . Omnis iſta varietas confitenda eſt, & deflenda.*

IV. S. Auguſtinus in Pſal. XXXII. conc. 1. *Obſerva diem ſabbati, non carnaliter, non*

non iudaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utique tota die foderent quam tota die ſaltarent.

V. D. Ambroſius in Lucam XIII. ſuper illud, *Archiſynagogus indignans, quia ſabbato curaſſet Ieſus*, inquit: „ Lex in ſabbato non hominem curare, ſed ſervi„ lia opera facere, ideſt peccatis gravari prohibet: " Et habetur in gloſsa ordinar. ibid. . . Item gloſs. Marc. I. & III. *Si licet ſabbatis bene facere?* inquit: „ Opus ſervile peccatum eſt, a quo Chriſtus nos docet ſabbato abſtinere. "

VI. S. Thomas 2. 2. quæſt. CXXII. artic. 4. *Quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati quam per opus licitum, quamvis ſit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die feſto quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde S. Auguſtinus dicit in Lib. de decem chordis:* Melius faceret Iudæus in agro ſuo aliquid utile, quam ſi in theatro ſeditioſus exiſteret; & melius feminæ eorum die ſabbati lanam facerent, quam quod tota die in neomeniis ſuis impudice ſaltarent. *Non autem qui peccat venialiter in ſabbato, contra hoc præceptum facit: quia peccatum veniale non excludit ſanctitatem.*

VII. Hanc eamdem doctrinam conceptis verbis docet Catechiſmus Concilii Tridentini Part. III. de tert. præcept. num. 21. *Facile enim perſpici poteſt omne ſervilis operis genus prohiberi, non quidem ea re quod ſua natura aut turpe, aut malum ſit; ſed quoniam mentem noſtram a divino cultu, qui finis præcepti eſt, abſtrahit. Quo magis peccata fidelibus vitanda ſunt, quæ non ſolum animum a divinarum rerum ſtudio avocant, ſed nos a Dei amore prorſus ſeiungunt?*

VIII. S. Antoninus II. Part. tit. IX. cap. VII. §. 2. *Feſtum violatur, & male celebratur ex triplici negligentia, ſeu defectu. Primo, quia non cavetur a defectibus criminalibus. Secundo, quia non inhæretur actibus ſpiritualibus. Tertio, quia non abſtinetur ab operibus manualibus. Quantum ad primum debet quis abſtinere a peccatis maxime diebus feſtivis, quia plus habent impedire mentem, ſi mortalia ſunt, a vacando Deo, quam opera manualia. Unde dicitur Levit.* XXIII. *de ſabbato, cui ſuccedunt feſta Eccleſiæ:* Omne opus ſervile non facietis in eo. *Sed opus ſervile eſt peccatum: dicit enim Chriſtus Ioan.* VIII. omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Peccatum ergo mortale commiſſum die feſto eſt multo gravius quam alia die. Nam ultra propriam deformitatem, puta furti, vel fornicationis, habet ſpecialem deformitatem ex illa circumſtantia temporis ſacri, qua feſtum violatur. Unde talis, ut dicit Nicolaus de Lyra ſuper Exod. cap. xx. non ſolum agit contra unum præceptum, ſcilicet,* Non mœchaberis, *aut illud*, Non furtum facies; *ſed etiam contra illud de ſanctificatione ſabbati.*

IX. Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in cap. XX. Exod. quæſt. XI. & XII. *Magis ſervile eſt opus peccati quam opus humani negotii. Magis celebritatem feſti infringimus in peccando, ut fornicando, & occidendo, quam alios labores agriculti-*

 vos

vos noſtris manibus exercendo . . . Ideo, licet ab utroque abſtinendum ſit, magis tamen ab iniquis operibus quam a corporalibus laboribus. Ex hoc ſequitur quod qui die dominica adulteratur, aut occidit, vel inebriatur, magis peccat quam ſi aliis diebus idem ageret: quia ſic tranſgreſſor eſt duplicis praecepti, ſcilicet, Non occides, *aut cuiuslibet alterius; & huius, ſcilicet quia non obſervat diem dominicum*.

X. Alexander Alenſis III. Part. quæſt. xxxi. memb. v. artic. 2. *Qui fornicatur die dominico, peccat duobus peccatis, ſecundum quod peccatum numeratur ratione reatus*.

XI. Concilia quoque non pauca hanc eamdem veritatem apertiſſime edocent: Concilium Lingonenſe hæc ſtatuit. *Homines utriuſque ſexus in feſtis debent plurimum eſſe intenti divinis, puta orando, eccleſiaſtica officia, & divina, ac ſermones verbi Dei audiendo, de Deo, & Sanctis loquendo. Et, ut his rebus melius poſſint intendere, debent abſtinere ab omni opere ſervili, & potiſſime a peccato: quia gravius peccat qui peccat in feſto, puta furatur, fornicatur, quam qui in aliis diebus hoc facit*. Concilium Eboracenſe anno 1576. *Ceſſare vero oportet Chriſtianum in die feſto maxime a vitiis, & peccatis: quoniam ſervire debet Deo, cui diſplicet omne peccatum*. Antonius Corduba laudat etiam Concilium Colonienſe anno 1536. celebratum. Audiamus Patres Salmanticenſes *tract.* xxiii. *cap.* 1. *punct.* ii. *ſ.* 2. *num.* 228. his verbis: *Ad id quod additur ex Concil. Colon. reſpondetur, non eſſe generale, ſed provinciale*. Næ egregia reſponſio? Conventus Epiſcoporum, & Paſtorum non eſt infallibilis. Pauci vero Caſuiſtæ, non ſimul congregati, ſed diſperſi, ſunt ne infallibiles? Concilium provinciale, licet non ſit œcumenicum, mea ſententia, prævalet mille Caſuiſtis. At de hoc alias.

XII. Hanc ſententiam, præter recenſitos Doctores, & Concilia, docent D. Bonaventura in III. diſt. xxxvii. *ſ.* 6. & 7. *A fortiori opera carnalia, & ebrietas, lites, & iurgia, quæ maxime repugnant ſpiritus libertati, ne homo Deo vacet, dicuntur, ſuntque opera ſervilia; & in hoc praecepto ſunt prohibita, potius quam opera mechanica, & quam negotia terrena, quæ animum diſtrahant, ne homo divinis intendat, ſecundum Auguſtinum de decem chordis*. His omnibus accedunt B. Albertus Magnus *in III. diſt.* xxxvii. Ioannes Gerſon *Alphab.* xxxi. Nicolaus Lyranus *in Exod.* xx. *& in Matth.* xii. Scotus *in III. diſt.* xxxvii. Gabriel *in IV. diſt.* xvii. *quæſt.* i. *concluſ.* 4. Hadrianus *in IV. de Conf. quæſt.* iv. *& in quodlib.* viii. *art.* 1. Angeſt *in Morali cap.* viii. Medina *de Conf. quæſt.* x. Ioannes Nyder *in 3. præcep. cap.* 1. *&* ix. Summa Angelica *tit. Confeſs.* 1. *ſ.* 22. *tit. Feriæ ſ.* 36. Summa Roſ. *tit. Confeſs.* 2. *ſ.* 7. Ambroſius Catharinus contra Caietanum *Lib. V. de ſacr. Conf.* Maior *in IV. diſt.* xvii. *quæſt.* iv. Natalis Alexander *Theol. Dogm. Lib. IV. reg.* v. Franciſcus Genettus *tractat.* iv. *de 3. præcept. quæſt.* ii. Henricus a S. Igna-

Digitized by Google

Ignatio in Ethica Amoris *Tom. II. part.* III. *cap.* III. Ioannes Pontas huic adhæret opinioni cum aliqua tamen limitatione in ſuo *Diction. Caſuum conſc. verbo*, *Dies domin.* Præ omnibus autem hanc propugnat ſententiam P. Antonius Cordubenſis Auctor ſatis gravis: eamque non modo omni argumentorum genere munit, ſed defendit quoque ab adverſariorum obiectis in ſuo *Quæſt. Theolog. Lib. quæſt.* VI. & concludit, hanc ſolam ſententiam omnibus antiquis Doctoribus, pluribuſque recentioribus probatam, amplectendam eſſe; contrariam vero, a paucis tantum neotericis invectam, reiiciendam.

XIII. Rationum quoque momentis ſatis validis evincitur ſententia hæc. Primo, quod omnis irreverentia, & iniuria ſive loco, ſive tempori ſacro impacta, præter propriam deformitatem, ſacrilegii malitiam induit. Sane furtum in templo commiſſum malitiam circumſtantiæ mortalem adſerre, communior eſt Doctorum, qui adverſæ etiam opinioni patrocinantur, conſenſus. At non minus diei feſti tempus quam locus Deo dicatus ſacrum eſt. Eadem itaque utriuſque ratio. Quod enim templum benedictione ſit conſecratum, ſecus tempus feſtum, nullam prodit diſcriminis rationem: cum reipſa ambo Deo ſint conſecrata; atque proinde ſancte tractanda. Secundo omne peccatum mortale externum [de interno enim haud eſt ſermo] magis quam quodvis opus mechanicum opponitur divino cultui: quem cultum Deo debitum potiſſimum hoc præcepto iuberi, teſtatur Catechiſmus Tridentinus loco laudato *num.* I. his verbis: *Hoc legis præcepto externus ille cultus qui Deo a nobis debetur, recte, atque ordine præſcribitur.* Quare male illud apponitur, quod finis legis non cadit ſub lege: quoniam verum habet de fine externo operantis, ſecus de fine ipſius operis. Neque negari poteſt, cultum externum hoc præcepto præſcribi. Et, quod fortius rem confirmat, eſt, quod, licet cultus hic directe a lege præſcriptus non eſſet; id tamen aperte prohibetur quod eidem cultui maximo eſt impedimento. Quis porro inficias iverit, peccatum mortale magis hominem efficere ineptum ad hunc cultum Deo rependendum quam opera mechanica ſervilia? Servile alioquin opus eſt ipſum etiam peccatum. Et, quamquam ſervitutem dumtaxat exprimat metaphoricam; parit tamen effectus illius veræ ſervitutis quæ a divino cultu homines avocat. Magis ergo quam cetera opera ſervilia vetitum eſt die feſto. Plures alias rationes miſſas facio.

XIV. Contrariam ſententiam recens invectam eſſe, ingenue fatetur Doctor eximius P. Suarez, cui tamen ipſe ſubſcribit *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* XVIII. *num.* 3. his verbis. „ Secunda opinio aſſerit, opus peccati ex eo tantum quod „ peccatum ſit, non contineri in materia huius præcepti, nec ex vi illius prohi- „ beri &c. *Hæc opinio non habet Auctores multum antiquos, ut vere notavit Cor-* „ *duba; habet tamen plures, & graves.* “ Eamdem opinionem docuit Caietanus

2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. & in *Sum. verb. Feſt.* Sotus *in IV. diſt.* XVIII. *quæſt.* II. *art.* 4. Almayn *in IV. diſt.* XVII. *quæſt.* I. Sylveſter *verb. Domin.* Armil. *verb.* Fer. *num.* 12. Navarrus *cap. Conſideret*. Trullenchus *Lib. VI. in Decal. cap.* I. *dub.* 6. *num.* II. Palaus *Tom. II. tract.* IX. *diſp. unic. punct.* 9. Bonacina *in Decal. diſ.* V. *quæſt.* I. *punct.* 2. §. 3. *num.* 3. Leander *de Pœnit. tract.* V. *diſ.* VIII. §. 8. *quæſt.* II. Dicaſtillus *tractat.* VIII. *de Pœnit. diſ.* IX. *dubit.* 8. *num.* 722. Salmanticenſes *tractat.* XXIII. *punct.* II. §. 2. aliique recentiores Caſuiſtæ.

XV. Iſtorum Scriptorum nemo quidquam præſidii pro hac opinione affert aut ex Patribus, aut ex ſacris Canonibus. Salmanticenſes dumtaxat loco laudato opponunt D. Thomæ auctoritatem ex *IV. Sentent. diſt.* XXXII. *art.* V. *quæſt.* II. ubi ait: *Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quod petere debitum in die feſtivo non eſt circumſtantia trahens ad aliam ſpeciem peccati. Unde non poteſt in infinitum aggravari. Et ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, ſi in die feſtivo debitum petat.* „ Ergo (inferunt laudati Patres) circumſtantia temporis feſti non mutat ſpe„ ciem peccati; nec eſt in confeſſione aperienda. “ Mirum ſane eſt potuiſſe Auctores iſtos talem obtrudere auctoritatem. Sermo nunc eſt, an peccatum mortale, non autem an opus bonum, aut indifferens, ſit contra præceptum de ſanctificandis feſtis. Petere debitum opus eſt coniugale, a quo, ut fideles abſtineant die feſto, Patres hortantur, ut expeditius Deo vacare poſſint. Si tamen petant etiam die feſto, Angelicus aſſerit, eos non peccare mortaliter, ſed venialiter. Si autem iuxta Patres, &, Angelicum præceptum colendi feſta onus imponit, ut ex decentia, & reverentia coniugati abſtineant ab actu matrimoniali; quiſque elicere hinc poteſt, quanto magis vi talis præcepti a peccatis omnes abſtinere debeant. Ceterum, ne de mente D. Thomæ ullus dubitandi locus remaneat, præter auctoritatem ex *Summa* ſupra depromptam, aliam iſthuc tranſcribo ex *opuſcul.* VII. in 3. præcept. Decalogi: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices:* ubi poſt enumerationem operum ſervilium quæ evitari debent die feſto, hæc ſubdit. *Quintò debemus cavere culpam. Hierem.* XVII. Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati. *Onus autem animæ, vel pondus malum, eſt peccatum. Pſalm.* XXXVII. Sicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. *Peccatum autem opus ſervile eſt: quia, ut dicitur Ioannis* VIII. qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. *Unde cum dicitur*, Omne opus ſervile non facietis in eo, *poteſt intelligi de peccato. Et ideo contra præceptum hoc facit quis, quando in ſabbato peccat: quia operando, & peccando Deus offenditur.* Ubique ergo ſibi conſtat Angelicus in aſſerendo peccatum, non ſecus ac aliud opus ſervile, præcepto ſanctificandi feſta adverſari.

XVI. Obiiciunt 2. Præceptum ſabbati non obligat per ſe ad non peccandum; ſed ſolum iubet nos Deum externo cultu colere, & abſtinere a ſervili opere.

Cul-

Digitized by Google

Cultus autem iſte in Miſſæ auditione conſiſtit. Nec plus præceptum Eccleſiæ imponit. Porro peccatum minime impedit Sacrum audire. Non ergo peccatum divini cultus præcepto opponitur. Reſp. Peccatum mortale prohibitum eſſe hoc præcepto: quia ſancte ſancta tractanda ſunt; & gravem irreverentiam irrogat tempori ſacro. Utique peccatum non impedit Miſſæ auditionem. At numquid non profanat tempus ſacrum? Numquid non conſtituit hominem ineptum ad vacandum Deo? Non eſt autem quod obtundant aures, finem præcepti non comprehendi ſub præcepto: iam etenim dictum eſt, id non ſemper verum eſſe, potiſſimum ſi ſermo ſit de fine operis, & ſpeciali, ac præcipuo, proximeque intento; ut apertiſſime docet Suarez *Tom. III. de Relig. diſp.* lxx. *ſect.* 2. *pag.* 854. *col.* 1. *ſub initium*. Et quamvis præceptum non ſemper iubeat finis aſſecutionem, vetat tamen ne quid contrarium iſti fini agatur.

XVII. Obiiciunt 3. Præceptum ſanctificandi feſta arctius non ligat in novo quam in veteri fœdere. At in lege ſcripta peccata vi præcepti de ſabbato cuſtodiendo haud erant prohibita. Ergo neque in lege gratiæ. Tandem concludunt Patres Salmanticenſes *num.* 226. his verbis. „ Ultimo, quia e contra hoc „ præceptum de feſtis ſanctificandis potius eſset in ruinam quam in ædificationem animarum; cum communiter peccata diebus feſtis committantur. " Nonne validum eſt hoc ultimum argumentum, quod frequentiſſime uſurpare ſolent recentiores Theologi, ut legem Dei humanæ fragilitati accommodent? Ex peccandi univerſali conſuetudine inferunt ſæpiſſime, legem non extare quæ peccata tam frequentia prohibeat. Quod quam ſit ineptum argumentandi genus, alibi oſtenſum eſt. Ad priorem vero obiectionis partem reſpondetur, minorem propoſitionem falſam eſse; ut ex iis quæ dicta ſunt, conſtat, & clarius iam iam fiet.

XVIII. Ex dictis hactenus duo colligas velim, quæ nulli ſunt dubitationi obnoxia. Primum eſt, Theologos communiter adfirmare, peccatum die feſto perpetratum novam contrahere malitiam; ſolumque inter ipſos diſſidium eſse, an mortalis ſit, aut venialis malitia iſthæc; ut iam indicatum eſt. Secundum eſt, Doctores antiquos, & ex recentioribus graviſſimos Theologos propugnare primam ſententiam. Heinc concludit Antonius Cordubenſis his verbis loco laudato: „ Quare hæc ſecunda (iuxta nos prima) opinio, utpote communis omnibus Do„ ctoribus antiquis, pluribuſque modernis, utique verior amplectenda eſt. Prima „ vero (ideſt ſecunda) utpote nonniſi paucis neotericis probata, ſed neque ſatis „ tuta, refutanda videtur. "

XIX. Tempus iam eſt ut hac de re noſtrum feramus iudicium, illudque eſt; antiquorum ſententiæ ſtandum eſſe. Et quia lis tota eſt, num malitia mortalis ſit, an venialis, cuius deciſio difficillima eſt; lubet ad Scripturarum tribunal il-

lam revocare. Nec enim aliunde melius quam ex Scriptura, quænam culpa letalis, quænam venialis ſit, colligi poteſt. Porro tum ex Scriptura inferimus, legis tranſgreſſionem eſſe mortalem, cum Deus tranſgreſſores pœnis addicit æternis. Tremenda autem ſunt ſupplicia illa quæ in feſtorum violatores Deus minatur. Antequam vero eiuſmodi recenſeamus, præcepti divini verba expendamus oportet. *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*. Quod ergo primum præſcribit, eſt ſanctificatio temporis ſacri. Deinde ceſſationem ab operibus imperat. Audiamus Angelicum 2. 2. quæſt. CXXII. art. 4. ad 3. *In obſervatione ſabbati duo ſunt conſideranda. Quorum unum eſt ſicuti finis; & hoc eſt ut homo vacet rebus divinis: quod ſignificatur in hoc quod dicit*, Memento &c. *Illa enim dicuntur ſanctificari in lege quæ divino cultui applicantur. Aliud eſt ceſſatio operum*. Quibus poſitis, iram, furoremque divinum adverſus ſabbati violatores deſcribamus. *Quæ eſt hæc res mala quam vos facitis, & profanatis diem ſabbati?* Eſdræ II. cap. XIII. *Neomeniam, & ſabbatum, & feſtivitates alias non feram. Iniqui ſunt cœtus veſtri. Calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta: laboravi ſuſtinens*. Iſaiæ cap. I. verſ. 13. *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum*. Malachiæ cap. II. verſ. 3. Unde, quæſo, tantum odii, moleſtiæ, & abominationis? Unde tanta ſuppliciorum ſeveritas? Forſitan quod Iudæi operibus manuariis feſta profanaverint? At neminem fugit, Iudæos ſumma religione, ne dicam ſuperſtitione, ut etiamnum videre licet, abſtinuiſſe ſemper diebus feſtis a manuum labore. Sua ergo feſta criminum perpetratione violabant, profanabantque. Porro, ſi profanatio iſta feſtorum levis fuiſſet; anne Deus tantum iræ, ac furoris oſtendiſſet, tantaque pœnarum ſeveritate ſe puniturum feſtorum profanatores minatus fuiſſet? Neque reponat quis, Deum in Iudæos non animadvertiſſe ob ſcelera tantum in feſtis commiſſa: quoniam Scriptura aperte teſtatur, Iudæos ſupplicia luiſſe ob ſabbata violata, ob feſta profanata, non manuum labore, ſed criminum, delictorumque perpetratione. Utique crimina quocumque tempore commiſſa divinam provocant vindictam: quia ſemper peccata Dei lædunt maieſtatem. At hinc legitime infertur, peccata, diebus cultui divino conſacratis perpetrata, graviorem multo & magis enormem induere malitiam. Quandoquidem tanta abominatione feſta peccatis polluta Deus deteſtatur, tantoque adverſus profanatores furore percitum ſe ſe prodit; ac ſi peccata profeſtis diebus commiſſa, in conſpectu ſcelerum temporis ſacri, peccata non eſſent. Ut quid, amabo, tam frequenter inclamaſſet Deus, ſe Iudæorum calendas odiſſe, ſibi moleſta eſſe, & peroſa, ſeque ſuper vultum eorum diſperſurum ſtercus illarum ſolemnitatum? Ut quid, inquam, tantum minarum, & ſuppliciorum, ſi levis dumtaxat extitiſſet iniuria feſtis diebus irrogata? Gravis ergo fuit feſtorum apud Iudæos profanatio: non quod opera mechanica exercue-

Digitized by Google

cuerint, ut certiſſimum eſt; ſed ob crimina iiſdem diebus perpetrata. Quare cuique ſerio perpendenti tum Scripturæ ſanctæ phraſes, quibus violati ſabbati profanatio exprimitur, tum antiquiorum Doctorum hac de re doctrinam, compertum erit atque exploratum, malitiam circumſtantiæ diei feſti, non venialem, ſed mortalem eſſe.

XX. Nihilo tamen minus, ut præcepti ſeveritatem, quoad fieri poteſt, deliniam, animadverto non omnia peccata, etiam mortalia, tempus feſtum, ſicuti nec locum ſacrum, graviter profanare. Excludimus namque omnia peccata interna, & plura etiam externa. Neque enim qui feſto die mentitur, in communi exiſtimatione cenſetur tempori ſacro gravem impingere iniuriam. Crimina, prout ex Patribus colligere fas eſt, diebus feſtis quammaxime contraria, ſunt ebrietates, rixæ, choreæ impudicitiæ, fornicationes, adulteria, idque genus ſimilia. Et ſane, ſi res ipſa uxoria, vix tempore ſacro culpæ expers eſt: quid de fornicationibus, & adulteriis dicendum?

XXI. Neque vexandi ſunt fideles (ut incidenter adverſariorum lemures diſpellamus) quod in præteritis confeſſionibus hanc temporis ſacri circumſtantiam omiſerint: quoniam in iis ſumus in quibus ignorantia excuſare valet. Propterea ſollicitandi minime ſunt, ut totam vitam revolvant, ut examen generale inſtituant, quo valeant has circumſtantias deprehendere: ſiquidem onus nimium grave foret, & plerumque ſpiritualem profectum impediret. Satis enim mihi eſſe videtur, ſi, dum alia confitentur peccata, ſimul exponant, ſe elapſo tempore frequenter diebus ſacris peccaſſe; nec debitum talem confitendi circumſtantiam hanc cognoviſſe: quapropter nunc ſe de omnibus confiteri, & de omnibus peccatis, diebus feſtis perpetratis, ſe ſummopere dolere. Ut autem impoſterum has omnes evitent anguſtias, aſſueſcant exponere ſtatum propriæ conſcientiæ, quomodo feſta ſanctificaverint, quem cultum Deo obtulerint, quæve crimina commiſerint. Quod ſi hæc pœnitentes ignorant, Confeſſariorum eſt eoſdem imbuere. Sæpe enim diminuta pœnitentium confeſſio ex ſacrorum miniſtrorum aut negligentia, aut ignorantia proficiſcitur.

CAPUT III.

De opere ſervili mechanico. Quot ſint mechanicæ artes, quæve die feſto prohibitæ.

I. DE opere ſervili criminoſo, in die feſto commiſſo, ſuperiore capite actum eſt: in præſentia vero de opere ſervili mechanico ſermo erit. Plures ſunt artes mechanicæ, quæ hoc verſu continentur.

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Rus agriculturam prodit, *Nemus* venatoriam, & piſcatoriam, *Arma* militarem; *Rates* navalem, *Vulnera* chirurgicam, *Lana* textrinam, & ſutoriam, pluresque alias id genus, *Faber* argentariam, ferrariam, carpentariam, ceteraſque ſimiles. Hæ omnes artes, ſi preſſe loqui velimus, mechanicæ ſunt, & ſerviles; quamvis aliquæ, ut militaris, & navalis, maiorem quamdam præferant dignitatem. Omnia opera vere ſervilia Chriſtianis prohibita eſſe feſtis diebus certum eſt; ſicuti certum eſt plura opera corporalia externa permiſſa eſſe in novo fœdere quæ in veteri prohibita Iudæis erant. Plura tamen ſub præfatis artibus continentur, de quibus, an ſervilia opera ſint, & die feſto vetita, non levis eſt inter Theologos difficultas. Nos brevitati ſtudentes ſequentibus quæſtiunculis omnia paucis ita expediemus, ut nihil quod diſcuſſione dignum ſit, omittamus.

II. Quæſt. I. *An pingere ſit opus ſervile die feſto prohibitum, ſive lucri, ſive recreationis, ſive addiſcendi gratia fiat?* Reſp. Negant Lopez *I. Par. inſtruct. cap.* III. Medina *Lib. I. cap.* XIV. Layman *Lib. IV. tract.* VII. *cap.* II. *num.* 3. aliique non pauci Caſuiſtæ, hac ratione nixi, quod pingere opus ſervile non ſit; cum pingere idem ſit ac ſcribere. Quare, ſicuti ſcriptura, ita neque pictura diebus feſtis vetita dicenda erit. Communior tamen Theologorum, immo & Caſuiſtarum, ſententia, mihi unice vera, docet, pingere, ſive pretii, ſive recreationis, ſive diſcendi gratia, eſſe opus ſervile die feſto prohibitum. Quoniam ars pingendi mechanica eſt, ut etiam adverſarii fatentur. Ergo eius actus ſerviles ſunt. Nam opus ſervile illud eſt quod arte mechanica dirigitur, & circa externam materiam occupatur, & per ſervos exerceri ſolet. Hac ratione ſculpere imaginem, vel ſtatuam eſt opus ſervile, ſicuti & pingere acu. Quod enim penicillo, vel ſcalpro, aut acu eiuſmodi artificialia efficiantur, nullum ingerit diſcrimen. Quod pariter pictura exerceatur vel pretii, vel voluptatis, aut addiſcendi gratia, rationem operis ſervilis haudquaquam immutat. Quapropter quocumque fine agatur, ſemper die feſto per ſe vetitum opus eſt. Hanc ſententiam

do-

docent Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. Suarez *de Relig. Tom. I. Lib. II. cap.* XXVI. Molanus *Lib. II. de imag. cap.* lxxI. Bonacina *diſp.* V. *de* 3. *præcep. Decal. quæſt. unic. punct.* 2. *num.* 25. Henricus a S.Ignatio *Tom. II. part.* III. *cap.* III. Turrianus in *Selec. cen.* 4. *dub.* IIX. Sanchez *Conſil. Lib.* V. *cap.* 11. *dub.* 12. Leander *tract.* 1. *diſp.* IV. *quæſt.* XX. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* I. *punct.* 11. *§.* 3. pluresque alii. Ad rationem contrariæ opinionis reſpondetur, latiſſimum eſſe diſcrimen picturam inter & ſcripturam. Nam ſcribere omnino a mente procedit, ut eius conceptus exprimat; eoque ſuapte natura tendit, ut mentem inſtruat. Pictura vero a mente ſolum procedit, quemadmodum navis, vel domus conſtructio, & cetera mechanica artificialia. Contingens autem eſt, & accidentale, quod memoriæ exercitatio aliquando interveniat.

III. Quæſt. II. *An venatio, aucupium, & piſcatio opera ſint ſervilia in feſtis prohibita?* Reſp. Tres præfatas artes eſſe mechanicas, earumque opera prorſus ſervilia, & propterea per ſe diebus feſtis eſſe prohibita, dubitare arbitror neminem. Ratio ſane ex ſe evidens eſt. Nam piſcatio, venatio, & aucupium opera ſunt corporalia, & ad corporis utilitatem diriguntur; atque hominibus, & beſtiis communia. Quod confirmatur ex *cap.* Licet *de fer.* ubi Alexander III, inquit: *Indulgemus ut liceat parochianis veſtris, diebus dominicis, & aliis feſtis, ſi Alecia terræ ſe inclinaverint, earum captioni, ingruente neceſſitate, intendere.* Pontifex hic ob ſolam ingruentem neceſſitatem piſcandi exercitium impertitur. Sublata igitur neceſſitate, illicitum eſt. Excipit quoque Pontifex a privilegio diſpenſationis maiora ſolemnia feſta. Neque abſolute diſpenſat; ſed cum onere, quod *poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.* Si autem alicubi conſuetudo obtineat piſcandi in fluminibus recreandi animi cauſſa, aliquo exiguo temporis intervallo, non eſt improbanda. Communiter Doctores aſſerunt, conſuetudinem piſcandi in mare cum retibus, & navigiis haud eſſe legitimam; &, niſi neceſſitas excuſet, conſuetudinem hanc corruptelam eſſe culpabilem. Hæc quoque ſententia communior eſt, & probabilior, mihique vera. Quæ adverſus eam opponuntur, reſponſione non egent.

IV. Quæſt. III. *Licitum ne eſt feſtis diebus iter arripere?* Reſp. Sanctus Antoninus *II. P. tit.* IX. *cap.* VII. *§.* 5. inquit: *Item abſtinendum eſt ab itinere dietario, niſi neceſſitas cogat, vel aliud pium opus inducat, ut videlicet viſitatio alicuius Eccleſiæ, vel conſecutio indulgentiæ, vel reformatio pacis, ſeu amotio ſcandali, & huiuſmodi.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. & Sotus *de iuſt. & iur. Lib. II. quæſt.* IV. *§. Tertium genus,* docent, iter opus eſſe ſuapte natura ſervile, ſolumque ratione conſuetudinis licitum eſſe. Et certe difficile videtur ab ſpecie ſervilis operis excipi poſſe laborem illum quo ſervus pedibus integrum diem iter ageret. Conſulendi itaque ſunt fideles ne ſine rationabili cauſſa iter ſuſcipiant: quoniam certum eſt, illud

illud a cultu divino animum abſtrahere. Ceterum damnandi non ſunt letalis culpæ, etiamſi abſque cauſſa illud arripiant: quoniam conſuetudo univerſalis obtinet, poſſe Chriſtianos feſtis diebus abſque culpa, ſaltem gravi, iter agere; ut communiter Theologi ſentiunt: quamvis alii aſſerant, licitum id eſſe, propterea quod opus ſervile non ſit; alii ob invectam conſuetudinem, quæ a culpa excuſat.

V. Quæſt. IV. *Licitum ne eſt agaſonibus, & mulionibus beſtias onuſtas diebus feſtis conducere?* Reſp. Primo communiter Theologi docent, licitum eſſe iter inceptum perſequi. Adfirmant quoque, illicitum haud eſſe ducere mulos ſine oneribus de uno ad alium locum: quia hoc eſt ſolum iter agere. Inchoare vero iter cum beſtiis onuſtis, tamquam abuſum non tolerandum, reprobant Caietanus, Suarez, Navarrus locis ſæpius citatis. Id quoque aſſerunt Layman *Lib. IV. tract.* VII. *cap.* II. *num.* 5. Bonacina *diſp.* V. maxime quando muliones ſæpius levare, aut imponere onera debent. Quoniam tunc magna diei pars in operibus ſervilibus conſumeretur. Quæ omnia vera ſunt, quoties abſque iuſta cauſſa, & neceſſitate hæc fiant. Et quia in praxi vix fiunt abſque neceſſitate vel privata, vel communi; idcirco abſque peccato, ſaltem gravi, exercentur. Sic concludit D. Antoninus II. P. tit. IX. cap. VII. *Item ad opus ſervile ſpectat cum equis, aſinis, vel bobus deferre blada, vel ligna, vel vina, vel mercimonia, niſi neceſſitas urgeat . . . . Item vectores mercium, aut alimentorum, aut perſonarum ad loca remota, cum alias non poſſent ſine gravi incommodo vitam tranſigere, creduntur excuſari, ſi differre non poſſunt.*

VI. Quæſt. V. *An licitum ſit agaſonibus omittere Miſſam, ut beſtias ſuas in pratis paſcant, & ut ſumptus faciendos in diverſorio evitent?* Reſp. Adfirmat Rodriqnez *I. P. Sum. cap.* CXXIII. *concl.* 9. cui ſubſcribit Trullenchus in *expoſit. Decal. Lib. III. cap.* I. *dub.* 7. *num.* 6. & *dub.* 8. *num.* 2. ſi agaſones pauperes ſint, & maximi ſumptus faciendi eſſent in hoſpitio. His vocibus paupertatis, & maximi ſumptus (quas tamen limitationes non imponit Rodriquez) fucum faciunt imperitis Caſuiſtæ iſti. Nam agaſones communiter pauperes ſunt. Sumptus quoque eorum conditioni reſpondent; licet quandoque maiores, quandoque minores ſint. Communiter ergo ſecundum eiuſmodi Theologos agaſones, muliones, & vectores ab onere audiendi Miſſam liberi erunt: quia communiter pauperes ſunt; & ſumptus in diverſorio faciendi, eorum inſpecta conditione, magni ſemper reputabuntur. Anne dimidia illa hora qua agaſones Miſſam audirent, fame perirent beſtiæ, ſi paſcuis privarentur? At tempus non eſt terendum in hac impugnanda opinione, quæ ſua nimia laxitate anſam ingerit, & occaſionem agaſonibus, vectoribus, aliiſque ſimilibus Miſſam negligendi feſtis diebus.

VII. Quæſt. VI. *An licitum ſit typographis ordinare characteres diebus feſtis?* Reſp. negative: quoniam eiuſmodi characterum ordinatio vere eſt opus mechanicum, &

Digitized by Google

& ſervile : non enim alio tendit, quam ad fabricandas illas quas vocant tabellas, ſeu formas, quibus impreſſores utuntur ad cudendas litteras. Hancque ſententiam omnes fere graves Theologi defendunt. Quare omnino improbabilem cenſeo opinionem contrariam, quam cum quibuſdam Caſuiſtis defendit Leander *tract.* I. *diſ.* IV. *quæſt.* XVIII. Impreſſionem autem librorum omnes docent eſſe opus ſervile, & prohibitum in die feſto.

CAPUT IV.

Choreæ, comeſſationes, ludi ſcenici, idque genus ſimilia diebus feſtis peragi minime debent.

I. Caietanus in ſua Summa docet, choreas ducere ſuo genere non eſſe peccatum : quoniam, ſi ſuapte natura id agere peccatum eſſet, ſemper, inquit ille, formaliter loquendo, peccatum eſſet; quod conſtat eſſe falſum : nam in nuptiis, & publicis lætitiis licitæ ſunt choreæ. Addit inſuper ex circumſtantia temporis, puta diei feſti, choream minime fieri mortalem : quoniam non eſt opus ſervile. Ex hac theorica Caietani doctrina, qua ſtatuit, choreas agere abſolute non eſſe peccatum, neque ex circumſtantia diei feſti letalem culpam evadere, inferunt non pauci Caſuiſtæ, diebus feſtis abſolute licitum eſſe choreas ducere. Quod chorearum exercitium ſit genere ſuo, ſeiunctum a circumſtantiis, peccatum nec ne (non enim ſub hac conſideratione præciſa promiſcuum ſaltantium ſexum includit) quod itidem ſit opus ſervile, aut ſecus; parum ad id quod propoſuimus, decernendum conducit. Quamquam enim rerum abſolutæ notiones ad metaphyſicas concluſiones eliciendas prorſus neceſſariæ ſint; in morum tamen tractatione, ſi a circumſtantiis præcidantur, maximam ſane Ethicæ chriſtianæ cladem inferunt. Miſſis itaque chorearum genericis notionibus, id diſcutiendum modo eſt, an choreæ, omnibus circumſtantiis inſpectis, ſemper, & omni tempore, & perſonis cuiuſque conditionis licitæ ſint. Quod enim choreæ quandoque in paternis ædibus inter puellas, vel in nuptiis inter conſanguineos; quod etiam mulierum ruſticarum choreæ interdum licitæ ſint, nec ego repugno. Inter perſonas diverſi ſexus vix umquam abſolute concederem, attentis periculis quæ ab his choreis raro ſeparabilia ſunt. Quare peſſime elicitur, choreas agere diebus feſtis omnibus indiſcriminatim licere. Quoniam neque ex generica rerum notione, neque ex una, aut altera, ſed ex omnibus circumſtantiis, & ex iis quæ plerumque eveniunt, morum reſolutiones colligamus oportet. Porro quod choreæ, quas iuvenes & puellæ, ſeu viri & mulieres promiſcue ducunt, plerumque avocent mentes a divino cultu, ſintque occaſiones libidinis, rixarum, & ſcandalo-

rum,

rum, nemo negare audebit, niſi qui manifeſtæ experientiæ contradicere velit. Hoc autem ſatis eſt ut abſolute dicere poſſimus, choreas eſſe potiſſimum diebus feſtis illicitas. Caſuiſtæ ex aliqua peculiari circumſtantia, & eventu, puta quod quandoque ruſticis innocentes ſint eiuſmodi choreæ, vel conſanguineis nuptiarum, aut alterius publicæ lætitiæ tempore, eruunt univerſalem opinionem, nimirum choreas omnibus, & omni tempore, etiam ſacro, licitas eſſe, nulliuſque peccati occaſionem. Ut defendant peccata diebus feſtis commiſſa non contrahere letalem malitiam, hanc inter alias obtrudunt rationem, nimirum peccata, & ſcelera potiſſimum diebus feſtis perpetrari. Quare iugum nimis grave foret, ſi hæc ſcelera ſacrilegiis temporis ſacri inquinata multiplicarentur. Nunc autem omnia feſtorum oblectamenta ut innocua propugnant. Opipara convivia, ſaltationeſque, inquiunt, nihil niſi lætitiam, & innocentiam redolent: quoniam non ſunt opera ſervilia. Feminarum exquiſitos cultus, hominum luxus, & ſplendida ornamenta quis letalis culpæ damnabit? Cedo. An negare auſus fueris, peccata quæ feſtis communiſſima aſſeris, a Chriſtianis potiſſimum perpetrari occaſione ſaltationum, conviviorum, chorearum, aliorumque id genus oblectamentorum? Peccata frequentius in feſtis quam in profeſtis diebus ſerpere concedunt. At, cum de peccatorum occaſionibus, periculiſque ſermo recurrit, occaſiones, & pericula honeſtas dicunt oblectationes. Quæ, malum, eſt eiuſmodi differendi ratio? Omiſſis itaque quæſtiunculis, an præfata oblectamenta ſint opera ſervilia nec ne; vel peccata genere ſuo, aut in aliquo eventu, & circumſtantia licita: his, inquam, omnibus miſſis, ſequentem ſtatuo concluſionem.

II. *Choreæ, ludi theatrales, idque genus ſimilia, omnibus circumſtantiis inſpectis, ſunt occaſiones peccandi, & plerumque ad peccata provocant, & pertrahunt, atque animos a divino cultu reipſa abſtrahunt: idcirco diebus ſacris potiſſimum ſunt Chriſtianis vetita.* Id melius probari nequit quam Patrum, & Conciliorum auctoritate. Concilia ſiquidem, & Patres, ipſa manifeſta, & diuturna experientia edocti, omni fere tempore ſaluberrima ediderunt decreta, quibus ſaltationes agere diebus feſtis prohibuerunt. Sanctus Baſilius acri oratione invehitur adverſus feminas quaſdam, quæ Paſchatis die ſplendidis veſtibus comptæ choreas ducebant, iuvenumque laſcivis oculis, oreque impudico libidinem provocabant. *Capita honeſtis operta velaminibus retegentes, Deum, & eius Angelos deſpicientes, ad marium aſpectus impudentes diffuſæ, comas, tunicarum luxum oſtentantes, pedibus geſtientes, ac oculo petulco, riſu laſcivo, ad ſaltationem inſanientes, iuventutis intemperantiam in ſe provocantes.* Tom. I. hom. XIV. in ebriet. & lux. Sanctus Auguſtinus conc. I. in Pſal. XXXII. *Obſerva diem ſabbati, non carnaliter, non iudaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim tota die foderent quam tota die ſaltarent.* Similia habet in Pſalm. XCI. *Melius eſt enim arare quam ſaltare. Illi a bono opere vacant, ab opere*

re nugatoria non vacant. Sanctus Ignatius Martyr *epiſt.* ad Magneſianos ſcribit, *ſabbatum ab eo ſpiritualiter celebrari qui in lege Domini meditatur, non ad præſcripta ſpatia ambulans, & ſaltationibus, luſibuſque inſanis gaudens*. Sanctus Cyrillus Alexandrinus graviſſimam, & vehementiſſimam orationem habuit in illos Chriſtianos qui, cum templa frequentare, conciones audire, divinis officiis intereſſe, orationibus inſiſtere deberent feſtis diebus, tunc maxime ludis illiberalibus, conviviis, & choreis vacabant. Inquit enim Lib. VIII. cap. v. in Ioan. xvii. *Id ne eſt, o Chriſtiani, celebrare diem feſtum, indulgere ventri, & inconceſſis voluptatibus habenas laxare? . . . Diebus ad exercenda ſervilia opera conceſſis, unuſquiſque ſuo intentus eſt operi, & abſtinet a crapula, ludis, & vanitatibus; diebus autem feſtis paſſim concurritur ad cauponam, ad ludos, ad ſpectacula, & choreas, in deriſionem divini Numinis, & diei prævaricationem.*

III. Tempus me deficeret, ſi omnia Conciliorum decreta, quæ ſaltationes, ceteroſque ludicros ludos feſtis diebus prohibent, recenſere vellem. Ex pluribus pauca delibabo. Concilium Toletanum III. in canone relato diſt. xxxi. de Conſecr. *Irreligioſa conſuetudo eſt quam vulgus per Sanctorum ſolemnitates agere conſuevit: populi qui debent divina officia attendere, ſaltationibus, & turpibus invigilant canticis, non ſolum ſibi nocentes, ſed & religioſorum officiis perſtrepentes. Hoc etenim ut ab omni Hiſpania depellatur, Sacerdotum, & iudicum a Concilio ſancto curæ committitur.*

IV. Concilium Mediolanenſe III. tit. de feſt. dier. cultu. *Quoniam autem uſu iam hac in provincia nimis compertum eſt, depravatis his temporibus, & moribus, ad choreas, tripudia, ſaltationes, & id genus alia numquam fere conveniri ſine multis, & iis quidem graviſſimis Dei offenſionibus: idque cum ob turpes cogitationes, obſcena dicta, inhoneſtas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras illi perpetuo coniunctas; tum propter cædes, rixas, diſſidia, ſtupra, adulteria, aliaque mala plurima, inde conſequentia quam ſæpiſſime. His tot offenſionum, & peccatorum ſeminariis locum dare, iis præſertim diebus qui dies propitiationis ſunt, & iis ipſis diebus fideles pleroſque, nefariis iſtis Satanæ blanditiis illectos, a divinis officiis, religioſis ſupplicationibus, lectionibuſque ſacris abduci, avertique rudes a percipiendis fidei rudimentis, alioſque ab aliis chriſtianæ pietatis officiis, in quæ eo tempore religioſe incumbendum eſt, abſtrahi, & amoveri: hoc certe graviſſimum eſt in conſpectu Dei, & Eccleſiæ. Quare feſtis iis diebus, ſaltem horis quibus divina celebrantur officia, interdicimus ne ſaltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant. Ne item Comœdiæ, ludi ſcenici, vel theatrales, haſtiludia, & alia cuiuſque generis ſpectacula agantur. Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones præſtigias ſuas, inaniaque ſpectacula agant, neque quidpiam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.*

V.

Digitized by Google

V. Concilium Turonenſe, anno 1583. celebratum, titulo *de feſtorum cultu* hæc decernit, & prohibet. *Diebus dominicis præſertim, & aliis feſtis, comeſſationes, convivia publica, tripudia, ſaltationes, ſtrepitus, & choreas fieri, venatu, & aucupatu tempus teri, in hoſpitiis, ſeu cauponis aliis, quam peregrinis, cibaria, & vinum miniſtrari, ludos palmarios, & alios (maxime dum ſacra conficiuntur, laudeſque Deo decantantur) aperiri, comœdias, ludos ſcenicos, vel theatrales, & alia eius generis irreligioſa ſpectacula agi, ſub anathematis pœna prohibet hæc Synodus.* Concilium Bituricenſe anni 1584. can. VI. *Prohibetur populus profana ſodalitia, comeſſationes, choreas, tripudia, larvas, & theatrales ludos iiſdem diebus feſtis exercere.* Concilium Aquenſe anni 1585. tit. de feſt. dier. cultu: *Comeſſationes vero, ebrietates, luſus improbos, turpes cantilenas.... atque omnem feſtorum profanationem damnamus, & reprobamus.* Carolus magnus in ſuis Capitularibus: *Placuit ut fideles diem dominicum omnes venerabiliter colant, ne in illo ſancto die vanis fabulis, aut locutionibus, ſive cantationibus, ſive ſaltationibus .... ut fieri ſolet, inſerviant.*

VI. Cardinalis Bellarminus dominica 3. Adventus *conc.* VI. ſermone, unctione cæleſti delibuto, invehitur in ſacrorum dierum profanationes: *Neſcis fortaſſe quantum ſacrilegium ſit dies Deo conſecratos profanare?... Quæro a vobis, ſi videremus aliquem incredibili audacia veſtibus ſacris uti pro veſtibus profanis, templo pro taberna, altari pro menſa, quis noſtrum non horreret? quis non exclamaret? Et nunc videmus dies feſtos, ſolemniſſimos, ſacratiſſimos, Deo dicatos... ſacrilegis choreis ſaltationibus, conviviis, ebrietatibus, impudicitiis, ſcurrilitatibus profanari; & nemo exhorret, nemo movetur, nemo miratur. Deus immortalis! Quæ conventio Chriſti ad Belial? Quæ eſt hæc inſania? Quæ furiæ infernales nos exagitant?*

VII. Serio animo nunc tecum reputes velim, cuinam ex duabus ſit opinionibus adhærendum, Caſuiſtarum nempe, vel Patrum, & Conciliorum. Caſuiſtæ abſolute docent, choreas, ſaltationes, & ſimilia diebus feſtis eſſe licita, propterea quod non ſunt opera ſervilia, neque ex ſuo genere peccata mortalia. Contra, Patres, Epiſcopi, quos poſuit Deus regere Eccleſiam ſuam, in Conciliis congregati, Paſtores gregis evangelici, qui penitius animarum ſibi commiſſarum ſtatum agnoſcunt, longa experientia edocti, atque ex ipſius populi confeſſionibus, teſtantur, ſaltationes, choreaſque malorum ſeminaria, libidinum, rixarum, ebrietatum, & comeſſationum ſcaturigines eſſe; ac propterea præfata omnia diris devovent, diebus potiſſimum feſtis, ceu ſacri illius temporis ſacrilegas profanationes. Tametſi ergo ſaltationes, & choreæ non ſint, ut Caſuiſtæ volunt, opera ſervilia, nec ſuapte natura peccata mortalia; anne inde inferre auſerint, diebus feſtis eadem licere? Ut enim illicita, & vetita ſint feſtis diebus, ſatis eſt ea animum a rebus divinis abſtrahere, peccandi occaſionem præbere, ad libidinem, rixas, aliaque crimina reipſa,

ipſa, & omnibus circumſtantiis conſideratis, provocare & inducere. Porro hæc omnia ex dictis oblectamentis, ceu ex infectis feminibus vitioſas fruges, profluere teſtantur Patres, Concilia, graviſſimi Theologi, & quotidiana experientia. Quod autem hic vel ille, vir aut mulier nil mali experiatur in choreis, ſaltationibuſque; non idcirco iiſdem permittenda impoſterum ſunt a pio, doctoque Confeſſario. Sed quod præterita pericula evaſerint, Deo gratias rependant; at, ne a Deo aliquando deſerantur, deinceps abſtineant ab iis oblectationibus quæ plerumque, & reſpectu multitudinis flagitiorum plurium cauſſæ ſunt. Aliter pœnas dabunt, quod malorum originem ſua præſentia foverint. Quod dictum eſt de ſaltationibus, & choreis, idem dicendum eſt de torneamentis, & haſtiludiis.

CAPUT V.

An docere, ſcribere, tranſcribere, & ſimilia diebus feſtis vetita ſint.

I. Docere quaſcumque ſcientias, atque in eaſdem incumbere, ſive ob lucrum, ſive abſque lucro, licitum eſſe communiter docent Theologi cum D. Thoma laudato *art.* 4. ubi in reſponſione ad tertium hæc habet. *Similiter etiam nullius ſpiritualis actus exercitium eſt contra obſervantiam ſabbati: puta ſi quis doceat verbo, vel ſcripto.* Quare antiquata videtur contraria opinio Abulenſis, & quorumdam Summiſtarum: patet enim ad artes liberales pertinere præfatos actus ſtudendi, docendi, & ſcribendi.

II. Quæſt. I. *Num tranſcribere licitum ſit diebus feſtis?* Reſp. Abſolute illicitum eſſe adfirmant graviſſimi Auctores. Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. Navarrus in *Manuali cap.* XIII. *num.* 14. Azorius *Tom. II. Lib. I. cap.* XXVII. *quæſt.* V. Sanchez *Lib. V. conſil. cap.* 11. *dub.* 9. *num.* 4. Sylveſter *verb.* Dominica *quæſt.* V. *concl.* 5. Cardinalis Bellarminus *Tom. II. Lib. III. cap.* X. *de cult. Sanct.* ubi hæc habet: *Non tamen licet tranſcribere ſine neceſſitate libros lucri gratia*: & alii plures. Hanc ſententiam validis evincunt rationibus. Quoniam tranſcribere opus mechanicum eſt, nec egreditur, inquit Caietanus, extra limites operis corporalis. Siquidem non plus menti tranſcriptio attribui poteſt quam quodlibet aliud artefactum. Quid enim mentis plus emicat in tranſcriptione quam in pictura, vel in ſtatua? Qui tranſcribit, depingit characteres, uti ſunt in autographo; quemadmodum pictor adumbrat alicuius exemplaris imaginem. Quod alia paritate propinquiori confirmatur. Impreſſio librorum dubio procul ſervile opus eſt. At tranſcribere genus quoddam impreſſionis eſt. Nec aliud diſcrimen aſſignari poteſt, niſi quod unus calamo, alter prælo characteres imprimit. Item ordinare characteres pro cudendis libris opus ſer-

Digitized by Google

vile eſt, ut diximus ſupra, & communiter Auctores docent. Quidni ergo & characterum tranſcriptio?

III. Contrariam opinionem defendunt Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* xxv. ubi ex profeſſo difficultatem verſat. Laudat pro ſua ſententia Medinam in *Inſtructione Confeſſ. Lib. I. cap.* xiv. §. 8. Sed Auctor iſte incidenter tantum hac de re ſcribit, & multum probabilem vocat Caietani opinionem; ſed contrariam quoque opinionem probabilem aſſerit. Huic pariter opinioni accedunt communiter Caſuiſtæ recentiores, hac ratione, ſane non contemnenda, fulti. Scribere non eſt opus mechanicum, neque ſervile. Ergo neque tranſcribere. Nec videtur aſſignari poſſe diſcriminis ratio. Qui ſcribit ea quæ magiſter dictat, quamquam nil prorſus intelligat, opus omnino liberale exercet. Qui vero eadem tranſcribit, quia nihil eorum quæ tranſcribit, percipit, operi mechanico vacabit? Scriptor non exercet opus ſervile, dum conceptus alterius aure perceptos ſcriptione exprimit. Alter vero eoſdem conceptus tranſcriptione referens, ſervorum opus peraget? Quid, quæſo magis rationi adverſum, quam ſi dicamus, eum qui ex libro impreſſo tranſcribit, non peccare; peccare autem illum qui ex codice manuſcripto tranſcribit? Patet autem, iuxta omnes non peccare illum qui die feſto ſtudio litterarum vacans, ex libro tranſcribit ea omnia quæ & iuvandæ memoriæ, & intellectui imbuendo conſentanea iudicaverit. Cur ergo peccabit qui ad aliorum profectum eadem, vel ſimilia tranſcribat? Plura alia promunt, quæ in idem recidunt.

IV. Fateor mihi, utramque opinionem ſerio perpendenti, aquam hærere. Utraque enim & rationum vi, & Theologorum auctoritate nititur. Abſque tamen cuiuſquam iniuria dicere poſſumus, graviores Theologos priori ſuffragari opinioni, cuiuſmodi ſunt Caietanus, Navarrus, Azorius, & Bellarminus. Priuſquam meum qualecumque profero iudicium, certa ab incertis ſecernam fas eſt. Et primo certum eſt, quamcumque ſcriptionem non eſſe opus ſervile. Qui enim aut docendi, aut addiſcendi gratia tranſcribit, non ſervile, ſed liberale opus exercet. Neque hoc improbat Caietanus, aut alii Theologi. In hoc igitur difficultas vertitur, an ii qui, pacto pretio, artem tranſcribendi exercent, ut ſunt illi qui italico idiomate *Copiſti* vocantur, opus ſervile peragant: quod ſane mihi affirmandum videtur. Licet enim nec finis ſcribentis, nec pretii acceptio in metaphyſica conſideratione actuum notiones varient; nihilominus in morum tractatione plurium circumſtantiarum coagmentatio non infrequenter operum genera tranſmutat. Tranſcribere ſuapte natura non eſt opus ſervile. Finis ſcribendi ob lucrum temporale, quemadmodum & ipſum lucrum, ſeu pretium, externa cum ſint, haud valent actus naturam pervertere. Sit ita, dum hæc ſingillatim accipiuntur. At, dum omnia ſimul conſiderantur, & ut peculiarem artem conſtituunt, iuxta prudentum exiſtimationem, ut ego quidem ſentio, in mechanicam declinant profeſſionem. Quis

enim

enim ante typographicæ artis inventionem eos qui ſola arte tranſcribendi codices vitam alebant, excuſaſſet a culpa, ſi ſingulis diebus feſtis tranſcribendis codicibus inſudaſſent? Nunc communiſſima Theologorum ſententia culpæ damnat & impreſſores, & typographos tempore ſacro laborantes. Et tamen ordinatio litterarum, ſeu characterum non magis mentem a Deo avocat, nec plus corpus defatigat quam mercenaria, & mechanica profeſſio tranſcribendi codices, & ſcripturas. Noli ergo unam, vel alteram circumſtantiam ſingulatim conſiderare; ſed ea omnia ob oculos tibi ſiſtito quæ librarium conſtituunt, ſeu amanuenſem, qui ex inſtituto tranſcribit, quemadmodum ceteri artifices ſuas exercent artes, ut vitam alant. Hanc noſtram ſententiam conceptis verbis docet ſanctus Antoninus II. Part. tit. IX. cap. VII. §. 5. *Item pertinet ad opus ſervile prohibitum ſcribere pro pretio, ut de quaterno in quaternum, vel inſtrumenta, cum tamen poſſit ſine periculo differri. Conficere autem teſtamenta infirmorum, vel contractus matrimonii, ubi eſt de more, videtur poſſe fieri.* A culpa quoque excuſandi ſunt mercatorum famuli, ſimileſque amanuenſes, qui ad memoriam conſervandam eorum quæ in negotiatione, ſimilive profeſſione eveniunt, de codicibus diariis, aut de tabellis, libelliſve in alios libros tranſcribunt. Frequentes etiam ſunt cauſſæ quæ ipſos librarios ex inſtituto tranſcribentes a culpa eximunt. Sæpe enim excuſat neceſſitas, etiamſi non ſit adeo urgens; tum itidem publica utilitas. Hanc opinionem ſic explicatam amplector, tamquam in re, ut candide loquar, dubia ſecuriorem, & probabiliorem, ſive rationum momenta, ſive Theologorum auctoritatem ſpectemus.

V. Ad argumentum contrariæ opinionis licet inter diſputandum reſponſum fuerit, addere tamen lubet, quod ſcribere, & tranſcribere, ut memoriam excolamus, augeamus, & conſervemus, ut intellectum imbuamus, ut alios doceamus, opus utique eſt liberale. Hæc vero peragere ex inſtituto, lucri cauſſa, ad victum comparandum, opus mechanicum, & ſervile redolet. Non quod opus alioquin liberale, ut peroptime animadvertit etiam Azorius loco laudato, per ſe in ſervile tranſeat, cum mercedis gratia ſit. Concedimus, ut ſic preſſius obiectioni occurramus, quod finis tranſcribentis, quod pretium, externa cum ſint, non valeant actuum naturas pervertere; ſed dicimus, quod ſcribere, & tranſcribere ſit genus quoddam, quod in duas tribuitur ſpecies: altera eſt operis liberalis; & altera operis ſervilis. Scribere, & tranſcribere ſciendi, docendique cauſſa opus eſt liberale; artem vero profiteri ſcribendi, & tranſcribendi lucri cauſſa opus ſervile eſt. Cur? Quia in omnium exiſtimatione labore manuum vitam tranſigere, atque ex profeſſo organis corporeis laborare propter victum aſſequendum, opus ſervile eſt.

VI. Ex iis quæ dicta ſunt, colliges, licitum eſſe cuique Doctori, Concionatori, Magiſtro uti amanuenſi, ſi opus ſit, ad componendas lectiones, & conciones ad

D ij po-

populum habendas: quia in ſimilibus caſibus amanuenſes ſuppetias ferunt ad proximorum inſtructionem, quæ opus ſpirituale eſt. A culpa quoque excuſandi mihi videntur cauſſarum patroni, qui vel per ſe, vel per procuratores, ſeu cauſidicos ſcribunt iuris allegationes, etiam ſoluto pretio: quia hæc omnia per ſe diriguntur ad veritatem manifeſtandam, & iudicem inſtruendum, litemque tractandam: quæ omnia opera liberalia ſunt. Poſſunt quoque ludi magiſtri exemplaria conſtruere, e quibus pueri ſcribere diſcant; & architecti ſua exemplaria delineare, quibus alios doceant ædificia conſtruere. Longas autem ſupputationes, ratiocinia facere, eadem de uno in alium librum tranſcribere, niſi aliqua neceſſitas, vel rationabilis cauſſa urgeat, illicitum videtur, inquit S. Antoninus loco laudato his verbis: *Videre autem ratiocinia, & facere computum prolixum, illicitum eſt*. Inter cauſſas excuſantes, una eſt ſolamen pauperum, & ruſticorum, & artificum, qui profeſtis diebus dominos adire ſine gravi incommodo nequeunt ad præfatas rationes ineundas.

VII. Quæſt. II. *An licitum ſit tranſcribere ex inſtituto, & pro mercede libros cum notis pro cantu muſico?* Ex iis quæ dicta ſunt quæſito præcedenti, iam liquet, artem hanc exercere diebus feſtis minime licitum eſſe: quoniam, quemadmodum pictura, ita & hæc mechanica eſt, potiſſimum ſi quis illam ad victum ſibi comparandum ex officio profiteatur. Hanc opinionem non modo defendunt Auctores, quos ſuperiore quæſito laudavimus; ſed vel ipſe Tamburinus *Lib. IV. cap.* III. *§.* I. *num.* 7. illicitum reputat diebus feſtis lineas pro notis muſicis ducere. Patritius Sporer iſtam Tamburini opinionem referens, hanc lepidam opponit reſponſionem tract. III. in 3. præcep. Decal. cap. IV. ſec. 3. num. 44. *Sed Germani non ita anguntur merito ſcrupulis italicis*. Si vel ipſe Tamburinus, inter benigniores Italiæ Scriptores facile Princeps, plus iuſto ſeverior videtur viro Teutonico; ſi doctrina Tamburini Germanorum conſcientias ſcrupulorum aculeis torquet: quæ erit blanda, & laxior doctrina quæ eorum aſpera ulcera delinire valeat? Sed nugas relinquamus.

CAPUT VI.

De operibus naturalibus, & religionis, ac pietatis, diebus feſtis prohibitis.

I. DIctum eſt, opera ſervilia feſtis diebus vetita eſſe. Aliqua tamen ſunt ſervilia opera vel ad corpus, vel ad ſpiritum pertinentia, quæ prohibita non ſunt. Et ut ab operibus naturalibus exordiamur, quamvis comedere, & bibere non ſint actus ſerviles, ſed naturales; ars tamen præparandi, & coquendi cibos,

Digitized by Google

bos, hac noſtra tempeſtate nimium exculta, ſervilis omnino eſt. At, ut animadvertit Angelicus loco ſæpius laudato, in lege evangelica ars iſta coquendi, & præparandi cibos numquam prohibita fuit. Id ſolum deſiderandum foret ne in dies amplificaretur & ad colligendos eodem die fructus, ut meliores ſint, & ad occidenda animalia, aliaque id genus, quæ plerumque præcedenti die fieri poſſent. Ad eas res coarctanda eſt culinaria ars quæ nec anticipari, nec conſervari, nec ſufficere propter populi multitudinem poſſunt. Qua de cauſſa non licet die feſto coquere panem, nec molere frumentum in piſtrino, ſive aquæ, ſive venti, ſive beſtiarum opera, niſi rationabilis neceſſitas urgeat; quidquid fabulentur quidam Caſuiſtæ.

II. Plura quoque ſunt opera ſervilia, & corporalia quæ pro curandis infirmis exercentur diebus feſtis, tamquam licita. Sic chirurgi minime peccant, dum feſtis diebus venas incidunt, & ſanguinem minuunt: quia hæc, & ſimilia remedia, aliaque huiuſmodi mechanica opera neceſſaria, aut valde convenientia ſunt ad ſalutem humani corporis, & maxime ad ægrotorum curationem. Quæ omnia pietas, & caritas erga proximum ſuadent, & imperant.

III. Ad opera corporalia divino cultui dicata quod attinet, eorum plurima & varia ſunt genera; adeoque de ipſis iuxta generum varietatem diiudicandum. Quædam ſunt omnino intima divino cultui, in quibus elucet divinus honor, quibuſque divinus cultus exercetur; ut ſunt crucem geſtare, organa ad divinas laudes pulſare, & alia muſicalia canere. Alia ſunt quæ proxime ad cultum divinum excitant; ut campanas ad Miſſam, Veſperas, ceteraſque Dei laudes, pulſare. Alia quæ remotius ad cultum divinum conferunt; ut ornare aulæis templum, ſcopis verrere, hoſtias pro ſacrificiis conficere, idque genus ſimilia. In ultimo gradu ſunt quæ remote ſolum, & ex operantis intentione in utilitatem, & cultum templi cedunt; ut agros Eccleſiæ colere, arare, ligna, & lapides ad templi conſtructionem conquirere, & deferre, ceteraque id genus, & in eumdem finem peragere.

IV. Si ſermo ſit de operibus in quibus cultus divinus emicat, vel quæ proxime ad cultum divinum excitant, ut ſunt deferre ſtatuas, pulſare organa, & campanas, canere divinas laudes, certum eſt iuxta omnes, licere hæc omnia diebus ſacris. At, ſi loquamur de iis operibus corporalibus quæ anticipari valent, ut conficere hoſtias, ſcopis templum mundare, tabulata ad ſolemnitatem erigere, varia eſt Doctorum opinio. Nam Caietanus non ſolum conſulit, ut minus ſincere referunt Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* I. *punct.* II. *num.* 256. recenſita opera ante feſtum præſtare; ſed abſolute decernit, ea non debere abſque rationabili cauſſa in diem feſtum differri. En verba Caietani 2. 2. quæſt. CXXII. art. 4. *§. Ad hoc dicitur .... Quædam vero ſunt præparatoria, quæ poſſunt præcedenti die fieri, ut or-*

nare templum, *mundare illud*, *conficere hoſtias pro Miſſis celebrandis*; *& hæc ſine rationabili cauſa non debent in die feſto fieri.... niſi rationabilis cauſa adſit*, *debent congruo tempore*, *hoc eſt ante feſtum*, *fieri*, *& non in die feſto*. Eadem ſcribit in Summa verb. *Feſt. obſervat.* Idem quoque docet Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* XXI. *num.* II. Uterque vero addit, ſe non audere peccati mortalis damnare eos qui præfata opera exercerent feſtis diebus. Cui ſententiæ ſubſcribimus. Secunda opinio ſtatuit, peccatum eſſe mortale dicta opera feſtis diebus exequi. Tertia vero ſtatuit, omnino licita eſſe præfata opera; etiamſi profeſtis diebus fieri poſſint, & abſque rationabili cauſſa in diem feſtum differantur. Et hac præcipua ratione utuntur Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* I. *punct.* II. *num.* 258. & Leander *tract.* I. *diſp.* VI. *quæſt.* LXII. Si peccatum eſſet, inquiunt, eiuſmodi opera præſtare die ſacro; aut mortale foret, aut veniale. Neutrum autem eſt. Non primum, ut adverſarii fatentur. Neque ſecundum, quod materia per ſe gravis ſit, nam magna diei pars conſumitur. Quæ ratio mihi ridicularia videtur. Multa, & plurima ſunt in morum materia quæ mala ſcimus eſſe; licet quantitatem malitiæ ignoremus, & qualitatem. Frequentiſſime vero plures nimis temere decernunt, illud mortale, hoc veniale eſſe peccatum. Dicimus itaque, eos qui abſque rationabili cauſſa eiuſmodi opera diebus feſtis exequuntur, peccare. An vero peccatum iſtud mortale ſit, vel veniale (cuius deciſio abſque evidenti veritate imprudens eſt, & temeraria) confiteri non erubeſcimus, nos id ignorare. Ad ſummum ex variis circumſtantiis id colligere poterit prudens, doctuſque Theologus. Ad paritatem campanarum, organorum, aliorumque inſtrumentorum patet reſponſio, quod hæc nequeant anticipari. Numquid organa pulſabis feria ſexta ad cultum promovendum diei dominicæ? Conſuetudo, quam opponunt, eſt corruptela. Omnes bene morati religioni ſibi vertunt ſine ulla rationabili cauſſa in diem feſtum differre hoſtiarum confectionem.

V. Evidentius patet, ultimi generis opera, nempe colere agros Eccleſiæ, vel Hoſpitalis, ad eorum ædificia ligna vehere, parietes dealbare, eſſe opera ſervilia, & prohibita. Nec pietatis exercendæ cauſſa ſufficit ad tollendum onus obſervandi dies feſtos. Quoniam præceptum feſtorum ad religionem pertinet: & idcirco præferendum eſt operibus liberis pietatis. Religio enim eſt ſuperioris ordinis, quæ ſemper præire debet, ſublata neceſſitatis cauſſa. Neque admittimus id quod addunt Salmanticenſes loco laudato *num.* 260. omnes nimirum quaſi Eccleſias, & Monaſteria laborare egeſtate; & ideo licitum eſſe agricolas, alioſque artifices operas ſuas diebus feſtis impendere, nempe extruere templa, agros colere, ſegetes metere, & excutere; falſoque citant pro hac opinione Caietanum, qui conceptis verbis ait, ſolam neceſſitatem eſſe cauſſam iuſtam talia agendi. Nec verbum habet quod indicet omnes Eccleſias, & Monaſteria, aliaque pia ſodalitia tali laborare

pau-

Digitized by Google

paupertate, ut licitum ſit feſtis diebus opera ſervilia in eorumdem ſubſidium exercere. Verum ſententiam hanc communiter Theologi reiiciunt.

C A P U T VII.

De operibus quæ, licet ſervilia non ſint, lege tamen diebus feſtis fieri prohibentur: cuiuſmodi ſunt mercatus, & iudicia forenſia.

I. OPera quæ ſuapte natura ſervilia ſunt, vi præcepti de obſervatione feſtorum ſunt prohibita. Dantur vero aliqua opera quæ, quamvis minime ſervilia ſint, peculiari tamen lege prohibentur, ceu minus feſtorum obſervationi conſentanea. Porro huiuſmodi opera quæ ſic vetantur diebus feſtis, habentur in cap. *Omnes*, tit. 9. de fer. *Omnes dies dominicos a veſperis in veſperam omni veneratione decernimus obſervari, & ab omni illicito opere abſtinere; ut in dies mercatus minime fiat, neque placitum, neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam iudicetur, nec ſacramenta, niſi pro pace, vel alia neceſſitate præſtentur.* Et cap. *Conqueſtus .... Debet tamen iudicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti.* Duo itaque actionum genera potiſſimum prohibentur, negotiationis ſcilicet, & fori. Hæc iuris canonici lex conſonat iuris civilis ſtatuto, tum antiquo, tum recenti. Marcus Tullius *Lib. II. de legibus* forenſia iudicia in album eorum perſcribit quæ ſerviliter fiunt, quæque feſtis diebus minime licent. *Feriis iurgia amovento, eaque in famulis operibus patratis habento.* Opera quæ nos ſervilia, Cicero famula vocat. Hæc igitur opera, tametſi non ſervilia, idcirco feſtis diebus prohibentur, quod a divinis rebus mentem abſtrahant.

II. Mercatus, qui primo loco inhibetur, non modo publicas ſolemneſque nundinas comprehendit, quæ ſemel, vel bis in anno fiunt, ſed etiam quæ in ſingulas hebdomadas peraguntur, omneſque contractus locationum, permutationum, & venditionum, iis ſolum exceptis quæ ad quotidianum uſum ſunt neceſſaria, ut Doctores omnes adfirmant. Laudatum ius, cum canonicum, tum civile, contraria conſuetudine, ad mercatus, ſive annuos, ſive hebdomaticos, quod attinet, abrogatum videtur. Conſuetudinem tamen hanc, ceu iniquam, & abuſum, reiiciunt Panormitanus, & Abbas in *cap. 1. de feriis*, aiuntque, nulla poſſe rationabili conſuetudine aboleri legem prohibentem mercatus. Quoniam plus, quam ſervilia opera, mercatura cultum divinum impedit, & ad plura peccata viam aperit. Quamquam iſtorum Auctorum opinio communiter reſpuatur; non ob id tamen ſuo deſtituitur fundamento. Quandoquidem, ut conſuetudo contra legem prævaleat, melius quam ipſa lex, vel legislatoris finem, vel bonum commune promo-

Digitized by Google

vere debet, aut ſaltem eidem non adverſari. Verum, quia vix deſiderare, nedum ſperare licet, ut invecta auferatur conſuetudo, ideo curandum dumtaxat pro viribus eſt ne eiuſmodi conſuetudines, ubi non ſunt, introducantur, aut ne latius amplificentur ubi ſunt. Quæ vero temporis diuturnitate, & ſuperioris conſenſu introductæ, ac firmatæ ſunt, excuſantur communi Doctorum ſuffragio a culpa. Siquidem feſtorum inſtitutio, potiſſimum quantum ad numerum, tempus, & multitudinem, eſt iuris eccleſiaſtici: quod ſane eſt mutationi obnoxium. Nec deeſt mutationis congrua ratio. Idcirco enim feſtis diebus nundinæ ſæpius fiunt, tum quia ſolet illuc multitudo populi convenire; tum ob ruſticorum, & pauperum commodum, qui profeſtis diebus minime poſſent nundinas adire, niſi ſuarum operarum iacturam facerent. Hæc autem invecta conſuetudo ab onere audiendi Miſſam non ſolvit, nec ulla umquam introduci poteſt contra tale debitum, Sacrum ſcilicet audiendi. Quare corruere videntur rationes Panormitani. Poſſunt enim fideles inter ipſas nundinas divinis rebus vacare, & Miſſam audiendo, & alia in Dei cultum exercendo, eleemoſynas maxime largiendo pauperibus.

III. Nihilominus conſuetudo præfata minime favet mercatoribus, qui in dies merces vendunt. Quamobrem iſti, ſi notabilem diei partem in emptionibus, & venditionibus, apertis officinæ ianuis, inſumerent, peccarent mortaliter iuxta communiſſimam Theologorum ſententiam: quoniam hæc ſub mercatu, iure canonico vetito, comprehenduntur; nec contraria obtinet conſuetudo. Excipe tamen venditionem, & emptionem panis, vini, carnium, fructuum, aliorumque id genus, quæ ad victum quotidianum ſunt neceſſaria. Quare excuſantur tabernarii, ſalſamentarii, ſalarii, porcinarii, ſimileſque, qui merces vendunt ad corpus vel ſuſtentandum, vel curandum. Excuſantur quoque venditiones quæ fiunt in parvis oppidis: quia in profeſtis diebus nulli forent emptores, & ob ruſticorum, ac pauperum commodum communiter exercentur: quæ, cum in publicam utilitatem cedant, conſuetudine obtinente, licitæ reputantur. Hac ratione excuſantur ſutores, qui calceos vendunt. An nomine mercatus intelligantur prohibitæ aliæ negotiationes, ut locationes, conductiones, & ſimiles contractus, alii adfirmant, & alii negant. Mihi ſub nomine mercatus prohibita hæc omnia videntur. At in praxi ſtandum eſt conſuetudini, quæ, quoad fieri poteſt, reſtringenda, numquam dilatanda eſt.

IV. Quid dicendum de mercatoribus, ſeu tabernariis illis qui feſtis diebus debita exigunt; oppida, & villas adeunt, ut vina, frumentum, aliaſque merces a ruſticis accipiant; eadem menſurantur, & de uno ad alium locum transferunt? Ut mea præfert opinio, non pauci Caſuiſtæ nimis laxe loquuntur, dum hæc omnia abſolute licere ſtatuunt. Quoniam in primis certum eſt, opus ſervile eſſe triticum, & vinum admetiri, vel transferre; cum recenſita omnia a cultu divino ab-

abſtrahant. Igitur per ſe illicita ſunt. Verum tamen eſt, neceſſitatem frequenter excuſare: quia profeſtis diebus ruſtici, relictis domibus, colendis agris dant operam. Quare difficile mercatores debita exigerent, niſi feſtis diebus debitores ſollicitarent. In id tamen incumbere Parochi, & Confeſſores debent, ut fideles, & maxime mercatores, admoneant, hortenturque, ne magnam diei feſti partem in eiuſmodi negotiationibus, & exactionibus inſumant; ne in iurgia, & altercationes erumpant; ſed ut non ſolum Miſſam audiant, verum etiam concionibus, aliiſque divinis laudibus interſint. Quo enim iſti maioribus diſtinentur curis, eo uberioribus Dei auxiliis opus habent. Caveant ne pro ſua aviditate neceſſitatem ſibi effingant. Iiſdem denique explicent ſancti Pii V. Pontificis maximi conſtitutionem, quæ incipit, *Cum primum .... Dierum feſtorum obſervatio ad cultum Dei maxime pertineat, & in lege divina præcipiatur: cupientes abuſus pravos, qui ex eorum inobſervantia invaluerunt, omnino corrigere, & antiquorum canonum ſtatuta renovantes, mandamus ut omnes dies dominici, & præcipue in honorem Dei, B. Mariæ Virginis; & ſanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni reverentia obſerventur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias .... frequentent, divinis officiis devote intendant, ab omni illicito, & ſervili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negotiationes, & iudiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui vero in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter divinam ultionem, & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam utetur, etiam graves pœnas incurret arbitrio noſtro.*

V. Sanctiſſimi Pii V. conſtitutioni conſonat declaratio ſacræ Rit. Congregationis quam refert Barboſa *Tom. I. Collect. Doct. in Lib. II. decretal. de Fer. tit. 9. cap.* Omnes dies *num. 5.* his verbis. *Præceptum de dominicis, & feſtivis diebus &c.* pluribuſque omiſſis, hæc in eadem habentur. *Ceterum his diebus* [proſequitur dicta ſacræ Rit. Congregationis declaratio] *licere agaſonibus, ac aliis iumentorum vectoribus, ſeu mercium conductoribus, baiulis, & aliis huiuſmodi ſervientibus, ac miniſtris ſarcinas, & onera nundinarum cauſſa exonerare, & deponere, inceptumque iter; Miſſa tamen prius audita, tranſeundo proſequi, & continuare. Non autem debere ſarcinas componere, & iumenta onerare ad iter de novo incipiendum. Neque mercatoribus, aut aliis civibus, & viatoribus his diebus, etiam clauſis apothecis, merces vendere, aut aſportare licere; niſi tantum ad victum neceſſaria, aut alia minuſcula; & modici momenti opera iam conflata, & elaborata pro tranſeuntium hoſpitum, advenarum, & exterorum urgenti, & præſentanea neceſſitate, & opportunitate: in quo partes erunt Epiſcopi, propoſitis edictis providere ut in primis hi feſti dies debita obſervatione colantur, ſimulque populorum confluentium neceſſitatibus, quantum ſine divina offenſione fieri poteſt, conſulatur. Quoad iudicia autem, quæ dominicis, & feſtis ſilere debent, id obſervari poterit quod iure communi permittitur in quibuſdam urgentibus caſibus, qui moram, & dilationem non patiuntur. In quibus, & aliis iuriſdi-*

Digitized by Google

dictionem Conſulum nundinis præpoſitorum concernentibus conſtitutiones, & ſummorum Pontificum ſi quæ habent privilegia, & allegatum Breve felic. recordat. S. Pii V. ſervanda eſſe ſtatuit. Nihil frequentius offendes penes multos Caſuiſtas quam hæc omnia contraria conſuetudine eſſe antiquata. Sed an conſuetudo, quæ adeo familiariter obtruditur, legitima ſit, non ſatis oſtendunt. Humanas leges frequenter oppoſita conſuetudine auferri, & ipſe fateor. Quin & ego in iis quæ iuris humani ſunt, facillime benigniori parti adhæreo, dum ſolida occurrunt momenta, dum vera, & non ficta neceſſitas indulgentiam ſuadet. Si omnes quæ iactantur conſuetudines rationabiles, & validæ forent, actum iam eſſet de feſtorum obſervatione. Reſpectum ergo habeant Parochi, & Confeſſores ad populi indigentias, & neceſſitates; ſed oculis clauſis præceptum Eccleſiæ non prætereant; immo perpendant, iure & naturali, & divino Deum ſtato tempore a nobis colendum eſſe; ſolamque temporis determinationem eſſe iuris humani. Quæ duo ſi ob oculos habebis, & populi indigentiis, veriſque neceſſitatibus occurres, & ſimul legis decorem ſartum tectum cuſtodies.

VI. Placitum, quod ſecundo prohibetur, ſignificat iudicium ſive criminale, ſive civile, quod omnes actiones comprehendit, quæ ad cauſſam tractandam proxime pertinent. Sunt vero citatio partis, formatio proceſſus, cauſſæ cognitio, & prolatio ſententiæ. Hæc omnia ſub nomine placiti feſtis diebus prohibentur, excepta aut neceſſitatis, aut pietatis cauſſa. Itaque citatio in die feſto facta illicita eſt, & invalida: quoniam pertinet, ceu pars, ad ſtrepitum forenſem. Inhibitus eſt enim actus iuriſdictionis tam in decreti formatione, quam in ipſius intimatione. Idem dicendum, quando facta ſit in profeſto pro die feſto. Quare vi talis citationis, utpote invalidæ, nec in die feſto, nec alio die tenetur reus comparere. Cum citatio ſpatium plurium, puta octo dierum, claudit, quamvis aliquod feſtum recurrat, tenetur reus comparere intra definitum terminum: quia non cogitur a iudice ut die feſto, ſed ut tempore opportuno compareat. Hæc communia ſunt apud omnes. Secundus iudicii forenſis actus eſt formatio proceſſus, in quo examinandi ſunt teſtes. Examen autem teſtium iuramentum includit nomine ſacramenti in iure laudato expreſſum. Examen ergo iſtud fieri nequit die feſto, etiamſi iuramentum profeſto die antecedenti emiſſum fuiſſet. Eſt autem merum figmentum id quod aſſerunt aliqui, in hoc eventu iudicium retrotrahi: quandoquidem examen reipſa die feſto peragitur, & iuramentum factum profeſto die, feſto die renovatur. Iuramentum vero factum pro cauſſis ſpiritualibus, puta matrimonialibus, & ſimilibus, validum eſſe adfirmant Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXXII. *art.* 4. Sotus *de inſ. & iur. Lib. VIII. quæſt.* 1. *art.* 10. *concl.* 4. & alii plures: quam ſententiam probabiliorem reputo, cum mihi videatur eam D. Thomam docere 2. 2. quæſt. LXXXIX. art. 10. *Pro aliqua neceſſitate, vel magna utilitate licitum eſt eis iurare*,

rare, & præcipue pro ſpiritualibus negotiis, pro quibus etiam iuramenta competit præſtare in ſolemnibus diebus, quibus eſt ſpiritualibus rebus vacandum. Non autem ſunt iuramenta præſtanda pro rebus temporalibus, niſi forte ex magna neceſſitate. Quod etiam clare colligitur ex cap. *Omnes*, ubi iuramenta prohibentur cum limitatione his verbis. *Nec ſacramenta [niſi pro pace, vel alia neceſſitate] præſtentur.* Sub nomine neceſſitatis cauſſas ſpirituales comprehendi, ſatis veroſimile videtur. Iuramentum quoque extraiudiciale die feſto licitum eſſe, cum Caietano, aliiſque pluribus iudicamus. Quia in iure prohibentur dumtaxat iuramenta iuridica, & ſolemnia, ut ex textu patet. Iuramenta enim privata nullo modo perturbant die feſti ſolemnitatem, nec a cultu divino avocant; quin, cum actus religionis ſint, ea debitis circumſtantiis ſervatis emiſſa, divinum promovent cultum.

VII. Ultimus actus ad *placitum* attinens eſt iudicis ſententia, quæ ſive civilis ſit, ſive criminalis, die feſto lata, invalida eſt ſecundum omnes; quemadmodum & eiuſdem ſententiæ executio die feſto nulla eſt. Secus dicendum de ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti. Quandoquidem eiuſmodi ſententiæ ſunt medicinales, quæ animæ bonum inſpiciunt, nec cauſſæ cognitionem requirunt. Contra vero communiter Doctores aſſerunt de ſententia iudicis arbitri, qui, ſervatis iuris formulis, ſententiam dicit. Talem namque ſententiam, ut invalidam, reiiciunt ex *leg.* 7. Omnes dies, *cod. de fer.* ubi hæc habentur: *Ut nec apud ipſos arbitros, vel a iudicibus flagitantes, vel ſponte electos, ulla eſt cognitio iurgiorum.* Si vero ſit iudex arbiter, qui rem tranſigat, miſſo iudiciali ſtrepitu, tamquam amicabilis fœderator, & pacis mediator; tunc ſententia quam profert, valida reputatur: quia hæc inter opera caritatis, & pacis fœdera recenſetur. Appellationem factam die feſto validam reputant plures Theologi, eo quod licitum ſit cuilibet die ſe defendere; potiſſimum quia appellatio iſthæc ſine ſtrepitu forenſi communiter ſit. Verum, quod ad eiuſmodi omnia ſpectat, legitimæ locorum, & tribunalium conſuetudini ſtandum eſt. Hac enim conſuetudine excuſantur notarii, procuratores, & advocati qui feſtis diebus verbo, vel ſcripto iudicem inſtruunt de cauſſæ tractandæ veritate. Verum hi omnes meminiſſe debent ſe artem periculis plenam exercere, & ideo ſingularibus Dei gratiis indigere. Quæ auxilia ſi diebus ſaltem feſtis iugibus precibus non implorent, non videntur altiſſimum propriæ ſalutis negotium magnifacere. In id ergo incumbant, ut non modo Miſſam dimidiæ, ne dicam quadrantis, horæ audiant; ſed etiam ut maiorem diei feſti partem divinis laudibus, cultui divino, piiſque operibus impendant.

VIII. Quæ ſub nomine placiti prohibentur, neceſſitatis, & pietatis cauſſa, ut dictum eſt, licite exerceri poſſunt, nemine contradicente: quia lex ſic ſtatuit. Quid porro neceſſitatis, & pietatis gratia intelligendum ſit, non adeo exploratum eſt. Breviter dico, poſſe iudicium, ſeu placitum exerceri: primo, ſi res tempore

pe-

peritura ſit : ſecundo, ſi periculum ſit fugæ debitoris, aut dilapidationis, aut notabilis damnificationis : tertio, ſi ſpiritualibus rebus damnum immineret : quarto, ſi teſtis alio tempore haberi nequiret, vel ruſtici profeſtis diebus ſine magno incommodo adeſſe tribunali non poſſent : qua de cauſſa in parvis oppidis mos obtinet eiuſmodi iudicia feſtis diebus exercendi . Sub titulo pietatis ſacri canones excipiunt cauſſas quæ vel cultum Dei, vel miſericordiam in proximum ſpectant . Quare licitum eſt ius dicere pro cauſſis pauperum , pro detentis in carceribus , pro conſtituendis, & dandis curatoribus, ac tutoribus , pro cauſſis parentum, & patriæ. Refert hæc omnia Gloſſa cap. *Conqueſtus*, verbo *Pietas* his verſibus.

Hæc faciunt cauſas feſtis tractare diebus :
Pax, ſcelus admiſſum, manumiſſio, res peritura,
Terminus exſpirans, mora teſtis abeſſe volentis,
Cumque poteſtatis patriæ ius filius exit.

CAPUT VIII.

De cauſſis excuſantibus ab obſervatione præcepti prohibentis feſtis diebus opera ſervilia.

I. Plures ſunt cauſſæ excuſantes a tranſgreſſione feſtorum eos qui opera ſervilia exercent , nempe materiæ parvitas , neceſſitas, pietas, diſpenſatio , religio : de quibus ſingulatim diſſeremus , excepta religione , de qua dictum eſt ſupra .

II. Quæſt. I. *Quæ temporis parvitas in ſervili labore excuſet a gravi tranſgreſſione præcepti vetantis opera ſervilia die feſto ?* Reſp. Ea eſt hac de re apud Theologos, & Caſuiſtas varietas opinionum , ut vix omnes recenſere valeamus . Ut ab iis quæ penes omnes certa ſunt , ducamus initium , certum primum eſt , dari in hoc, ſicut & in ceteris humanæ poteſtatis præceptis , parvitatem materiæ, quæ a mortali excuſat , non tamen a veniali : quia, ſi quis leviter præceptum infringit , leviter ſemper peccat , cauſſa iuſta ſublata . Quod ergo in controverſiam vocatur, eſt, quænam temporis pars cenſeri debeat materiæ parvitas . Paſqualigus *deciſ.* ccc. *num. 6.* loco parvitatis materiæ habet laborem tertiæ partis diei feſti; dummodo ſolæ horæ computentur quibus operarii laborare ſolent : puta, ſi duodecim diei horas operarii laborant , die feſto quatuor horas laborare poterunt : quia, inquit Auctor iſte , licet cum aliqua trepidatione , quatuor horæ reſpectu duodecim horarum cenſendæ ſunt tempus breve , & modicum . Hanc opinionem recenſuimus *diſſert.* 1. *cap.* 11. *§.* 2. *num.* 7. inter ſententias quæ viribus doctis, & piis nimium laxæ videntur . Mihi autem non laxa modo , ſed laxiſſi-

xiſſima eſt, & tamquam omnino improbabilis abiicienda. Tertia ſiquidem pars cuiuſque rei, non levis, ſed gravis portio eſt, in communi omnium exiſtimatione. At in re manifeſta non eſt diutius immorandum. Diana *I. Part. tract.* xv. & alibi ſpatium duarum horarum parvam materiam ſtatuit; excuſatque a peccato mortali laborantes integris duabus horis. Huic opinioni ſubſcribit Leander *tract.* 1. *diſp.* vi. *quæſt.* vi. cum aliis Caſuiſtis. Hanc etiam opinionem, ut nimis laxam, graviores Theologi habent, teſte Caſtropalao *tract.* ix. *diſp. unic. punc.* 3. *num.* 4. Alii horam unicam integram eſſe materiam gravem adfirmant: & hanc opinionem nimis rigidam appellat Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* xxxi. *numer.* 2. Quare concludit, arbitrio prudentum hanc difficultatem relinquendam eſſe, ut, conſideratis & perſonarum, & laborum qualitatibus, decernant quod magis conſentaneum iudicaverint. Salmanticenſes *tract.* xxiii. *de* 3. *Decal. præcep. cap.* 1. *punc.* 14. *§.* 1. *num.* 322. hoc Suareſii conſilium improbant, & quod laxitatibus viam aperiat, & quod difficultatis evaſio, non reſolutio ſit. Næ difficultas iſthæc Suarii ingenio ſuperior! Mihi ſane non diſplicet Suarii conſilium; ſed potius admiror facilitatem qua non pauci abſque ullo fundamento, iuxta proprium arbitrium, limites legibus apponunt. In dubiis ſiquidem rebus, quæ eventuum varietate mutantur, viri prudentis eſt iudicium decretorium ſuſpendere. Dubia autem res eſt, quodnam ſit ſpatium temporis leve, vel magnum reſpectu violationis feſtorum. Certo enim dumtaxat aſſerere poſſumus, dari materiam levem, puta unum vel alterum horæ quadrantem. An poſtea ſpatium infra duas horas, aut hora cum dimidio ſit nec ne materia gravis inducens culpam letalem, fateor me nolle abſolute decernere; ſed cum Suario dico, id ex circumſtantiis colligendum eſſe. Clarius aperiam mentem meam. Si Chriſtianus, nulla prorſus cauſſa rationabili, ſed ſola aviditate lucrandi, & augendi patrimonium, per integram horam in ſua officina in ſervili opere deſudaret; ſi inſuper illum ex ſuæ conſcientiæ manifeſtatione agnoſcerem rerum terrenarum amore captum, divino cultui parum addictum, patrimonii augendi impotenti cupiditate ardentem: eum ego de præterito labore abſolverem, tamquam de culpa ſoli Deo comperta, ſi inter cetera adpromitteret ſe impoſterum ceſſaturum ab opere ſervili tempore ſacro; ligarem vero, ſi perſiſtere vellet in prava conſuetudine dicti laboris. Secus me haberem cum altero qui ob aliquam, licet non adeo gravem, cauſſam etiam ſupra horam laboraret. Igitur, ut ego ſentio, melius ex perſonæ ſtatu, ex illius conſcientiæ ratione, & ex conſuetudine, aliiſque circumſtantiis, quam ex uno vel altero plus minuſve quadrante reſolverem eſſe mortalem culpam, aut venialem. Labor tamen ſervilis per duas integras horas abſolute, & quocumque circumſtantiarum reſpectu præciſo, materia gravis eſt, ac peccatum mortale; ut communior ſententia docet. Prudentum ergo arbitrio relin-

linquimus iudicandum de temporis ſpatio infra duas horas. Sic enim laxitatibus via occluditur, & benignæ interpretationi aditus aperitur. Quare, ut improbabilem, reiicimus hanc opinionem Tamburini *Lib. IV. in Decal. cap.* III. *ſ.* 2. *numer.* 2. „ Notat hic Sanchez *Lib. I. in Decal. cap.* IV. *num.* 12. Bonacina mox citandus *num.* 3. non eſſe mortale ſingulis feſtis per duas operari horas; quamvis animo fixum teneas, id toto anno efficere velle, & de facto efficias. Ratio eſt, quia unus dies feſtus non adnectitur cum alio ad huius materiæ gravitatem efformandam. " Sanchez nec verbum habet de duabus horis. Ceterum firmum illud propoſitum laborandi per totum integrum annum ſingulis feſtis duabus horis quis, præter Tamburinum, ſimilesque Theologos, a gravi culpa purgare auſerit?

III. Quæſt. II. *An dominus qui præcipit ut plures ſui famuli per integrum diem ſerviliter laborent, ob lucrum percipiendum, ſed ſinguli ſolum modico tempore, peccet mortaliter?* Reſp. Quod humana malitia plures excogitaverit ratiunculas, quibus eludere leges poſſet, ſtupere minime debemus; ſed mirari ſubit, Theologos nova in dies dogmata excogitare, ut quæ homines carnales pro ſuis explendis appetitionibus peragunt, licita conſtituant. Prædictum ſiquidem dominum talia ſuis famulis præcipientem non peccare mortaliter, docent Leander *tract.* I. *diſput.* VI. *quæſt.* X. Trullenchus *Lib. III. in Decal. cap.* I. *dub.* 10. Salmanticenſes *tractat.* XXIII. *cap.* I. *punc.* 14. *ſ.* I. *num.* 324. Tamburinus *Lib. IV. in Decal. cap.* III. *ſ.* 2. *num.* 2. his verbis. „ Non abſimili modo advertit Bonacina .... dominum, iniungentem laborem duarum horarum viginti v. g. famulis ſimul, non peccaturum mortaliter: quia unius opus nequaquam unitur cum opere alterius. Idemque erit ex Portella, ſi ſinguli ſucceſſive per modicam horam in eodem die laborent, etiamſi, uno poſt alterum laborante, totus dies occupetur: quia pari modo unius opus cum alio non connectitur. " Duo hic laxitatem ſapiunt. In primis ſpatium duarum horarum iuxta communiorem opinionem materia gravis eſt. Quapropter famuli ipſi peccarent mortaliter. Ad dominum præcipientem quod attinet, omnino improbabilis iſthæc mihi videtur opinio ad illudendum legibus adinventa. Ratiunculæ quibus nititur, vanæ ſunt. Licet enim phyſica unione careant opera illa, reſpectu tamen præcipientis morali unione connexa ſunt. Siquidem dominus præcipiens unicum commodum, unicum lucrum intendit acquirere; &, ubi ſunt multa propter unum, Philoſopho etiam ſuffragante, ibi eſt unum tantum.

IV. Ut itaque iſtius opinionis falſitas evidenter pateat, a metaphyſicis ſubtilitatibus præſcindamus oportet: etenim in morum difficultatibus reſolvendis, morali, ut ſic dicamus, modo differendum eſt. Et primum, labor famulorum ſimultaneus eſſe poteſt, aut ſucceſſivus: nempe viginti famuli una hora ſimul labora-

re

re poſſunt, aut ſinguli ſucceſſive una hora. P. Claudius La-Croix de more pro utroque caſu patronos affert *Lib. III. tract.* III. *cap.* I. *num.* 580. In labore ſimultaneo & ipſe docet, ſecluſo ſcandalo, ſolam eſſe culpam venialem. In labore ſucceſſivo, inquit, Bonacina, Caſtropalaus, Oviedo, Trullenchus, Diana, Paſqualigus, Tamburinus, Illſung, aliique *communius adhuc excuſant mandantem a mortali*. Oppoſitam tamen huic ſecundæ ille defendit. Communior hæc Caſuiſtarum opinio horrorem piis Chriſtianorum auribus ingerit. Præfatus igitur dominus, præcipiens viginti famulis laborem duarum horarum, infert gravem iniuriam tempori ſacro. Quid, quæſo, in morali conſideratione intereſt quod propria, vel aliena manu operetur? Si propriis manibus totum opus illorum famulorum efficeret, peccaret; at ſaltem laboris pœnam ſubiret. Quod vero per famulos operetur, id etiam commodi habet, ut, dum ipſe otio diffluit, ſervorum ſudoribus lucrum aſſequatur. D. Auguſtinus *ſerm.* XIV. *de Sanctis* aſſerit, Saulum eorum omnium manibus divum Stephanum lapidaſſe, quorum veſtimenta cuſtodiebat, ut expeditius Protomartyrem lapidibus obruerent. An negare quis auſus fuerit, potiori ratione herum hunc ſerviliter integro die feſto laborare, cuius iuſſu tot famuli, diviſis inter ſe horis, toto die feſto laborant? Paulus non iuſſit lapidationem Stephani, ſed tantum veſtes ſervavit: & ob hanc veſtium cuſtodiam Auguſtinus teſtatur, illum cooperatum fuiſſe martyrio Stephani. Quid ergo diceret Auguſtinus de hero noſtro, iubente laborem famulis ſuis integro die feſto, cum ſola ſucceſſiva perſonarum quot horis ſubſtitutione?

V. Reſpondent Salmanticenſes loco citato, ideo Saulum graviter peccaſſe, quia, ut dicitur Act. VII. *Saulus erat conſentiens neci eius*. Conſenſus ergo, & conſpiratio, inquiunt, in mortem Stephani fuit Sauli peccatum. Adduntque ex Cornelio, & Sylveira ipſum invidia adverſus Stephanum exarſiſſe. Sed ut, quam inanis ſit reſponſio hæc, oſtendam, verba Auguſtini iſthuc tranſcribenda ſunt. *Nam, & quando lapidatus eſt Stephanus primus Martyr pro nomine Christi, evidentius aderat & Saulus: & ſic aderat lapidantibus, ut non ei ſufficeret, ſi tantum ſuis manibus lapidaret. Ut enim eſſet in omnium lapidantium manibus, ipſe omnium veſtimenta ſervabat, magis ſæviens omnes adiuvando, quam ſuis manibus lapidando*. Serm. XIV. de Sanct. edit. Lov. Iſthic Auguſtinus ſub examen inducit peccatum quod Saulus perpetravit cuſtodiendo veſtimenta lapidantium: & decernit, ipſum omnium lapidantium manibus peccaſſe, quod omnium veſtimenta ſervaverit. Quod autem etiam invidiæ livore, aliiſque pravis affectionibus adverſus Stephanum percitus eſſet, non impedit quominus eius cooperatio in mortem Stephani peccatum fuerit. Debuiſſent oſtendere ex Auguſtino, Saulum non fuiſſe cooperatum morti Stephani, neque peccato lapidantium, dum eorumdem veſtimenta cuſtodivit. At oppoſitum apertiſſime docet Auguſtinus tum verbis recita-

tis,

Digitized by Google

tis, tum verbis quæ iidem Salmanticenſes opponunt ex ſerm. 1. de Sanct. *Ab ipſo omnium lapidantium veſtimenta ſervabantur, ut tamquam in manibus omnium ipſe lapidare videretur*. Cum ergo herus noſter non ſolum impedimenta ad laborem non removeat a ſervis, ſed reipſa ſuo imperio cogat eos diem feſtum profanare; evidenter conſtat illum reum eſſe totius operis quod peragunt famuli.

VI. At, inquiunt iterum Salmanticenſes, aliique, ſervi non peccant mortaliter: ergo nec herus præcipiens. Supponitur enim, ſingulos ſervos brevi tantum tempore laborare. An non poterit herus præcipere quod ſervi licite agere valent? In primis, ſi iuxta Leandrum, & Tamburinum ſervi duabus integris horis laborarent, nec ipſi Salmanticenſes eos a culpa gravi eximerent. Deinde, etiamſi per integram ſolam horam laborent, ſin mortaliter, venialiter tamen iuxta omnes, iuſta cauſſa ſublata, peccabunt. Porro nec peccatum veniale licitum eſt. Conſtat ergo nec famulos licite operari. At, peccato famulorum omiſſo, dicimus herum, præcipientem laborem præfatis famulis, ſive ſimul, ſive ſucceſſive acceptis, peccare mortaliter. Suo enim mandato iubet ſervilia opera omnium famulorum, quæ, licet diviſim accepta reſpectu ſervorum ſiſtant intra limites materiæ levis, ſimul tamen ſumpta, ut ſtant ſub unica illa domini iuſſione, gravem, quin graviſſimam, materiam conſtituunt, & conſequenter culpam letalem. Et revera, ſi idem herus eodem die pluribus vicibus, licet ſingulis modico tempore, ſerviliter operaretur, fatentibus adverſariis, peccaret certe mortaliter. At in hoc caſu, inquiunt, eſſet eadem perſona, & eadem dies: cum autem famuli plures laborant, dividuntur perſonæ; & ideo, licet opera uniantur ratione unius diei, interrumpuntur tamen ob multitudinem perſonarum. Mihi ſane nugæ ſunt iſtæ. Interrumpuntur utique phyſice, & reſpectu ſervorum; at, ut cadunt ſub unico domini imperio, moraliter uniuntur: quia qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur. Quod evidenter ita confirmari poteſt. Si herus iſte iuberet famulis ſuis a pluribus templis parva furari, quæ ſimul accepta gravem efficerent materiam; dubio procul graviter peccaret, non modo in genere furti, verum etiam in genere ſacrilegii. Cur ergo non peccabit, dum iiſdem famulis præcipit ut ſinguli modicam temporis Deo conſecrati partem, operis ſervilis labore profanent? Sicut enim domus per ſpiritualem conſecrationem divino cultui deputantur, & templa, ſeu Eccleſiæ vocantur; ſic temporis aliquod ſpatium per feſtorum inſtitutionem Deo conſecratur. Reponunt Salmanticenſes, idcirco peccaturum letaliter dominum præcipientem modica furta, quod inferat grave damnum legitimo poſſeſſori. Et in reſponſionis confirmationem afferunt propoſitionem ab Innocentio XI. damnatam, quæ hæc eſt. *Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit ma-*

magna ſumma totalis. Hæc propoſitio, non de diverſis, ſed de eodem fure loquitur. Quare non eſt omnino ad rem. In rem noſtram potius confert altera propoſitio eiuſdem Innocentii XI. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*. Peccat itaque qui inducit ad inferendum grave damnum alteri, ſive per unum, ſive per plures ſervos id præſtet. Atqui herus noſter infert gravem iniuriam tempori ſacro, dum iubet famulis pluribus integrum diem, ſingulis horis ſibi ſuccedentibus, opus ſervile continuare. Profanat ergo graviter tempus ſacrum; quemadmodum per fures famulos profanaret ſacrum locum. Et, ſicuti iubendo furtum, damnum domino, & Reipublicæ civili infert; ita præcipiendo præfatum laborem, offenſam Deo irrogat, & Reipublicæ chriſtianæ, eo quod tempus ſurripit, Deo, & Chriſtianorum ſpirituali profectui conſecratum. Diſtinctiunculæ autem de partitione operum ſervilium, quæ in qualibet perſona terminantur, & paritas ieiunii, & obligatio perſonalis, aliaque ſimilia inventa, frigidas & nimium abſtractas redolent ſubtilitates, a morum chriſtiana Theologia prorſus exterminandas. Quare hanc adverſariorum opinionem inter propoſitiones quæ viris piis, & gravibus laxæ videntur, *diſſertatione* 1. *cap.* 11. merito recenſuimus; & nunc, tamquam nobis improbabilem, fidenter reiicimus. Eam quoque reiiciunt Sinnichius in ſuo *Saule Exrege Lib. I. cap.* CVII. Gonet *Tom. III. diſſert. de opin. prob. art.* 3. *num.* 112.

VII. Quæſt. III. *Quæ neceſſitas excuſat laborantes die feſto a tranſgreſſione præcepti?* Reſp. Neceſſitatem quandoque excuſare ab obſervatione diei feſti, ut certum, omnes ſtatuunt. In eo vertitur difficultas, quænam neceſſitas ſatis ſit ad eximendum ab eiuſmodi præcepti obſervantia. Triplicem neceſſitatem diſtinguit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* CXXII. *artic.* 4. *ad* 3. inquiens: *Quilibet autem, tam ſervus, quam liber, tenetur in neceſſariis providere non tantum ſibi, ſed etiam proximo: præcipue quidem in his quæ ad ſalutem corporis pertinent, ſecundum illud Prov.* XXIV. Erue eos qui ducuntur ad mortem: *ſecundario autem etiam in rerum damno vitando, ſecundum illud Deuter.* XXII. Non videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis, ſed reduces fratri tuo. *Et ideo opus corporale pertinens ad conſervandam ſalutem propris corporis non violat ſabbatum. Non enim eſt contra obſervantiam ſabbati quod aliquis comedat, & alia huiuſmodi faciat, quibus ſalus corporis conſervatur. Et propter hoc Machabæi non polluerunt ſabbatum pugnantes ad ſui defenſionem die ſabbati . . . Et propter hoc etiam excuſat Dominus Matth.* XII. *diſcipulos ſuos, qui colligebant ſpicas die ſabbati propter neceſſitatem quam patiebantur . . . Similiter etiam opus corporale quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum non violat ſabbatum*. Prima itaque neceſſitas quæ licita reddit ſervilia opera die feſto, eſt neceſſitas propriæ

ſalutis: qua de cauſſa excuſantur milites die feſto ad defenſionem propriæ vitæ dimicantes, eaque omnia peragentes quæ ad victoriam obtinendam neceſſaria, & congrua iudicaverint. Excuſantur quoque pauperes, qui, ut ſe, ſuamque familiam alant, die feſto laborant; dummodo vera, evidens, & graviſſima ſit neceſſitas. Excuſantur coqui cibos præparantes, ut iam dictum eſt ſupra: ubi animadvertimus, artem culinariam extendendam haud eſſe ad eos cibos qui die præcedenti parari commode poſſunt, ut coquere panem, molere triticum; aut qui ad communem victum minime ſunt neceſſarii, ſed ſolum ad gulam, & concupiſcentiam ſovendam, ut ſunt bellaria, tragemata, idque genus ſimilia, auro argentoque exornata, quæ piſtores dulciarii, ſeu cupedinarii efficiunt. Hæc omnia diebus profeſtis parari debent. Excuſantur quoque agricolæ, qui tempore meſſis, & vindemiæ ſegetes metunt, & triturant, vel fructus, aut uvas colligunt, ſenumque ventorum, grandinis, & pluviarum ſubducunt periculo. Hæc omnia licita reputabant etiam Ethnici, teſte Virgilio in Georgicis, in quibus, ut exiſtimat Macrobius, ne latum quidem unguem a veteri Pontificum iure receſſit, dum inquit:

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas, & iura ſinunt. Rivos deducere nulla
Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balatumque gregem fluvio merſare ſalubri.

VIII. Altera neceſſitas quæ ſerviliter operari die feſto licitum efficit, eſt proximi ſalus corporalis, iuxta illud Ioannis VII. *Si circumciſionem accipit homo in ſabbato, ut non ſolvatur lex Moyſi; mihi indignamini, quia totum hominem ſalvum feci in ſabbato?* Quare excuſantur chirurgi venas incidentes, pharmacopolæ medicamina parantes, iique omnes qui infirmis curandis auxilium, & opem ferunt.

IX. Quæſt. IV. *An tonſio barbæ licita ſit feſtis diebus?* Reſp. Inter ea quæ ad corporis ſalutem vel decentia, vel neceſſaria ſunt, recenſetur tonſio barbæ. Hinc Caſuiſtæ non pauci abſolute licitum eſſe adfirmant barbam tondere feſtis diebus; & pro unica ratione conſuetudinem legitime invectam obtrudunt. Sed communis Theologorum ſententia oppoſitum docet: quod probatur auctoritate Ioannis XXII. Pontificis Maximi qui in litteris ad Philippum V. Galliarum Regem datis anno 1315. & ab Odorico Raynaldo relatis ad eumdem annum *num.* 4. abuſum tondendi barbam inhibuit his verbis. *Illud ſane quod inoleviſſe in illis partibus dicitur, ut videlicet paſſim in quamdam divinam irreverentiam exerceantur iudicia die dominico, & radendis ac tondendis barbis, atque capitibus intendatur, te diſſimulare non decet; cum dies illa divino cultui ſpecialiter dedicata talibus profanari*

nari non debeat. Idem confirmat Synodus Andegavenſis celebrata anno 1282. *Cum diebus feſtivis, ob reverentiam Dei, & Sanctorum introductis, præcipue diebus dominicis, honori maieſtatis altiſſimæ conſecratis, a Chriſtifidelibus ſit ab omni opere ſervili abſtinendum, ac ceſſandum, & divinis cultibus iugiter inſiſtendum; omnibus, & ſingulis Rectoribus, & Capellanis in virtute obedientiæ præcipimus, & mandamus, quod ipſi parochianis ſuis inhibeant ſub obteſtatione divini iudicii, & pœna excommunicationis, ne ipſi dictis diebus dominicis barbas radant, vel alias barbitonſorium officium exerceant*. Quid quod barbitonſores Romani in libro pro illius artis regimine typis edito quem ego legi, ſed nunc non teneo, inter ceteras regulas unam habent, ne diebus feſtis artem exerceant. Ex quibus collige, artem radendi barbam, mechanicam eſſe, & ſervilem; atque abſolute die feſto vetitam. Dixi abſolute, quia caſus occurrere poſſunt in quibus licitum ſit eiuſdem exercitium; ut cum agricolæ, paſtores, iter agentes profeſtis diebus nequeant ſine gravi incommodo adire barbitonſores, iſtos radere feſtis diebus licitum arbitramur. Parvitas quoque materiæ excuſat barbitonſorem, unam vel alteram tondentem barbam. At numquid peccati mortalis damnabis illos barbitonſores, qui, ni feſtis diebus clientibus ſuis barbam radant, & ipſos amittunt, & lucri iacturam faciunt? Abſoluta reſponſio vix dari poteſt; ſed ex multis circumſtantiis, quid faciendum ſit, pendet. Qui ob ſolam lucri aviditatem his diebus artem exercent, damnandi ſunt. Qui alendæ familiæ neceſſitate cogente laborant, tolerandi, & admonendi, ut maiori qua poſſint cautela id faciant, ut Miſſam audiant, Veſperis, & divinis laudibus, quoad fieri poteſt, interſint. Verum maioris culpæ ſæpius rei ſunt ipſi homines tondendi, qui, nulla neceſſitate coacti, ſed ob ſolam vanitatem, ut ſe magis comptulos, & ornatulos prodant ſolemnioribus diebus, tempore dumtaxat ſacro barbitonſores adeunt, & profeſtis diebus perpetuo diſfluunt otio, vel ludis, rebuſque ineptis vacant. Iſti ſane excuſari nequeunt, reique ſunt: tum quod ipſi peccent; tum quod aliis peccandi occaſionem præbeant, pravumque abuſum, & ſcandalum foveant. Severior ratio cum ſartoribus, & ſutoribus habenda eſt. Niſi enim vera urgeat neceſſitas, excuſandi non ſunt. Rarius autem in hac quam in barbitonſoria arte neceſſitas occurrit.

X. Quæſt. V. *An famuli qui coguntur a dominis ſuis die feſto laborare, a culpa excuſentur, ſi obediant, ne grave damnum incurrant?* Reſp. Id in primis certum eſt, non poſſe excuſari, ſi in contemptionem diei feſti cogerentur a dominis ſerviliter operari. Quin in hoc caſu, etiam cum vitæ diſpendio, deberent ab operibus abſtinere: quoniam bonum fidei, & religionis præire debet cuique temporali vitæ damno. Si vero domini cogant eos laborare ob ſolum lucrum, & commodum; ne grave damnum ſubeant, laborare licite quandoque poſſunt. Tertia

ſiquidem neceſſitas, quæ ſecundum D. Thomam excuſat laborantes, eſt ratio evitandi imminens damnum rei exterioris. Opera itaque ſervilia quæ ad grave damnum vitandum, ſive proprium, ſive alienum, neceſſaria ſunt, licite feſtis diebus fieri valent. Illud ſolum recogitandum eſt, ne malum quod imminens dicitur, fictum ſit, & imaginarium. Servi tamen qui abſque iuſta cauſſa ſæpius a dominis compelluntur laborare ſerviliter feſtis diebus, debent tales dominos deſerere, ne deſerantur a Domino Deo, quo protegente, alios invenient. Quapropter illud malum dumtaxat a labore ſervili malitiam removet quod evitari non poteſt, niſi gravi incommodo. Hac ratione excuſantur decolantes ferrum, coquentes vitrum, ſaponem, calcem, tegulas, ollas, & ſimilia, ſi eiuſmodi opera iam inchoata feſtis diebus continuent: quia ex interruptione grave & inevitabile damnum ſequeretur. Non tamen excuſantur qui præfata opera inchoant feſtis diebus, maxime coctionem calcis, laterum, & ollarum. Verum hæc omnia ex prudentum arbitrio frequenter pendent.

XI. Quæſt. VI. *An occaſio comparandi magnum lucrum excuſet ab obſervatione diei feſti?* Reſp. Affirmant non pauci recentiores: quia amiſſio magni lucri grave damnum reputatur; ad quod vitandum licitus eſt labor ſervilis. Quod confirmant auctoritate Alexandri III. Pontificis ſummi, qui ſuper piſcatione alecium diſpenſavit, ut ſupra dictum eſt, exceptis tantum ſolemnioribus feſtis. Pro hac opinione citatur Caietanus; ſed immerito: nam Caietanus in *Summa verbo*, *Feſtorum violatio*, loquitur de lucro quod in commune Reipublicæ bonum cedit. Præfatam opinionem defendunt Tamburinus, Diana, Sporer *tract.* 111. *in* 3. *præcep. Decal. cap.* IV. *ſec.* 4. *ſ.* 1. *num.* 51. quam tamen nos, ut improbabilem, reiicimus. Atque, ut congruam exhibeamus reſponſionem, duplex lucrum, ſeu commodum diſtinguimus, privatum, & publicum. Ob lucrum, commodum, & utilitatem Reipublicæ licitum eſt feſto die laborare; idque omnes fatentur. Et ob hoc commune, & publicum bonum, atque utilitatem diſpenſavit Pontifex ſummus piſcari die feſto aleces; cum onere tamen ſuccurrendi pauperibus, atque munera offerendi vicinis Eccleſiis, ut alias dictum eſt, ex cap. illo *Licet de fer.* Unde hanc pro noſtra ſententia elicimus rationem. Pontifex privilegium piſcandi aleces ob publicam utilitatem impertitus minime eſt abſolute, ſed cum dictis oneribus eleemoſynarum. Et ad has eleemoſynas tenentur omnes, quicumque præfatos, vel ſimiles piſces, qui nonniſi ſtato tempore capi poſſunt, piſcari feſtis diebus volunt. Neque hoc dumtaxat conſulit Pontifex, ut contendit Sylveſter, ſed ut debitam imponit conditionem. Porro, ſi diſpenſatione opus fuit, ut talis piſcatio, ob publicam utilitatem facta, licita eſſet; & nonniſi cum conditione & onere eleemoſynarum conceſſa fuit: quo fundamento heinc inferre audent, licitum eſſe abſque ulla diſpenſatione ſervilem laborem ſacro tempore ob ſolam privatam utilitatem?

Nec

Nec alicuius momenti eſt argutatio illa qua ex lucri iactura grave inferunt damnum. Eſt enim purus, putuſque paralogiſmus. Nam lucrum, de quo eſt ſermo, non eſt debitum; neque ad illud aſſequendum ius aliquod habet homo operarius. Solum amiſſio illius lucri, & eorum bonorum loco damni proprie habetur, in quæ ius, & dominium, qui amittit, habet. Qui vero amittit lucrum contingens, in quod nullum habet ius, ſed ſolam aptitudinem & habilitatem omnibus communem ad illud comparandum; minus proprie damnum pati cenſetur. Et, ſi ob hoc damnum vitandum licitus eſſet feſtis diebus ſervilis labor, actum eſſet de feriatis diebus. Nam omnes, ex quo non lucrarentur, ſe magnum pati damnum obtruderent. Nec voces illæ magni, & extraordinarii lucri quidpiam aliud efficiunt; niſi aures imperitorum implere, vacuiſque mentibus errandi occaſionem aperire, & anſam præbere quodlibet lucrum extraordinarium ſibi reputandi. Abludit autem a vero quod poſtea ſubdit P. Sporer loco citato, exiſtimandum ſcilicet haud eſſe, Eccleſiam piam matrem velle obligare fideles ſuos ad rem ſane difficillimam, qualis eſſet abſtinentia ſervilium operum, quæ lucrum multorum aureorum, alias non ita facile obvium, amittere cogit; idque maxime fatendum, quando lucrum, alias ab aliis caperetur, v. g. in locis diverſarum religionum. Hoc commento frequenter utitur Auctor iſte, ut alias obſervavimus, quo tum Dei, tum Eccleſiæ intentionem dimetiri contendit pro ſuo arbitrio. Nec alio ſpectant eiuſmodi interpretamenta, quam eo ut legem humanæ accommodent cupiditati. Exiſtimandum eſt, Eccleſiam velle fideles ſuos obligare ad colendum Deum iuxta Evangelium Chriſti dicentis: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*. Difficilis ne res eſt amiſſio lucri plurium aureorum? An non difficilius, nos aurum & argentum poſſidere, tamquam non poſſidentes; animumque & affectum ab iiſdem ſeiunctum continenter ſervare? Et tamen hæc omnia Chriſtus præcipit, ut difficiliora nunc prætercam, alibi relaturus, occaſione profligandi ſimilia inventa. Sola itaque neceſſitas vitam, & familiam alendi, non cupiditas lucrandi, ab onere feriandi excuſat. Sententiam noſtram omnes antiqui Theologi docent. Sufficiat unum pro omnibus laudare D. Thomam, qui conceptis verbis docet, cauſſam acquirendi lucrum non excuſare a ieiunio; & conſequenter multo minus a ſanctificatione diei feſti. *Ex quo patet quod intentio maioris lucri non neceſſarii eos a peccato non excuſat, ſi ieiunium frangant*: in IV. diſt. xv. quæſt. III. art. 4. ad 3. Eadem docent Gabriel, Antoninus, Durandus, omneſque graves, & pii Theologi.

XII. Quæſt. VII. *An agitare liceat feriatis diebus tauros moloſſorum morſibus expoſitos, ut invicem cornibus, & dentibus bellum peragant?* Reſp. Sunt qui id abſolute licere aſſerunt, maxime ob publicam Reipublicæ lætitiam; quemadmodum ob hanc univerſalem cauſſam aſſerunt licitum eſſe artificibus theatra, tabulata, ar-

cus triumphales, veſtes, & ſimilia artefacta conſtruere, vel ob inſignem partam victoriam, vel ob ortum, aut adventum Principis. Quid ex Principum imperio licitum ſit, mea nunc non intereſt curioſius inquirere. Scio ob publicam utilitatem, commodum, & neceſſitatem licitum eſſe feſtis diebus ſerviliter laborare. Ceterum nego propoſitam taurorum agitationem diebus feſtis culpæ expertem eſſe. Eſt actio ſuapte natura ſervilis; nullaque adeſt iuſta cauſſa ipſam excuſans: quin in ipſis profeſtis diebus licita vix eſt præfata agitatio. Nec eſt quod contrariam obtrudas conſuetudinem: quoniam non conſuetudo, quæ rationabilis ſit, ſed abuſus, & corruptela appellari merito debet. Siquidem hæc ludicra bella, quæ Ethnicorum ſapiunt mores, & crudelitatem, populum commovent, a cultu divino avocant, atque ad inſanientis mundi oblectamenta provocant. Quare non ob id ſolum quod ſervilia exercitia ſunt, feſtis diebus adverſantur; ſed etiam ob ſcandala, quæ inde profluunt, prohibita aſſerimus.

XIII. Quæſt. VIII. *Quomodo pietas, religio, & diſpenſatio ſint iuſtæ cauſſæ, quæ laborem ſervilem feriatis diebus licitum conſtituant?* Reſp. De pietate, & religione iam dictum ſufficienter eſt ſupra *cap.* VI. Nec enim res adeo difficilis eſt, ut fuſiorem requirat ſermonem. Nam opera quæ ex ſuo genere pia ſunt erga proximum, ut ſepelire mortuos, induere nudos, curare infirmos, planum eſt ſæpius vi caritatis debita eſſe, nedum licita. Quæ vero per ſe pia non ſunt, ſed ſuapte natura ſervilia, ſolumque ex operantis intentione in opus pium diriguntur, niſi neceſſitas urgeat, minime licita ſunt. De religione ſatis loco laudato explicatum eſt, quomodo excuſet ab obſervatione feſtorum. Ultima ergo cauſſa quæ laborantes ſerviliter feſtis diebus excuſat a culpa, eſt diſpenſatio. Hæc eſt iuris alicuius relaxatio, ab habente legitimam poteſtatem facta. De iſtius valore, & conditionibus ſuo loco fuſius. In præſentia ſolum dicimus, poteſtatem diſpenſandi ab obſervatione feſtorum reſidere primum in ſummo Pontifice, qui Paſtor eſt ſupremus univerſæ Eccleſiæ. Secundo hac poteſtate potiuntur Epiſcopi, qui non ſolum diſpenſare valent in feſtis a ſe, & ſua Synodo præſcriptis, ſed etiam in feſtis quæ pro univerſa Eccleſia præcipiuntur, maxime in eventibus repentinis, qui frequenter occurrunt. Siquidem fidelibus omnibus facilis non eſt ad ſummum Pontificem acceſſus. Reſidet denique poteſtas iſthæc in Parocho, & Curato, ſeu loci Paſtore. Hic tamen in eventibus dumtaxat extraordinariis, & pro aliquo caſu particulari, & ad tempus diſpenſare valet.

XIV. Præter omnes aſſignatas cauſſas, quæ ſervilia opera de crimine purgant feriatis diebus exercita, alia eſt quæ non tam excuſat a legis obſervatione, quam legem ipſam abrogat; & conſuetudo nuncupatur. De qua id ſolum nunc dicimus, quod, ut a culpa excuſet, & legem tollat, plures requirit conditiones, de quibus ſuo proprio loco diſſeretur. Sub conſuetudinis larva plures abuſus, & corruptelæ

oc-

Digitized by Google

occultantur. Quod communiter a multitudine peragitur, quamquam abuſus manifeſtus ſit, conſuetudinis fuco obducitur. Parochorum, & Confeſſariorum eſt populum edocere abuſus a conſuetudine diverſos, & contra. Eorum eſt pro viribus conſuetudines, legum robur infringentes, coarctare, & limitare. Eorum denique eſt explicare populo criminis gravitatem in violatione feſtorum; & mala etiam temporalia quæ ex tranſgreſſione tanti præcepti obvenire ſolent tranſgreſſoribus. Divinæ ultionis ſupplicia, feſtorum violatoribus ſæpius inflicta, refert Concilium Pariſienſe VI. anni 829. can. 50. *Multi noſtrorum viſu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quoſdam artuum attractione multatos, quoſdam etiam viſibili igne, corporibus oſſibuſque ſimul ſub momento abſumptis, in cinerem ſubito reſolutos, pœnaliter occubuiſſe. Et multa alia terribilia iudicia extiterunt, & hactenus exiſtunt, quibus declaratur quod Deus in tanti diei dehonoratione offendatur.*

DISSERTATIO III.

DE PRAECEPTO AUDIENDI MISSAM DIEBUS FESTIS.

CAPUT I.

Natura, & obligatio iſtius præcepti explicatur; & quas perſonas comprehendat.

I. PRæceptum ſanctificandi feſta negans eſt, & adfirmans; ut alias fuit dictum. Prout negativum eſt, prohibet opera ſervilia, de quibus ſuperiore diſſertatione: prout adfirmativum, præcipit cultum divinum. Quare divino iure Deo cultum feſtis potiſſimum diebus offerre debemus. Cultum hunc Eccleſia ſuo præcepto iubet exhiberi præcipue Miſſæ auditione. Siquidem extra controverſiam eſt, dari in Eccleſia præceptum audiendi Miſſam. Perdoctus Suarez *Tom. III. in* III. *p. diſ.* lxxxviii. *ſec.* I. docet, de fide tenendum eſſe in Eccleſia præceptum impoſitum fidelibus audiendi Miſſam: idque evincere multis decretis contendit, ex iure canonico petitis, ex communi Doctorum conſenſu, & ex uſu, ac conſuetudine eccleſiaſtica. Verum id ſolum de fide tenendum eſt quod in Scripturis revelatum Eccleſia proponit credendum. Nullibi autem revelatum eſt, ab Eccleſia hoc præceptum emanaſſe. Præceptum enim abſolute eccleſiaſticum eſt, ut fatetur & ipſe Suarez; quamvis iuri & naturali, & divino quam maxime conſentaneum.

II. Obligatio iſtius præcepti genere ſuo gravis eſt: quia materia ipſa gravis eſt, & ſummi momenti. Quapropter fideles, qui libere Miſſam omittunt audire feſtis diebus, peccant mortaliter, etiam ſublato ſcandalo, & contemptu. Hocque certum eſt penes omnes. Obſtringuntur quoque fideles audire Miſſam, non ſolum diebus dominicis, ſed omnibus feſtis ex præcepto præſcriptis. Et quamvis in *cap.* Miſſas *de conſecr. diſt.* I. ſolius diei dominicæ mentio fiat, non ob id tamen excluduntur alia feſta; ſed diei dominicæ expreſſa mentio fit: quia hæc ſucceſſit ſabbato, & inter omnia feſta eminet. Ceteris autem diebus, qui ſacri ex præcepto non ſunt, nemo fidelium audire Miſſam tenetur, nec in triduo rogationum, nec in feriis Quadrageſimæ, nec in triduo hebdomadæ ſanctæ, etiamſi feria ſexta in Paraſceve, aut ſabbato ſancto recurreret feſtum Annuntiationis B. Mariæ Virginis. Secus vero dicendum, ſi feria quinta celebrari præfatum feſtum contingeret:

ret : tunc enim adeſſet obligatio audiendi Sacrum, & obſervandi feſtum. Quærere hic ſolent, num ab hac obligatione Pontifex ſummus diſpenſare valeat. Quæ ſane quæſtio inutilis eſt : ſiquidem quandonam occurret iuſta ratio diſpenſandi ab hoc onere? Inanis quoque ex alio capite quæſtio eſt: nam per ſe conſtat, poſſe Pontificem ab omni lege eccleſiaſtica, prout eccleſiaſtica eſt, ſolvere fideles.

III. Præceptum iſtud comprehendit omnes fideles uſu rationis præditos; excludit vero omnes amentes, parvulos, ebrios, & catechumenos : quoniam nec amentes, nec parvuli, nec ebrii capaces ſunt aſſiſtendi Miſſæ præſentia humana. Pueri vero completo ſeptennio, quamquam myſterium non aſſequantur, ſintque adhuc nimium rudes, nihilominus præcepto hoc ligantur. Inſuper qui ſimul cæcus, ſurdus, & mutus eſſet a nativitate, abſolute loquendo teneretur audire Miſſam : potiori autem iure obſtringeretur qui talis non foret a nativitate, vel qui tantum cæcus, aut ſurdus eſſet. Poſſunt enim hi omnes modo quodam humano aſſiſtere; quidquid dicat cum ſuo Gobat La Croix *Lib. III. p. 1. num. 616.* Catechumeni non tenentur, eo quod legibus Eccleſiæ ſubiecti non ſint : quare nec ad partem Miſſæ ante offertorium tenentur. Hac eadem ratione excluduntur infideles omnes. Soli ergo fideles omnes poſt rationis uſum adſtringuntur Miſſam audire, non modo ſæculares, verum etiam Religioſi, Sacerdotes, & Epiſcopi. Quin iſti potiori iure obſtricti ſunt, inquit Sanctus Antoninus II. Part. tit. IX. cap. X. §. I. *Si enim tenentur ad hoc laici; multo magis Clerici; & Religioſi, qui ad maiora tenentur, & qui totaliter ſunt divino cultui deputati: XII. quæſt. I. Duo ſunt: & permaxime cultus divinus in Miſſa exhibetur. Nec menti occurrit aliquod generale præceptum ad laicos ad quod Clerici non teneantur, cum debeant eſſe exemplum ceterorum.*

CAPUT II.

De Miſſa, quæ feſtis diebus audiri debet. Miſſa audienda integra eſſe debet. Qui plures partes ſimul audit, vel duas ſucceſſive, non ſatisfacit præcepto.

I. Miſſa alia ſolemnis, ſeu cum cantu, alia privata, ſeu quæ ſine cantu celebratur. Alia eſt catechumenorum, alia fidelium. Alia votiva, alia propria, ſeu de die. Miſſa, quam vi præcepti fideles audire tenentur, integra eſſe debet. Quod clariſſime præcipitur in cap. *Miſſas*, ubi hæc habentur: *Miſſas die dominico ſæcularibus totas audire ſpeciali ordine præcipimus*. Et quamvis, ut animadvertit Suarez, illa particula *totas* in aliquibus codicibus antiquis deſideretur, in pluribus tamen reperitur; neque de hoc difficultas eſt. Non requiritur quod ſit

ſit ſolemnis; ſed cuiuſque integræ Miſſæ, ſive propriæ, ſive de tempore, ſive votivæ, ſive de Sanctis, auditio ſatis eſt ad implendum præceptum. Nec etiam exigitur ut latine recitetur; ſed quocumque idiomate, ſive Latino, ſive Græco, ſive Syriaco, ſive Illyrico, quocumque denique ritu ab Eccleſia Romana approbato, Miſſam celebratam audiant fideles, præcepto ſatisfaciunt. Præceptum ſiquidem eſt de audiendo Sacro abſolute, non hoc, vel illo idiomate, aut ritu. Sufficit ergo ut Sacerdos celebrans ſit catholicus, dummodo non ſit excommunicatus, degradatus, aut publicus Clerici percuſſor. Quare, ſi alius Sacerdos non eſſet, qui die feſto celebraret; omittenda potius eſſet Miſſa quam cum tali Sacerdote excommunicato denuntiato communicandum in divinis. Licet tamen audire Miſſam Sacerdotis excommunicati tolerati, & non denuntiati: quia poſt Concilium Conſtantienſe, & conſtitutionem Martini V. nemo tenetur evitare excommunicatos toleratos, non denuntiatos, etiam in receptione ſacramentorum. Eiuſmodi tamen ad celebrandum inducere haud debes t &, ſi alii ſint Sacerdotes, ab iis ſacra audire, & ſacramenta percipere adſtringeris.

II. Quæſt. I. *An qui notabilem Miſſæ partem audire negligeret, letaliter peccaret?* Reſp. Iam dictum eſt, fideles teneri integram audire Miſſam. Sed, quia Miſſa ex pluribus partibus conſtat, in controverſiam vocant Theologi, an aliqua pars omitti poſſit abſque gravi violatione præcepti. Et tanta eſt opinionum varietas, ut Leander circiter duodequadraginta quæſtiones, & non paucas prolixas, inſtituat ſuper hac integritate; & quædam docet iam ab Eccleſia proſcripta. Hæc quæſtionum, & opinionum multitudo, ac varietas rem facilem, & perviam, impeditam obſcuramque efficit. Paucis tamen nos illam expediemus. Et primum ea quæ penes omnes certa ſunt, præmittimus. Qui levem partem, puta introitum, omitteret, ſatisfaceret præcepto; ſecus qui notabilem, ideſt mediam, vel tertiam partem. Sic reſpondet ſanctus Antoninus II. Par. tit. IX. cap. X, §. I. *Septimum dubium eſt de eo qui dimittit aliquam partem Miſſæ, puta introitum Miſſæ . . . . Reſpondetur quod modicum pro nihilo reputatur . . . nec verba legis ita amare interpretanda ſunt; ideo dicendum eſt, quod talis iudicandus eſt ſervator præcepti. Sed, ſi dimitteret partem notabilem, puta mediam, vel tertiam partem; ſecus.* Huic divi Antonini opinioni ſubſcribunt communiter Theologi. Sed in varias poſtea diſtrahuntur opiniones, dum definiunt, quænam ſit pars notabilis, & tertia ipſius Miſſæ, quænam levis. Aliquas hic delibabo. Aliqui dicunt peccare nunc venialiter fideles qui, accepta Sacerdotis benedictione, ſtatim, non audito divi Ioannis Evangelio, diſcedunt. Quoniam, licet in iure caveatur ne quis ante benedictionem Sacerdotis abeat, quia tunc præfatum Evangelium non legebatur in Miſſa; nunc tamen partem Miſſæ conſtituit: quæ opinio mihi ſane probatur. Stephanus Bauny *tract.* VI. *de Sacrificio Miſſæ quæſt.* VIII. docet, non peccare mortaliter eum qui Miſſæ intereſt

Digitized by Google

eſt ſolum ab offertorio incluſive uſque ad poſtcommunionem excluſive. Hæc opinio laxiſſima eſt: quia quæ præcedunt offertorium, & conſequuntur aſſumptionem, conſtituunt pluſquam tertiam partem Miſſæ. Aſſerit quoque idem Auctor, ſatisfacere eum qui in quibuſdam locis a principio Miſſæ uſque ad dictum *Pater noſter* aſſiſtit; obtruditque conſuetudinem excuſantem, quæ corruptela dicenda eſt. Leander docet, eum qui auditurus Miſſam accedit peracta conſecratione, non debere audire alteram medietatem quæ ſequitur. Hæc ſane opinio improbanda eſt: quia falſum eſt non teneri ad partem qui totum implere non poteſt. Ioannes Sancius in *ſelect. diſp.* xv. *num.* 5. ſuſtinet hanc propoſitionem: *Et maxime probabile iudico, accedentem ad audiendum Sacrum tempore quo præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minime teneri reliquis illius Miſſæ intereſſe*: perinde ac ſi quæ præfationem conſequuntur, nempe canon, conſecratio, oblatio, & communio, ad Sacrificium non pertinerent; preces vero, & cetera quæ præfationem antecedunt, ſacrificium efficerent. Hæc opinio, tamquam laxa, & omnino improbabilis, reiicienda eſt. Alii dicunt, ſatisfacere præcepto fideles qui Miſſæ aſſiſtere incipiunt poſt Epiſtolam; alii poſt Evangelium; alii laxiora docent, quæ omnia miſſa facio. Quæ delibavi, ſufficiunt, ut quiſque colligere valeat quam impotens ſit laxandarum legum libido. Præfati Auctores, cum præceptum ſanctificandi feſta, ut adfirmans eſt, exponunt, non alium omnino cultum præſcribere illud decernunt præter auditionem Miſſæ, præſcriptam ab Eccleſia. Cum porro de hoc Sacro audiendo ſermonem habent, in tot partes illud tribuunt, totque partes a debito reddendo decerpunt, ut præceptum colendi Deum feſtis diebus in nihilum fere redigere videantur.

III. Sententia quæ mihi probabilior videtur, hæc eſt. Fideles qui ab Epiſtola incluſive uſque ad finem aſſiſtunt Miſſæ, ſatisfaciunt præcepto; ſecus ii qui vel lecta integra Epiſtola, vel potiori iure lecto etiam Evangelio, Miſſam audire inciperent. Ratio eſt: quia confeſſio, introitus, collectæ cum Epiſtola notabilem partem Miſſæ conſtituunt; & notabiliorem, ſi Evangelium etiam includatur. Ergo qui vel poſt Epiſtolam, vel poſt Evangelium, Miſſæ aſſiſtere incipiunt, non implent præceptum. Atque ut clarius hæc mea ſententia pateat, animadvertendum obiicio, me in dimenſione iſtius præcepti parvitatis, vel gravitatis materiæ non tantum reſpicere materiæ quantitatem; ſed & ex quantitate primum, deinde ex circumſtantiis aliis, materiæ gravitatem, vel parvitatem ſæpius colligere. Exempli gratia; fidelis die dominico, lecta Epiſtola, incipit audire Miſſam. Hac abſoluta, poſſet abſque gravi incommodo aliam audire. Deliberate refugit; ſed, illa detruncata Miſſa contentus, integrum diem ludis, oblectamentis, epulis, aut otio conſecrat. Inſuper ex quodam torpore, deſidia, & rerum divinarum faſtidio ſolet Eccleſiam adire Miſſa iam incepta. Ego ſane fidelem hunc non abſolverem, niſi maiorem in audien-

dienda Miſſa diligentiam adpromitteret. Nec eſt quod opponas, me hoc modo non deſignare certam regulam, unde gravitas, vel levitas materiei deprehendi poſſit. Quin hæ circumſtantiæ evidentius, quod ſtabilivi, evincunt. Quod ſi tibi hæc ratio definiendi gravitatem, aut parvitatem materiæ non ſapit; nec mihi arridet communis Caſuiſtarum plurium methodus, qua abſolutas, & decretorias illas poſitiones, quæ ex mero eorum arbitrio pendent, ſtatuunt. Aliqua ſunt apud omnes levia, ut confeſſio, aut introitus ſimul. Quædam ſunt gravia, ut medietas, vel tertia pars Miſſæ; & omnibus certo talia apparent. Quæ ab his extremis recedunt, dubia ſtatim evadunt; tibi levia, mihi gravia videntur. Cum ergo ex intima rei natura rationes non occurrant, quibus valeamus controverſiam hanc tranſigere; non aliunde melius quam ex circumſtantiis elicere poſſumus materiæ gravitatem ſufficientem ad peccatum mortale, inſpecta etiam ſimul ipſa materiæ quantitate in ſe ipſa; uti fuſius dicemus de quantitate materiæ gravis, vel levis, dum de ieiunio diſputabimus. Et revera adeo mihi veriſimilis apparet opinio propoſita, ut mihi perſuadeam, neminem Theologorum repertum iri qui præfatum fidelem, quem modo deſcripſi, abſolveret, ſi deliberato animo continuare vellet feſtis diebus deſidioſiſſimum illud vivendi genus. Quare ſicut improbabilis mihi eſt iſta opinio, de qua ſupra, & quam docet La Croix *Lib. III. part. 1. tract. 111. cap. 1. dub. 11. num. 595.* his verbis: *Non eſt mortale ſingulis feſtis ad duas horas laborare, quamvis id velis facere, & reipſa facias toto anno; quia dies, & labores illi non uniuntur in ordine ad conſtituendam materiam gravem pro inhonoratione alicuius feſti*: ita improbabilem cenſeo hanc alteram: *Non peccat mortaliter qui vellet deliberato animo integrum annum feſtis diebus audire Miſſam poſt recitatam Epiſtolam, & cetera omnia quæ præcedunt uſque ab initio Miſſæ.*

IV. Quamcumque Miſſæ partem ſine rationabili cauſſa omittere, eſt peccatum veniale; & de hoc nulla eſt diſſenſio. Partes componentes Miſſam aliæ ſunt principales, in quibus Sacrificium conſiſtit; aliæ integrantes, & præparatoriæ. Confeſſio, introitus, Gloria in excelſis, & collectæ ſunt preces, quæ partem non adeo notabilem Miſſæ conſtituunt, ut qui illa omittat, noſtra quidem ſententia, peccet mortaliter. Pax Iordanus tamen, & alii non pauci ſentiunt, eum qui præfata omittit, peccare mortaliter. Ex quo collige, me ab utroque extremo ſeveritatis, & laxitatis, quoad fieri poteſt, declinare. Epiſtola, & Evangelium, quæ verbum Dei ſunt, legemque chriſtianam continent, quæque peculiari ritu, & ſolemnitate cani ſolent in Eccleſia, ut mea præfert opinio, non levem Miſſæ partem efficiunt. canon, conſecratio, oblatio ſeu offertorium, ſive ante præfationem, ſive poſt conſecrationem, & aſſumptio partes potiſſimæ ſunt Miſſæ. Quare qui omitteret aſſiſtere conſecrationi, & aſſumptioni, peccaret ſecundum omnes mortaliter: quia in alterutra Sacrificium conſiſtit, Victima ſiquidem per conſecrationem immolatur,

&

Digitized by Google

& per aſſumptionem conſummatur. Immo, ſi quis ſoli conſecrationi utriuſque ſpeciei intereſſe omitteret, peccaret graviter; cum in conſecratione eſſentia ſita ſit Sacrificii. Idipſum non pauci cenſent de communione, eo quod in hac Sacrificium conſummetur, & ſit nobiliſſima einſdem Sacrificii pars. Verum piget plures hac de re inſtituere quæſtiones. Quis enim Chriſtianorum, cui ſua religio, & ſalus cordi eſt, voluntarie omittet, dum intereſt Miſſæ, aliquam præcipuam illius partem?

V. Quæſt. II. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam qui duas medietates Miſſæ ſimul eodem tempore audiat, puta medietatem unius Sacerdotis uſque ad conſecrationem, & alteram medietatem alterius Sacerdotis celebrantis a conſecratione uſque ad finem?* Reſp. Adfirmant Diana *Part. V. tract.* XIV. *reſ.* 50. & alibi, Bonacina *diſp.* IV. *quæſt. ultim. punct.* 11. *num.* 13. Dicaſtillus *diſp.* V. *dub.* 3. *num.* 40. Geſualdus *I. Part. tract.* XVII. *cap.* 11. *num.* 16. Eſcobar, & Mendoza *tract.* 1. *cap.* 11. *num.* 16. Leander *tract.* XI. *diſp.* 1. *quæſt.* LVII. Banny, Bartholomæus a S. Fauſto, & alii. Opinionem hanc damnavit facultas Lovanienſis anno 1657. Eamdem anno 1679. diris devovit Innocentius XI. in hac, quæ eſt 53. ex damnatis ab ipſo propoſitionibus: *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro qui duas eius partes, immo quatuor ſimul a diverſis celebrantibus audit*. Falſitas propoſitionis damnatæ per ſe patet. Miſſa pluribus partibus conſtat, quæ ſibi invicem ſuccedunt. Simultanea partium exiſtentia repugnat naturæ talis Sacrificii, quod motu labiorum peragitur. Ergo repugnat partes iſtas ſimul audiri. Caramuel in ſua Theologia Fundamentali *fund.* 31. *numer.* 778. pluribus confutat hanc opinionem. Inter alia hæc promit num. 781. *Ergo, ſi eſſent multa altaria, quibus ſimul eſſe præſens Petrus poſſet, & in uno Miſſa inciperetur, in altero Epiſtola, in altero Evangelium, in altero oblatio, in altero canon, in altero conſecratio, in altero poſtcommunio, & in altero ultimum Evangelium, poſſet Petrus uno quaſi momento temporis integram Miſſam audire*. Reſpondet Leander loco laudato ſimili argumento, ſibi a Lugo oppoſito, his verbis. *Dato per impoſſibile (quod moraliter) tale iudico ut quis poſſit aſſiſtere, & intereſſe præaſſignatis decem partibus Miſſarum diverſorum Sacerdotum, in debita diſtantia, humano modo, debita attentione, & devotione, atque cum cognitione clara partium dictarum Miſſarum, & earum connexionis ſufficientis ad integrandam unam Miſſam; tunc vere adimpleret etiam præceptum audiendi Sacrum, quia in utroque caſu eadem militaret ratio*. Hæc referre volui, non ut tempus prodigerem in iis refutandis (ſua enim levitate corruunt, & laxitate nauſeam ingerunt) ſed ut hinc colligat lector, quid iſtorum, & ſimilium Auctorum arbitrio in controverſiis morum tranſigendis deferre debeat. Adhuc in iſtius noſtræ propoſitionis confirmationem placet pauca alia verba exſcribere quæ ibidem habet Leander. Inquit enim: *Nec exiſtimes, o Theologe, hanc noſtram ſententiam eſſe nimis laxam, aut contra*

bonos

Digitized by Google

bonos mores. *Quia, cum omnino moraliter loquendo non ſit practicabilis, nec laxa alicui, nec contra bonos mores videri poteſt. Eſt igitur ſpeculative, & metaphyſice ex principiis intrinſecis probabilis; practice vero, moraliter loquendo, minime: quia illud quod ſpeculando aſſerimus, nequit ad praxim moraliter reduci. Unde ad praxim nec obeſt, nec prodeſt hæc ſententia, licet proſit ad cognoſcendam ſpeculativam veritatem.* Si hæc non ſunt nimis laxa, quænam erunt? Immo ſunt adeo relaxata, ut homines ipſi nequeant ea executioni mandare. Ait enim, ſpeculative opinionem ſuam tantum eſſe probabilem: *quia illud quod ſpeculando aſſerimus, nequit ad praxim moraliter reduci.* Vix enim contingere poteſt quod decem, aut viginti Sacerdotes eo ordine ſimul Miſſam celebrent, ut unus introitum, alter Gloriam in excelſis, alter Epiſtolam, alter Evangelium &c. recitent. Ceterum, ſi caſu hæc acciderent, opinio eſſet probabilis. Et quia reipſa occurrit frequenter, quod duo, vel quatuor ſimul celebrent; idcirco poſſunt fideles implere præceptum, audiendo ſimul eodem tempore duas, vel quatuor partes Miſſæ: & ſic in praxi poterunt fideles duobus, aut tribus minutis præcepto ſatisfacere: quia plurimi ſunt Sacerdotes (utinam non eſſent) qui octo, vel decem minutis Miſſas celebrant. Ex his ipſe audivi aliquos, pluresque huiuſmodi reperiri, teſtati ſunt mihi viri fide digni. Quod vero unico minuto non ſatisfaciant practice præcepto, inde evenit quod moraliter loquendo numquam reperiantur tot Sacerdotes ſimul, neceſſario ad id ordine, celebrantes. Unde concludit Leander, quod, ſi ſua opinio non favet practicæ executioni unius minuti, prodeſt tamen *ad cognoſcendam ſpeculativam veritatem*. Næ egregius ſpeculator!

VI. Quæſt. III. *An ſatisfaciat præcepto audiendi Miſſam integram, qui dimidiam partem ab uno Sacerdote, & poſtmodum dimidiam partem ab altero audit ſucceſſive?* Reſp. Duobus modis evenire poteſt quod quis ſucceſſive a duobus Sacerdotibus duas dimidias partes Miſſæ audiat. Primo, ſervato debito ordine, nempe, ſi quis audiat Miſſam unam ab uno Sacerdote uſque ad conſecrationem, & alteram ab alio uſque ad finem. Secundo, inverſo ordine, ſi quis veniat in templum tempore elevationis unius Miſſæ, eique aſſiſtat uſque ad finem; deinde alteram audiat uſque ad elevationem. Sunt qui defendunt primam, minime ſecundam opinionem. Prima vix in praxi contingere poteſt, niſi Sacerdos decedat in ipſa celebratione; vel niſi quis pro libito velit abſque ratione Miſſæ partem ab uno, partem ab altero Sacerdote audire. Secunda, quæ ordine inverſo duas partes Miſſæ licite audiri poſſe contendit, frequentior in praxi occurrit; eamque recentiores magis communiter defendunt, alii tamquam probabilem, alii tamquam probabiliorem. Giribaldus *tractat.* VIII. *cap.* II. *dub.* 4. *numer.* 16. La Croix *Lib. III. part.* I. *cap.* I. *dub.* 3. *num.* 611. Salmanticenſes *tract.* V. *cap.* VI. *punct.* I. *num.* 7. VVigandt *tract.* X. *exam.* V. *num.* 100. Mirum eſt, Auctorem iſtum, qui profitetur ſaniorem, & probabiliorem do-

doctrinam ſe amplecti, non infrequenter opiniones reipſa minus probabiles edocere. Hæc ſane, de qua agimus, iuxta graviores Theologos eſt minus ſaltem probabilis; quin Franciſco Suarez, quem graviſſimum, & doctiſſimum inter omnes recentiores reputo, eſt opinio iſthæc ſuſpecta. Inquit enim Tom. III. in III. part. diſp. lxxxviii. ſect. 2. *Propter hæc ſuſpecta mihi ſemper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam Theologis, & Iuriſperitis diſplicere video: quia revera eſt parum conſentanea intentioni eccleſiaſtici præcepti, & religioni, ac reverentiæ debitæ huic Sacrificio.* Azorius de hac eadem opinione loquens *Lib. VII. cap.* III. hæc ſcribit: *Neque enim video, quo pacto rem divinam totam, & integram audiat qui eam per fragmenta, & partes audit, qui interrumpit, & dividit, qui ab uno Sacro incepto recedit, & poſtea ad aliud accedit ex parte. Deinde, ſi vera eſt ſecunda ſententia, liceret cuique ſine iuſta cauſa rem divinam per partes audire.* Sed audiamus ipſum *Cardenas*, qui, quamvis contendat, hanc de ſucceſſiva duarum Miſſæ partium auditione propoſitionem nullo modo proſcribi in altera propoſitione damnata de ſimultanea duarum medietatum auditione; nihilominus tamen fatetur, haud eſſe practice probabilem, ſi ad principia intrinſeca animum intendamus. Sic enim ait diſſert. xxxII. in prop. 53. *Et quidem, ſi attenderemus ſolum ad principia intrinſeca, recte dici poſſet, hanc opinionem de auditione ſucceſſiva duarum medietatum, eſſe tenuiter probabilem propter dicta.* Quod autem eſt tenuiter probabile, ipſo Cardena indice, non eſt congrua regula operationis moralis. Itaque, ſaltem ex principiis intrinſecis, hæc opinio erit practice improbabilis. Ad extrinſeca principia quod attinet, nempe Theologorum qui eam defendunt, auctoritatem, dico laudatam opinionem haud fieri probabilem. Siquidem iidem Theologi, ſin omnes, ſaltem plures, qui hanc propugnant opinionem, docebant etiam alteram damnatam de ſimultanea duarum medietatum auditione. Errarunt in illa, cur non in hac? Quid quod principia intrinſeca evincunt, fatentibus ipſis Probabiliſtis, illos erraſſe? Quid quod iſtæ duæ opiniones adeo propinquæ ſunt, & affines, ut ex una alteram profluere teſtetur ipſe Tamburinus *Lib. IV. cap.* II. *numer.* 10. his verbis. *In rigore veram autumo contrariam ſententiam: quia ex illis duabus partibus nequaquam conflatur unum Sacrificium, cui intereſſe iubet Eccleſia. Adde & abſurdum quod ex priore opinione conſequitur: nam ſic poſſet quis ſimul ab uno Sacerdote dimidiam Miſſam audire, & ab alio celebrante eadem hora in vicino altari, aliam dimidiam, & hoc pacto ſatisfacere; cum ad utrumque Sacerdotem moralis præſentia haberi poſſit; quod certe Suarez merito reputat abſurdum.*

VI. Ratione autem evincitur, non ſatisfacere præcepto eum qui a duobus Sacerdotibus duas dimidias partes Miſſæ ſucceſſive audit. Siquidem Eccleſia præcipit audire unum, & integrum Sacrificium Miſſæ. Præfatæ dimidiæ partes non conſtituunt unum, & integrum Sacrificium. Ergo præcepto non ſatisfacit qui has duas ſuc-

ſucceſſivas partes audit. Mirum vero eſt quod ex Caſtropalao reſpondent Salmanticenſes tract. v. cap. vi. punct. 1. num. 7. *Eſto, ut ait Palaus, illæ partes independentes ſint, neque unum Sacrificium conſtituere poſſint; ideoque illis aſſiſtens, nequaquam integro Sacrificio proprie, & in rigore aſſiſtat; attamen ex benigna interpretatione Eccleſiæ communi Doctorum iudicio approbata, reputandæ ſunt partes unum Sacrificium componentes quoad effectum audiendi Sacrum, & ſatisfaciendi Eccleſiæ præcepto.* Mirabile, inquam, eſt reſponſum hoc. Atque, ut eius mirabilitas fiat manifeſtior, obſervandum eſt, ſermonem nunc minime eſſe de Chriſtiano qui, iuſta cogente cauſſa, duas dimidias Miſſæ partes audit; ſed de eo qui ex arbitrio abſque ulla cauſſa partem Miſſæ ab uno Sacerdote, & partem ab altero Sacerdote audit. Qua conſideratione facta, quænam occurrit ratio interpretandi, Eccleſiam velle ſuam laxare, abſque ulla neceſſitate, legem? In hoc ergo poſita eſt Eccleſiæ benignitas, ut præcepta ſua ad hominum libitum, & voluntatem accommodet? Miſſa eſt actio illa omnium excellentiſſima, Sacrificium omnium ſanctiſſimum, quod terrorem Angelis incutit, quod ab iiſdem colitur, quod Sacerdotes ſemel inceptum continuare uſque ad finem, atque conſumere, etiam cum diſpendio vitæ, tenentur. Fideles vero qui una cum Sacerdote hocce incruentum Sacrificium immolant, pro libito poterunt illud abrumpere, atque ordine inverſo audire? Semper ne ergo, nulla neceſſitate impellente, leges, & præcepta hominum appetitionibus, & voluntati attemperanda erunt? Quod de Sacerdote, in medio Miſſæ occumbente, & alio ad finem perducente Sacrificium, opponunt, in ipſos oppoſitores regeritur. Quandoquidem, ſi abſque hac neceſſitate Sacerdos aliquis interrumperet Sacrificium, graviſſimum certe, maximumque ſacrilegium perpetraret. Non eſt ergo quod eiuſmodi extraordinarios caſus obtrudant, ut oſtendant, poſſe ad libitum fideles qui tantum Sacrificium audiunt, ipſum dividere in partes. Neque multitudo Auctorum, quos allegat Leander *tract.* 11. *diſp.* 1. *quæſt.* 111. in ſuæ opinionis præſidium, aliquantiſper iſtius noſtræ ſententiæ firmitatem elevat. Quoniam Doctores illi, ſaltem pro maiori parte, alteram cum hac connexam, damnatam ab Eccleſia ſententiam, ut indicavimus, propugnarunt.

VII. Integram ergo Miſſam, ab eodem unico celebratam Sacerdote, audire ex præcepto Eccleſiæ debent fideles. Neque ad plures quam ad unam obſtringuntur. Quapropter, licet in die ſanctiſſimæ Nativitatis Domini tres Miſſæ celebrentur; nihilominus ſatisfaciunt præcepto, ſi unam tantum audiant. Peccant autem, non modo cum reipſa Miſſam audire negligunt; verum etiam quando periculo gravi illam omittendi voluntarie ſe ſe exponunt; tametſi caſu poſtea eveniret ut illam audirent. Quare Confeſſarii pœnitentes ſuos, non perfunctorie, ſed diligenter examinare debent, an periculo non audiendi Sacrum ſe libere expoſuerint; vel, ſi caſu omiſerint, pro viribus curaverint illud audire.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De præſentia, loco, & tempore audiendi Miſſam.

I. MOralis præſentia in audienda Miſſa, neceſſaria eſt pro præcepti huius executione. Tunc moraliter præſens quis dicitur, cum eſt vel intra Eccleſiam, vel in loco ita contiguo, ut cenſeatur facere unam ſocietatem cum iis qui ſunt intra Eccleſiam. Phyſica præſentia non eſt neceſſaria. Quapropter ſatiſfacis præcepto, licet ſacrificantem Sacerdotem non videas, nec audias; ſi tamen ex ſignis ſaltem colligere aliquo modo poſſis quid in Sacrificii celebratione peragatur. Moraliter præſentes reputantur etiam exiſtentes extra Eccleſiam, in platea, in campo; quando templum non omnes capiat: dummodo tamen cum aliis aſſocientur, & cum multitudine aſſiſtente unum conſtituere in morali exiſtimatione videantur. Potiori iure cenſentur moraliter præſentes qui in atrio exteriori Eccleſiæ, in cancellis, cubiculis, & oratoriis Eccleſiæ adnexis Miſſam audiunt. Qui tamen in alicuius magni templi, puta, Romæ in Eccleſia D. Petri, ſacello, ſacriſtia, aliove angulo omnino ſeparato ſubſiſteret; non cenſeretur moraliter præſens Sacerdoti celebranti in alio loco diſtanti, & ſeparato: quia nihil eſſet vi cuius poſſet colligi moralis eius præſentia. Qui e feneſtra propriæ domus, via aliqua media, licet anguſta, ab Eccleſia ſeparatæ, aſſiſteret Miſſæ, non ſatisfaceret, mea quidem ſententia, præcepto; tametſi videret Sacerdotem: quia non eſſet moraliter præſens; nec cenſeretur conſtituere unum corpus cum Sacerdote celebrante, & ceteris aſſiſtentibus. Et hæc opinio, quam defendit Tamburinus *Lib. III. de Sacr. Miſ.* communior, ac probabilior eſt. Qui vero Sacerdoti celebranti inſerviunt, quamquam, ut librum, vinum, thus, vel alia neceſſaria ad ſacrificandum deferant, a Sacrificio paullulum recedant, cenſentur moraliter præſentes, & præcepto ſatisfaciunt; dummodo tamen abſentia non ſit notabilis. Ut omnes caſus in hac materia occurrentes facile reſolvere poſſis, animadvertas oportet populum aſſiſtentem una cum Sacerdote Sacrificium incruentum immolare. Debent ergo congrua ratione moraliter, ſin minus phyſice, uniri. Qui, neceſſitate cogente, vel ob anguſtiam templi, vel ob multitudinem populi, a celebrante diſtant, ſed animo, & corpore cum aliis vicinioribus uniuntur, ſimul genua flectunt, pectora tundunt, ſurgunt, capita inclinant; iuxta communem exiſtimationem unum corpus conſtituunt, ſimulque Sacrificium offerunt & præceptum implent. Contra qui, nulla neceſſitate urgente, vel e feneſtra ſuæ domus ſeiunctæ ab Eccleſia, vel ex aliquo alio loco ſeparato Miſſam audit, nec unum corpus creditur conſtituere, nec præ-

præcepto ſatisfacere. Rei enim ſummi, & maximi momenti, ut eſt Sacrificium, ea qua par eſt reverentia, ac meliore modo quo poſſumus, intereſſe debemus. Phyſicam præſentiam haud requirimus; moralem vero talem ſuademus, quæ ſatis ſit ad percipiendum, & obſervandum quid in Sacrificio peragatur. Quod ſi hanc impediat multitudo adſtantium; tunc, quam maxime potes, accede. Hoc enim modo dubia omnia evaneſcunt.

II. Locus, in quo Miſſa audiri debet, eſt Eccleſia publica quæcumque. Et licet congruum ſit fideles in propriis parochiis Miſſam audire; ſatisfaciunt tamen præcepto, etiam dum Miſſam audiunt ſive in aliena parochia, ſive in Eccleſiis Regularium; ut patet ex communi conſuetudine ubique recepta, & a ſummis Pontificibus approbata. Neque de hoc difficultas eſt. In eo potius vertitur controverſia, num ſcilicet qui in loco privato, vel profano Miſſam audit, præceptum impleat? Nomine loci privati non intelligimus oratoria ſive ſacella erecta in palatiis Epiſcoporum, aut in conventibus Regularium, vel parvulas illas Eccleſias, quæ ianuam habent publico ingreſſui, & communi viæ expoſitam, aut a Miſſionariis privilegiatis certo loco erectas capellas. Qui enim in his oratoriis Miſſam audiunt, dubio procul præcepto faciunt ſatis. De oratoriis ergo privatis, in domibus ſive Clericorum ſæcularium, ſive laicorum extantibus, ſermo eſt.

III. Omnes illi qui ſunt de familia, in qua eſt oratorium privilegiatum, ut ſunt pater, mater, nurus, & gener, uxor, filii, nepotes, & ceteri per lineam rectam deſcendentes, ac conſtituentes unicam familiam, item ſervi, & famulæ, ſatisfaciunt præcepto, cum diebus feſtis in præſato oratorio Miſſam audiunt. Aliquando comprehenduntur etiam hoſpites, iſtorumque famuli. Sed de hoc conſulendum eſt Breve apoſtolicum, in quo recenſentur perſonæ privilegiatæ.

IV. Plures Theologi, ut Azorius *Tom. I. Lib. VII. cap.* VI. Buſembau, Caſtropalaus, Marchantius, aliique, ſuſtinent, quoſcumque, etiamſi non ſint de familia, ſatisfacere præcepto, cum Miſſam audiunt in quibuſvis privatis ſacellis: quia communi iure id ſolum præcipitur ut Miſſa audiatur. De loco autem nulla ſit mentio. At communior, & vera ſententia docet, eos omnes qui non ſunt de familia, teneri Miſſam audire in publica Eccleſia; nec ſatisfacere præcepto in privatis ſæcularium oratoriis Miſſam audientes. Ratio eſt evidens: quandoquidem Pontifex in ſuis Brevibus conceptis verbis excipit omnes qui de familia non ſunt. En clauſulam quæ præfatis Brevibus inſeri ſolet: *Volumus autem ut alii, qui non ſunt de familia, non cenſeantur liberi ab obligatione audiendi Miſſam in Eccleſia.* Reſpondent, verba hæc addita eſſe ex ſuppoſitione quod ſit ius aliquod præcipiens Miſſæ auditionem in propria parochia; ut olim tale ius extitiſſe aſ-

ſe-

ſerunt : cui iuri, ſi etiamnum foret, nollet Pontifex per ſuum privilegium, privato conceſſum, quidquam damni inferri. At, cum antiquatum nunc ſit eiuſmodi ius, reſtrictio addita in Brevi nihil operatur; ſed ponitur, ut ſtilus ſervetur ſecundum antiquas ſcribendi formulas. Reſponſio iſthæc nullo nititur fundamento. Lex enim communis eſt, ut Miſſa audiatur in Eccleſia. Ab hac lege peculiari privilegio excipiuntur Religioſi. Cum itaque Pontifex non modo non eximat ſæculares qui non ſunt de familia privilegio donata, ſed clare legis oneri ſubiiciat; abſque ullo fundamento præfati Theologi privilegium, uni privatæ familiæ impertitum, ad omnes indiſcriminatim extendunt. Porro, ſi in aliqua Bulla pontificia hæc limitatio omitteretur, & privilegium eſſet abſolutum; tunc & nos concederemus, poſſe eos etiam qui de familia non forent, præcepto ſatisfacere. Heinc probabile cenſemus, implere præceptum audiendi Miſſam eos qui in caſtris cum militibus, & in littore cum navigantibus Sacro aſſiſtunt. Quoniam privilegium conceditur celebrandi, & audiendi Miſſam in eiuſmodi locis abſque ulla limitatione. Ergo, etiamſi lex foret de auditione Miſſæ in publica Eccleſia, privilegium indefinitum & univerſale, præfatis locis conceſſum, omnes qui ibi Miſſam audirent, eximeret a tali lege. Verum, ut quiſque facile difficultates quæ hac de re occurrere poſſunt, reſolvere valeat, privilegia ipſa legenda attente ſunt, & perpendenda.

V. Ad tempus quod attinet, iam dictum eſt, vi præcepti obſtringi fideles audire Miſſam omnibus diebus feſtis. Qua autem diei feſti hora audiri debeat, nil præſcriptum habemus. Sacerdotibus prohibitum eſt celebrare vel ante auroram, vel poſt meridiem. Hanc eamdem prohibitionem comprehendere fideles audientes, contendit Paſqualigus *quæſt.* mcclx. aitque peccare eos, niſi audiant tempore quo licitum eſt celebrare. Sed communior eſt, & probabilior contraria ſententia, quæ docet ſatisfieri præcepto, quacumque hora, a media uſque ad alteram mediam noctem, Miſſa audiatur. Quia lex Miſſam audire tantum præcipit illo die, nulla hora præfinita. Peccarent vero fideles, ſi poſt meridiem Miſſam audire differrent, ob periculum cui ſe exponerent Miſſam non audiendi.

VI. Qui Nativitatis ſanctiſſimæ Ieſu Chriſti nocte audit Miſsam quæ Romæ, Venetiis, & alibi ex privilegio ante mediam noctem celebratur, ſatisfacit præcepto. Quoniam, omiſſis aliis rationibus quæ afferri ſolent, privilegium, quod impertitur Sacerdoti anticipandi celebrationem, conceditur quoque fidelibus audiendi talem Miſsam. Quoties ergo Sacerdos celebrat Miſsam iſtius ſolemnitatis, toties fideles implent præceptum ſanctificandi talem diem, dum præfatam Miſsam audiunt. Si vero feſti Nativitatis pervigilium die dominica recurreret, & Miſsa celebraretur hora ſecunda, aut tertia noctis; minime ſatisfaceret aliquis præcepto audiendæ Miſsæ pro die dominico. Siquidem Miſsa quæ celebratur, eſt de Nati-

vitate Domini, & pro tali feſto computatur; quemadmodum ex communi ſenſu fidelium manifeſtum eſt.

CAPUT IV.

De intentione, & attentione audiendi Miſſam diebus feſtis.

I. INter alia quæ requiruntur ad implendum præceptum audiendi Miſsam, neceſsaria eſt intentio, ſeu voluntas libera eamdem Miſsam audiendi. Non tamen eſt neceſsaria intentio ſatisfaciendi præcepto: quia Eccleſia præcipit voluntariam tantum Miſsæ auditionem, minime vero reflexam intentionem implendi præceptum. Sufficit ergo voluntas audiendi Miſsam, tamquam ſacrificium, ſeu tamquam rem ſacram, qua Deus colitur. Quamobrem non impleret præceptum qui Miſsæ aſſiſteret ſolius curioſitatis gratia, aut ſolo animo irridendi. Neque ſatisfacerent præcepto qui coacti Miſsæ intereſsent. Si vero coacti templum ingrederentur, & deinde voluntarie Miſsam audirent, præceptum implerent. Atque, ut paucis plura complectar, quicumque Miſsam ſerio audit, nec conſtat contrariam eum habere intentionem, ſufficientem præſumitur habere intentionem ad præceptum implendum.

II. Quæſt. I. *An ſatisfaciat præcepto qui ob finem pravum aſpectandi impudice feminam pergit ad audiendam Miſſam?* Reſp. Affirmative reſpondent communiter recentiores: quia finis pravitas haud impedit quominus audiat rem ſacram, & actum præceptum exequatur. Libidinoſa illa intentio, & impudici aſpectus tollunt quidem fructum auditionis Miſsæ; ſecus intentionem illam audiendi, hoc ipſo quod exterius modeſte ſe gerat, & interius animum intendat ad rem ſacram. Leges autem ſubſtantiam actuum præcipiunt, non modum, qui ſit operi præcepto extrinſecus. Hæc recentiorum ſententia, ut id quod ſentio, candide fatear, mihi minime arridet. An aliquando per actum malum aliquod præceptum impleri poſſit, alibi edifferam. In præſentia dumtaxat nego, præfatum hominem ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam. Et hanc ſententiam docet aperte S. Antoninus II. Part. tit. IX. cap. X. §. 2. *Non enim debent accedere ad Miſſam, vel Eccleſiam, ut videant, vel videantur ab amatoribus ſuis. Nam tales non implent præceptum illud Eccleſiæ; ſicut nec illi qui ſtant ad ſociandum dominos, alias non audituri. Sed debent accedere ad orandum; & tunc a ſe removere debent cogitationes temporalium, & Deo vacare.* Ratione autem, ut ego quidem arbitror, ſatis efficaci probatur. Quæ a Deo, vel ab Eccleſia præcipiuntur, alia ſunt quæ a ſanctitate ſeiungi valent; ut eſt e. g. abſtinentia a carnibus die veneris: cui præ-

præcepto ut ſatisfiat, ſufficit executio rei præceptæ, quin neceſſaria ſit bona operantis intentio. Alia vero ſunt ita ſacra, ita ſanctitati, divinoque cultui coniuncta, ut ſeparari reipſa vix poſſint. Iſtius generis eſt Miſſæ auditio. Siquidem Eccleſia, iubens audire Miſsam, præcipit rem ſacram, cultumque Deo exhibendum: & qui Miſsam audit, una cum Sacerdote Deo incruentum Sacrificium offert. Hæc porro ita ſancta ſunt, ut in morali acceptione commentitia ſit diſtinctio ſubſtantiæ actus a modo illius: qua diſtinctione utuntur adverſarii, ut evincant per actum culpabilem impleri poſse quodcumque Eccleſiæ præceptum. Quod principium quam ſit falſum, colligitur ex hac propoſitione ab Eccleſia proſcripta. *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam corporis Domini manducationem*. Heinc ſic inſtauro argumentationem meam. Iidem Theologi qui docent impleri præceptum audiendi Miſsam per actum pravum, docebant quoque impleri præceptum annuæ communionis per ſacrilegam aſsumptionem corporis Chriſti. Hoc ultimum eſt proſcriptum. Ergo & primum. Conſequentiam evinco auctoritate Franciſci Suarez, qui utraſque propoſitiones defendit, aitque ita eſſe connexas, ut eadem ſit utriuſque ratio. En illius verba ex Tom. III. in III. Par. diſp. lxx. ſect. 3. *Dicendum eſt, eum qui voluntarie ſuſcipit ſacramentum Eucbariſtiæ, etiamſi indigne ſumat, implere præceptum communicandi; etiamſi alias peccet mortaliter per ſacrilegium divinæ ſumptionis .... Et probatur: nam alia præcepta, tum in ſacramentis, tum in aliis materiis impleri poſſunt per actum peccaminoſum, ut patet, ſi quis Miſſam audiat prava intentione*. Sed, ut fiat manifeſtius eamdem omnino eſse rationem utriuſque præcepti, ſcilicet & annuæ communionis, & Sacri audiendi, tranſcribamus huc quoque oportet ea quæ docet idem Suarez loco laudato *diſp.* lxxxviii. *ſect.* 3. de præcepto audiendi Miſsam. Inquit enim: *Quamvis quis eat ad Eccleſiam ex libidinoſa intentione videndi feminam, vel etiam ſi officio Miſſæ cum eadem intentione aſſiſtat; tamen ſi non excludat voluntatem implendi hoc præceptum eccleſiaſticum, & ſufficienter ſit attentus, illud implet .... Ut in ſimili ſuperius dictum eſt tractando de præcepto communionis: eſt enim hic eadem ratio, ſcilicet quia ille implet ſubſtantiam actus præcepti*.

III. Ex his planum eſt, Suarez a nobis ſtare; cum aperte aſserat, eamdem eſſe utriuſque præcepti rationem. Siquidem, ſi in vivis poſt Innocentium XI. fuiſſet Suarez, dubio procul ſuam ſententiam primam, qua docuit, actione ſacrilega impleri præceptum annuæ communionis, improbaſset. Ergo reiecisſet itidem & ſecundam, qua aſseruit, obſervari præceptum audiendæ Miſsæ per aſſiſtentiam culpabilem. Ubique enim clare prodit, hæc duo præcepta, ad hoc quod attinet, ita eſse connexa, ut eadem pro ambobus ſtet ratio. Ad hæc ſi animum intendiſset P. La-Croix, haud ſcripſiſset *Lib. III. part. 1. dub. 3. num. 636.* Eccle-

ſiam declaraſse, ſe præcipere communionem fructuoſam; id vero non declaraſſe de præcepto vel auditione Miſsæ. *Ergo*, concludit, *prudenter ſtamus auctoritate, & ratione adducta pro ſententia noſtra, quamdiu Eccleſia aliud non declarat*. Heu quænam prudentia eſt hæc? Duæ opiniones ſimiles ſunt, eodemque prorſus reguntur principio. Unam expreſſe proſcribit Eccleſia. Ergo prudenter amplectimur alteram, quod Eccleſia eam aperte non damnaverit? Immo prudenter in prima præſumendum eſt damnatam fuiſſe ſecundam. Ergo imprudentiſſime defendimus ſecundam; cum eadem ſit ratio reprobandi tum primam, tum ſecundam. Si enim duæ concluſiones ex eodem proficiſcantur principio, & una ab Eccleſia damnetur; quis indemnem alteram reputabit? Nemo ſane eam propugnabit ob id ſolum quod Eccleſia conceptis verbis illam non declaraverit proſcriptam. Sed qui unam præ altera defendere voluerit, illius erit oſtendere, vel ex diverſo profluere ſententias illas principio, aut peculiarem rationem uni præ altera favere. Præterquamquod contraria ſententia ſeipſam deſtruit. Ponit enim ſatisfacere præcepto eum qui ad Eccleſiam pergit ob finem aſpectandi impudicam mulierem; immo etiam ſi cum hac prava intentione Miſſæ ſacrificio aſſiſtat. Quis porro in animum prudenter inducere ſibi poterit, hominem hunc, tali impudica intentione, & pravo affectu æſtuantem, poſſe attentione neceſſaria Sacrum audire? Quis extrema adeo oppoſita uno morali, ut ſic loquar, fœdere conſociabit? Nemo ſane eorum qui ad evangelicæ prudentiæ leges morum quæſtiones exigunt.

IV. Quæſt. II. *Quid dicendum de eo qui templum ingreditur ad audiendam Miſſam, quam poſt quadrantem inchoandam putat: interim, eo non advertente, Miſſa in aliquo altari legitur uſque ad* Sanctus; *& tum ex campanulæ ſonitu Miſſam recitari cognoſcit?* Reſp. Gobat *tract.* v. *num.* 115. dicit, ſi habuerit hanc intentionem, volo me eſſe unum de numero audientium Miſſam, quandocumque inchoabitur, eum audiviſſe etiam primam partem, quam reipſa non audivit; ſecus, ſi præſatam intentionem non habuerit. Hæc retuli, non ut refutem (quoniam nullo impugnante corruunt) ſed ut identidem palam fiat, quouſque progrediatur benigna quorumdam Theologia. Relatam enim opinionem prorſus improbabilem reputo: quia, ſi ſola intentio aſſiſtendi Miſſæ moraliter præſentem conſtitueret volentem audire Miſſam; poſſet hac ratione quis domi ſuæ ſedens Miſſæ præceptum implere.

V. Qui audit Miſſam, ignorans eſſe diem feſtum, debet aliam, ſi poſſit, audire, ut præcepto ſatisfaciat. Si tamen prudenter præſumi poſſet adfuiſſe in tali homine virtualem voluntatem ſatisfaciendi præcepto Miſsæ; poſset fortaſſis ſolvi ab onere audiendi alteram. At in re dubia ſecurior pars eligenda eſt. Eo vel maxime quod ſine gravi incommodo id præſtari poteſt, ut ſupponitur. Qui Miſ-

ſam

ſam audit animo expreſso, & deliberato non ſatisfaciendi præcepto, debet aliam audire; niſi eiuſmodi deliberationes partus ſint animi ſcrupulis exagitati: tunc enim nec ipſe ad aliam audiendam illum urgerem. Sic, cum viri ſcrupuloſi Miſſam audientes, vel horas canonicas recitantes, ſtatuunt aliam audire Miſsam, & iterum eaſdem horas recitare, non debet eiſdem permitti ut aliam Miſsam audiant, vel ut horas repetant. Secus vero dicendum arbitror de homine a ſcrupulis alieno, qui interdum affectuum varietate, & negotiorum multitudine diſtractus, dum Miſsam die feſto audit, decernit ſe aliam audire velle, ut præcepto ſatisfaciat, menteque diſtractionibus vacua id peragere valeat. Iſte debet alteram Miſsam audire. Ut ergo ſimiles caſus optime reſolvantur, Confeſsarii prudentia opus eſt.

VI. Quæſt. III. *Qualis attentio requiratur, ut ſatisfiat præcepto audiendi Miſſam?* Reſp. Omnes adfirmant neceſsariam eſse aliquam attentionem; ſed in eo difficultas vertitur, qualis nimirum debeat eſse eiuſmodi attentio. Duplicem diſtinguunt attentionem. Altera eſt externa, quæ excludit occupationem exteriorem, impedientem attentionem mentis; interna altera, quæ eſt animi applicatio ad ea quæ in Miſsa peraguntur a Sacerdote. Requiri attentionem externam certum eſt. Quare qui pingit, ludit, diſputat, & id genus ſimilia exterius agit, præceptum non implet. De attentione interna duplex eſt ſententia. Prima negat eſse neceſsariam attentionem internam, eo quod Eccleſia non præcipiat actus internos. Plures a Cardinali de Lugo *diſput.* XXII. *ſect.* 2. *num.* 27. laudantur pro hac opinione. Secunda communior, & vera neceſsariam eſse propugnat attentionem internam: quoniam, tametſi Eccleſia non præcipiat actus internos directe, & abſolute; eos tamen imperat, ut ſunt actuum exteriorum rationes, & veluti formæ. Sed de hoc plura alibi. Hæc attentio interna triplex eſſe poteſt. Prima, qua homo animum applicat ad acta, & verba celebrantis; & hoc pacto Deum colere ſtudet. Secunda eſt attentio ad ſenſa, & myſteria per verba ſignificata, & repræſentata, maxime paſſionis, & mortis Ieſu Chriſti, in cuius commemorationem Sacrificium immolatur: & hæc eſt perfectiſſima attentio, quam ut ſequantur, fideles a Confeſſariis, & Parochis inſtruendi ſunt. Tertia eſt attentio generalis, qua, durante Miſſa, Deus colitur, & laudatur. Attentio ad Miſſam non excludit preces voluntarias, neque ex aliqua obligatione debitas. Potes ergo recitare ſub Miſſa horas canonicas, pœnitentiam iniunctam a Confeſſario, aut orationem ex voto debitam. Hæ ſiquidem obligationes non modo non ſunt ſibi oppoſitæ; ſed potius mutuo ſe ſe adiuvant. Item ſervitus quæ præſtatur a miniſtris in Miſſæ celebratione, haud impedit attentionem neceſſariam. Sic muſici, tympaniſtæ, tubicines, chelyſtæ ſatisfaciunt præcepto, ſi audientes Miſſam ſimul attendant ad id quod in Ara geritur. Idem aſſerunt de collectoribus eleemoſyna-

Digitized by Google

rum. Quia iſtorum actiones in Dei cultum referuntur. Ego tamen omnibus iſtis ſuaderem, ut Miſſam privatam audirent. Quia nihil facilius dictu quam eos implere præceptum, ſi ſimul attentum animum ad Miſſam conſervent; at hoc opus, hic labor eſt. Si hoc intervenit, nec ego alterius Miſſæ auditionem impono. Sed quia non adeo facile hoc evenire cenſeo, idcirco in re tanti momenti privatam Miſſam audire conſulo. Qui ſub Miſſa per notabile tempus invicem confabulantur, qui libros profanos legunt, non implent præceptum: quemadmodum nec illi qui ſub ipſa Miſsa peccata confitentur Sacerdoti: quia hæc confeſſio omnino impedit attentionem neceſsariam. Satisfacit vero qui contritionem de peccatis edit. Confeſsarius, dum confeſſiones audit, non poteſt ſatisfacere præcepto audiendi Miſsam, quando ipſe non celebrat. Neque Sacerdos celebrans valet ſimul audire Miſsam, debitam vi voti, aut alterius obligationis: quemadmodum non poteſt quis eodem tempore ſimul audire tres Miſsas, unam vi præcepti ſanctificandi feſta, unam vi voti, & unam ex debito pœnitentiæ ſibi iniunctæ a Confeſsario. Similiter, quando Confeſsarius duas, aut tres, vel quatuor Miſsas audire iubet, idque imponit tamquam ſatisfactionem, quæ pars eſt ſacramenti pœnitentiæ, non ſatisfacit ſuo debito pœnitens, ſi ſimul eas audiat: quia id eſt contra intentionem Confeſsarii: prudenter enim præſumitur velle unam poſt aliam audiri: ſiquidem numerum augens Miſsarum intendit augere onus pœnitentiæ, ut per ſe patet; quidquid in contrarium dicat Leander abſque ullo fundamento. Non requiritur quod attentio, ſicuti nec intentio, ſit actu continua, & formalis; ſed ſufficit virtualis, nimirum quod non ſit revocata, & quod excludat voluntarias diſtractiones: eo ipſo enim quod dum quis advertit ſe mentem habere diſtractam, curat expellere diſtractiones, intelligitur habere continuatam vi præcedentis actus attentionem. Confeſsarius moneat fideles, externam attentionem iuvare internam. Qui oculis, ceteriſque externis membris ad modeſtiam bene compoſitis Miſsam audiunt, facillime attentum animum conſervant. Qui vero, dum Miſsam audiunt, huc & illuc profane reſpiciunt, & notabili Miſsæ parte modo in unam, modo in aliam mulierem oculos coniiciunt, præceptum audiendi Miſsam non implent.

CA-

C A P U T V.

Quæ animi puritas requiratur ad audiendam Miſſam ; & an peccet qui cum affectu peccati mortalis Miſſam audit.

I. IN Sacerdote, qui Miſſam celebrat, ſumma requiritur animi puritas. Is, ſi cuiuſquam peccati mortalis macula inquinatus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium immolaturus accedat, horrendum dubio procul perpetrat ſacrilegium, eo quod ſancta, non ſancte, ſed immundo corde tractet. An hæc animi puritas, & ſanctitas etiam in fidelibus Miſſam audientibus neceſſariæ ſint, inquiritur. Ut viæ inſiſtamus quæ tum a laxitate, tum a ſeveritate declinet, ea quæ penes omnes certa ſunt, patefaciamus oportet. Extra diſputationem in primis verſatur, maiorem in Sacerdote celebrante, quam in laico aſſiſtente, exigi animi devotionem, cordiſque ſanctitatem. Propius enim Sacerdos victimam immaculatam tractat, atque ex officio Sacrificium offert ; ſecus vero chriſtianus populus. Ceterum, quia omnes fideles unum corpus myſticum cum Sacerdote offerente conſtituunt, & ipſi, remotius quidem, una cum Sacerdote ſacrificium immolant. Hoc in ſenſu Apoſtolus Petrus populum chriſtianum vocat regale ſacerdotium ; immo & ſpirituales hoſtias, eo quod etiam offerantur, nedum offerant. Quibus poſitis, ſequentem reſolutionem ſapientum iudicio ſuppono.

II. Dico, Chriſtianos qui feſtis diebus Miſſam audiunt, peccati mortalis labe polluti, quique actuali affectu peccatum amant, profanationem committere, novamque aliquam maculam contrahere, non quod Miſſam audiant; ſed quod non, ſicut oportet, audiant. An hæc profanatio, novaque macula venialis ſit, vel mortalis, non decerno. In id potius propendo, non eſſe mortalem, ob rationem infra adducendam. Satis nunc mihi ſit demonſtrare, fideles qui eo tempore quo Miſſam audiunt, cordis amore erga illicitas oblectationes, & gravia crimina rapiuntur, aliquo modo peccare ob hoc ſolum quod ſordido corde, & maculata anima Miſsæ interſunt. Nec ſevera hæc tibi erit ſententia, ſi animo ſerio reputabis, Chriſtianos Miſsam audientes duplicem habere ad Sacrificium reſpectum, duplicique munere deſungi, offerentium nimirum, & victimarum. Sacrificium offerunt, non quidem ut publici, & conſecrati miniſtri, ſed ut publico miniſtro cooperantes, illique uniti, propriamque intentionem illius intentioni coniungentes. Quapropter unum eſt & populi adſtantis, & Sacerdotis offerentis Sacrificium ; ſicuti in ipſa Miſsa teſtatur ipſe Sacerdos, qui poſt oblationem, quæ præfationem antecedit, ad populum converſus, illum adhortatur his verbis : *Orate fratres, ut*

meum

Digitized by Google

meum pariter, ac veſtrum in conſpectu Domini fiat acceptum Sacrificium. In canone quoque Miſſæ bis aſſeritur, & declaratur, fideles adſtantes una cum Sacerdote ſacrificium offerre. Primum ante conſecrationem. *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. N. & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*. Secundo poſt conſecrationem. *Unde & memores, Domine, nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta. . . . offerimus præclaræ maieſtati tuæ* &c. Quapropter hanc elicit conſequentiam D. Petrus Damianus opuſculo XI. *Quibus verbis luce clarius conſtat quia Sacrificium, quod a Sacerdote ſacris altaribus ſuperponitur, a cuncta Dei familia generaliter offeratur*.

III. Non modo fideles Miſſæ aſſiſtentes Deo offerunt cum Sacerdote ſacrificium, verum etiam una offeruntur, tamquam ſpirituales hoſtiæ. Quod ut percipiatur, cæleſtis Auguſtini Theologia recogitanda eſt. Chriſtus, inquit ille, caput eſt Eccleſiæ, ideſt fidelium; & fideles corpus myſticum efficiunt ſuo capiti unitum. Chriſtus itaque, & Eccleſia unum corpus conſtituunt: ille capitis, hæc corporis vices gerit. Quæ cum ita ſint, quoties offertur caput, offeratur & corpus neceſſe eſt: nec enim caput ſeparatum a corpore, nec corpus ſeparatum a capite offerri poteſt. Audiamus Auguſtini verba Lib. X. de Civ. Dei. *Cum autem Chriſtus ſit Eccleſiæ caput, & Eccleſia Chriſti corpus, tam ipſa per ipſum, quam ipſe per ipſam debet offerri*. Item eodem Libro cap. VI. *Tota ipſa redempta civitas, hoc eſt congregatio, ſocietaſque Sanctorum, univerſale Sacrificium per Sacerdotem magnum offertur Deo . . . . Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum, multi unum corpus in Chriſto: quod etiam ſacramento altaris, fidelibus noto, frequentat Eccleſia, ubi ei demonſtratur quod in ea re quam offert, ipſa offeratur*. Sive igitur ſpectentur Chriſtiani, ut miniſtri offerentes, ſive ut victimæ oblatæ, intaminati ſint neceſſe eſt. Deus enim ſemper tum miniſtros ſceleſtos, tum victimas immundas deteſtatus eſt. Qua ſeveritate non redarguit Iudæos, qui criminibus inquinati taurorum, & arietum ſacrificia illi offerebant? Iſaiæ I. *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & ſabbatum & feſtivitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri . . . . Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite bene facere*. Peccabant itaque Iudæi, dum vitiorum ardore flagrantes Deo hoſtias, & incenſum offerebant. Quid porro dicendum de Chriſtianis, ſi oculos habentes plenos adulteriis, menteſque impudicarum cogitationum multitudine oppletas, ſi vindictam anhelantes, ſi invidiæ livore perciti, Sacerdoti celebranti uniti tremendum Sacrificium Deo immolent; ſi ſeipſos, tamquam hoſtias myſtice cum ſacroſancta illa victima Chriſti Ieſu coniunctas, Deificæ Trinitati offerant? Ubi iſthic miniſtri, cuius munus gerunt, dignitas? Ubi victimarum ſanctitas? Quis, quæſo, a cuiuſque profanationis ſpe-

Digitized by Google

ſpecie purgare valeat oblationem cuius victima omni ex parte criminum ſordibus maculata eſt; cuiuſve miniſtri, non modo vitiis polluti ſunt, ſed, dum offerunt Deo, ſimul dæmoni pravo cordis affectu ſacrificant? His ſane Chriſti Domini competit redargutio Matth. xv. *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe eſt a me*. Sacerdotes, ſi letalis culpæ rei ſacrificant, horrendum perpetrant ſacrilegium. Ergo, quia fideles ex una parte cum ipſo Sacerdote offerunt, ſi in peccato exiſtentes id præſtent, peccant & ipſi quidem. Sed, quia ex altera parte remotius tale munus exercent, & non tamquam ſpeciali charactere deputati, eorum peccatum inferius longe erit peccato Sacerdotum, eorumque profanatio levior.

IV. Vel ergo dicamus neceſſe eſt, chriſtianum populum una cum Sacerdote non offerre Sacrificium; vel, ſi hoc concedimus, concedamus oportet & alterum, nempe quamdam novam profanationis noxam fideles contrahere, ſi, dum regalis Sacerdotii munia obeunt, ſcelerum amore flagrent. Si eodem quo Sacerdotes improbi modo ſacris operarentur; eodem quoque ſacrilegio inficerentur. Ergo quia reipſa ſacra peragunt, cum Sacrum audiunt, ſed ratione quadam myſtica, & inferiori; culpam perpetrant, ſed leviorem. Quod ſevera hæc appareant, inde profecto evenit quod myſteriorum maieſtatem, Sacrificii excellentiam, & Chriſtianorum dignitatem ignoremus: inde evenit quod animo noſtro non inſideat lex illa a natura præſcripta: *Sancta ſancte tractanda ſunt:* inde tandem evenit quod Chriſtianos fugiat quam ſublimem actionem exerceant, dum Miſſæ aſſiſtunt. Si enim recogitarent ſe quoque tanti Sacrificii miniſtros eſſe, victimas, & teſtes; fieri haud poſſet quin peccata ſua deteſtarentur. An terrenas illecebras, & ſordes concupiſcerent, ſi animum intenderent ad Sacerdotem, hortantem modo his verbis, *Orate fratres*, modo iſtis, *Surſum corda?* An auderent reſpondere, *Habemus ad Dominum?* Quam in rem peroptime quadrant verba Chryſoſtomi Tom. V. ſer. xxxviii. *Quid facis, homo? Non promiſiſti Sacerdoti, qui dixit*, Surſum mentem, & corda; *& dixiſti*, Habemus ad Dominum? *Non revereris, & erubeſcis, & illa ipſa hora mendax inveniris? Menſa myſteriis ſtructa eſt, & Agnus Dei pro te immolatur, Sacerdos pro te angitur, ignis ſpiritualis ex ſacra Menſa refluit, Cherubim aſtant, Seraphim advolant, & Spiritus ſex alas habentes faciem tegunt, omnes incorporeæ virtutes pro te cum Sacerdote intercedunt, ignis ſpiritualis a Chriſto deſcendit, ſanguis in cratere ad tuam purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt: & non erubeſcis, revereris, & confunderis, neque Deum tibi propitium facis?*

V. Cum itaque victimæ impiorum ſint abominabiles Deo, & multo magis impii ipſi; reliquum eſt ut Chriſtiani Miſſam audituri peccata ſua deteſtentur, &, quoad fieri poteſt, ſurſum corda ſua elevent, ut, abolito peccati affectu per contritionem, victimæ, & miniſtri Deo grati evadant, cui ſacrificium eſt ſpiritus con-

Digitized by Google

contribulatus, quique cor contritum, & humiliatum non deſpicit. Sanctus Antoninus *II.P. tit.IX. cap. X. §. 2.* ex auctoritate Alberti Magni Chriſtianos qui peccatorum ſarcina preſſi Miſſæ interſunt, conſulit, hortaturque ut Publicanum imitentur, *qui nec audebat oculos ad cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum. Unde & Albertus dicit, quod in mortali exiſtens non debet multo intuitu reſpicere corpus Domini, ſed indignum ſe reputare vel in tranſitu videre.*

VI. Sententiam quam hic docemus, recenſuimus *diſs. I. cap. II.* inter propoſitiones quæ aliquibus nimium ſeveræ videntur. Verum, prout a nobis explicata eſt, cuiuſque ſeveritatis ſpecie caret. Quandoquidem non dicimus, mortale ſacrilegium perpetrare Chriſtianum qui peccato letali inquinatus Miſſæ aſſiſtit; ſicuti graviſſime peccat Sacerdos qui gravis delicti conſcius Miſſam celebrat; ſed dicimus, Chriſtianum hunc præceptum audiendi Miſſam exterius quidem, & ſecundum litteram implere; ſecus vero ſecundum ſpiritum, & intentionem præcipientis, & ut oportet. Dicimus, eum qui cum actuali affectu peccati mortalis Miſſam audit, non levem profanationem committere, infra tamen mortalem culpam: idque ex eo evincimus, quod cum diſpoſitione adeo prava univerſæ religionis chriſtianæ excellentiſſimam, ſanctiſſimamque actionem exerceat.

VII. Obiiciunt, heinc conſequens eſſe arcendos fore Chriſtianos qui in peccato mortali exiſtunt, diebus feſtis ab audienda Miſſa, ne peccata multiplicent. At præpoſtera omnino conſecutio hæc, quemadmodum & iſta: qui paſchali tempore præceptum annuæ communionis implere geſtiunt, ſi abſtinere a peccatis nolint, horrendum committunt ſacrilegium; ergo a communione prohibendi ſunt. Nemo certe hoc dixerit. Hæc autem eſt legitima illatio; ergo pro virili parte hortandi ſunt fideles, ut ſcelera ſua ferventi contritione deleant, ut animum a terrenis illecebris avocent, ut ſuorum cordium ſacrificia Deo immolent, ut divinam miſericordiam maxima demiſſione implorent, ut altius reputent quid acturi ſint, cum Miſſæ aſſiſtunt, ſciantque ſe teſtes eſſe illius Sacrificii cruenti quo Chriſtus in cruce ſe ſe Patri obtulit, atque incruenti huius holocauſti miniſtros, & hoſtias, cum ipſo Chriſto offerendas Deo. Meminerint ergo, ne ſancta, immo ſanctiſſima, indigne tractent, profanentque: ne dum exterius maximum ſuæ religionis actum exercent, Deoque cultum exhibent, interius pravis machinationibus Deum ſacrilega iniquitate offendant, eiuſque vindictam provocent.

VIII. Obiiciunt, aliud abſurdum ex hoc ſequi, nempe, tot peccatorum homines fontes effici, qui in affectu mortalis criminis perſeverant, quot Miſſæ in univerſo terrarum orbe celebrantur: quoniam, ſive dormiant, ſive vigilent, ſive etiam ſcelera perpetrent, relationem ſemper habent ad omnes quæ celebrantur Miſſas, & ad ipſos miniſtros ſacrificantes. Sed ineptiſſimum eſt commentum iſtud. Falſum ſiquidem, quin & erroneum eſt, Chriſtianos omnes ſacrificii Miſſæ parti-

ci-

Digitized by Google

cipes eſſe, illudque offerre, quocumque in ſtatu reperiantur, ſive Deum laudent, ſive Deum offendant; ſive dormiant, ſive vigilent; ſive cum meretricibus luxurientur, ſive crapulis indulgeant. Figmentum hocce refellit Tridentina Synodus *ſeſſ.* XXII. *cap.* II. inquit enim: *Sacrificium iſtud vere propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri ut, ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Huius enim oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia, dimittit.*

IX. Obiiciunt denique, ex doctrina qua ſententiam noſtram defendimus, inferri, æque peccare eos qui profeſtis ac illos qui feſtis diebus aſſiſtunt Miſſæ cum actuali affectu peccati mortalis: ſiquidem tam in illis quam in iſtis diebus offerunt, & offeruntur. Obvia eſt reſponſio, nempe tum feſtis, tum profeſtis diebus peccare illos qui peccatis inhiant eo ipſo tempore quo Miſſæ aſſiſtunt. Id tamen diſcriminis intercedit, quod magis peccant feſtis diebus ob præceptum, vi cuius tenentur cultum ſpecialem Deo reddere, divinis vacare, Miſſam audire, a ſervilibus ceſſare. Qui libere diſtractus orat, peccat; at gravius peccat certe qui ex præcepto obſtrictus preces ſuas recitat ſine attentione. Neque, dum dicimus gravius delinquere, mortaliter eum peccare intelligimus; ſed gravius in linea peccati venialis dumtaxat. Etenim in hoc etiam genere plus minuſque reperitur.

X. Tandem ſententiam hanc novitatis arguunt, & ſeveritatis. Si novitatis notam ipſi inurant, quod a Caſuiſtis non ſit ventilata; verum habet. At quomodo abſolute novitatis, & ſeveritatis notam impingere audent opinioni quæ a Patribus hauſta eſt, & a graviſſimis Theologis propugnata, veluti doctrinæ evangelicæ mirum in modum conſentanea? Nonne Chriſtus Dominus præcipit Matth. V. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offeres munus tuum?* Si læſam erga proximum caritatem reparare debemus, ut quamcumque oblationem Deo digne offerre valeamus; quanto magis oportet Deum ipſum noſtris culpis offenſum placare, priuſquam Chriſtum Ieſum ſimul cum Sacerdote celebrante illi offeramus? Quid plura? Non modo Patres, quos dedimus, ſed graviſſimi quoque Theologi hanc noſtram defendunt ſententiam. Auctor *Moralis chriſtianæ in orationem dominicam, Lib. III. art.* 4. *ſec.* 1. Eccleſia Rupellenſis in ſuis collationibus diœceſanis, Natalis Alexander in *Theolo. Dog. & Mor. Lib. IV. de Decal. reg.* 9. pluresque alii tum Epiſcopi, tum Cardinales; ac præſertim doctiſſimus Bellarminus principia ponit, e quibus ſponte profluit hæc quam docemus ſententia. Siquidem *Lib. I. cap.* VI. *de bonis operibus* ſtatuit, novi criminis reum fieri eum qui dominicam orationem recitat, ſimulque peccandi ardore flagrat. Inquit enim: *An qui ex animo remittit iniurias, & tamen in aliquo*

alio

alio peccato voluntarie perſeverat, poſſit hac oratione aliquid impetrare? Reſpondet *Si non cupit gratiam converſionis, nec ex animo illam petit; ſed vel orat ſolis labiis, & conſuetudine, vel, quod gravius eſt, ut videatur ab hominibus: non ſolum nihil impetrat, ſed etiam eius oratio fiet in peccatum: cum in ſingulis fere petitionibus mentiatur. Quomodo enim poteſt dicere*, Pater noſter, *qui non vult eſſe filius? Et*, Sanctificetur nomen tuum, *per quem nomen Dei aſſidue blaſphematur? Et*, Adveniat regnum tuum, *qui nihil magis quam adventum Domini timet? Et*, Fiat voluntas tua, *qui ſuam, non Dei voluntatem ſemper facit?* Porro, ſi hæc Bellarmini doctrina nec novitatis, nec ſeveritatis incuſata umquam fuit; quo iure ſeveritatis redarguere quiſquam poterit hanc noſtram de diſpoſitione ad Miſſam recte audiendam ſententiam? Anne maior animi puritas requiritur ad recitandam orationem dominicam quam ad audiendum, & aliquo modo offerendum ſanctiſſimum Miſſæ Sacrificium?

CAPUT VI.

An Chriſtiani diebus dominicis, præter Miſſæ auditionem, teneantur veſperis intereſſe, conciones audire, aliaque pia opera exercere.

I. Recentiores Theologi communiter docent, præceptum ſanctificandi feſta; quatenus adfirmans eſt, ſolam auditionem Miſſæ præcipere; &, prout negans eſt, ceſſationem ab operibus ſervilibus. Hinc, ſi Chriſtiani Miſſam audiant, & ab operibus ſervilibus abſtineant, nullo modo peccant iuxta ipſos contra præceptum ſanctificandi feſta; etiamſi nec concionibus, nec veſperis, nec aliis divinis laudibus interſint, nec aliud quodpiam bonum opus exerceant. Quin, ſi, audita Miſſa, ludis, oblectamentis, confabulationibus toto die operam navarent; neque hoc in caſu quidquam agerent adverſus præceptum ſanctificandi ſabbati; ſed ad ſummum poſſent peccare contra alias virtutes. Suarez fuſo calamo hanc verſat materiam *Tom. I. de Relig. Lib. II. cap.* XVI. atque deſcriptam opinionem defendit. Ad examen vocat omnia pia opera externa, quæ agere fideles poſſent die feſto; oſtenditque nullum opus ſacrum, præter Miſsæ auditionem, eccleſiaſtico præcepto imponi fidelibus. Et huic ſententiæ, ut dixi, communiter accednnt tum Theologi magis communiter, tum Caſuiſtæ omnes. Paludanus in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* V. *art.* 2. *concl.* 2. docet, fideles vi præcepti eccleſiaſtici teneri ad veſperas, & ſermonem audiendum, quoties in Eccleſia feſtis diebus hæc peragantur. In hanc propendent ſententiam Henricus a S. Ignatio *Tom. II. part.* III. *cap.* V. Pontas in ſuo *Dict. Mor. verb.* Dies Dom. *caſ.* I. Ut ab utroque ſeveritatis, & laxitatis extremo de-

declinemus, diſtinguenda ſunt ea quæ vi præcepri eccleſiaſtici præciſe imperantur, ab iis quæ alio titulo debentur. Mihi itaque certum videtur, præceptum eccleſiaſticum ſanctificandi dies feſtos, prout adfirmativum eſt, non aliud præcipere præter Miſsæ auditionem: quod tum ex ipſius præcepti verbis, tum ex communi Theologorum, ac fidelium ſenſu colligitur. Quare ſententia quæ defendit, peccare mortaliter adverſus præceptum eccleſiaſticum fideles qui veſperis, & concionibus non interſunt feſtis diebus, & nimium ſevera, & a veritate abludere mihi videtur. Secundam opinionem Scoti, & aliorum, qui docent, Chriſtianos vi iſtius præcepti ad actus internos caritatis, & contritionis teneri, alii reiiciunt. Tertia tandem opinio communis recentiorum, qui propugnant, Chriſtianos nullo modo peccare adverſus præceptum iſtud, etiamſi, poſt auditam mane Miſsam, integrum diem inſumant in ludis, confabulationibus, oblectamentis, aliiſque profanis huiuſmodi occupationibus, nimis laxa, minuſque conſentanea Eccleſiæ ſenſui nobis pariter videtur. Quibus libatis, noſtram promimus ſententiam.

II. Peccant Chriſtiani, atque in gravi æternæ ſalutis periculo ſunt qui feſtis diebus, audita Miſsa, nullum aliud pium opus exercent; ſed totum diem rebus profanis vacant. Ut hanc meam ſententiam clare explicem, animadvertendum obiicio, duo eſse præcepta colendi feſta, divinum unum: *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*. Hoc præceptum, prout adfirmativum eſt, iubet cultum divinum. Iuxta hanc conſiderationem præceptum morale eſt, & immutabile, durabitque uſque ad finem mundi. Quoniam vero cultus, quem præcipit, nullo actu definitus eſt; ſed indeterminatum illum Deus reliquit; hinc eſt præceptum alterum eccleſiaſticum: nam Eccleſia, ut ex una parte fidelium tranquillitati conſuleret, indeterminatum cultum aliquo modo definire voluit; &, ne ex altera parte conſcientias nimium gravaret, ſolam auditionem Miſſæ ipſa ex debito impoſuit. Non propterea tamen decrevit ad nullum prorſus alium actum fideles teneri; ſed oppoſitum potius in plurimis Conciliis declaravit. Nullum itaque alium actum peculiarem, præter Sacri auditionem, Eccleſia ſuo mandato præſcribit. Quare & ego communi recentiorum ſententiæ, ad hoc quod attinet, accedo, ſcilicet adverſus Eccleſiæ præceptum non peccare fideles qui nec concionibus, nec veſperis adſunt. Dico etenim vi præcepti eccleſiaſtici eos non teneri ad hunc vel ad illum actum peculiarem: quia nullum actum in particulari, Miſſa excepta, Eccleſia præcipit. Nihilominus ſubdo, peccare Chriſtianos adverſus præceptum ſanctificandi ſabbatum, quatenus divinum eſt, gravique ſuæ ſalutis periculo obnoxios eſſe, quoties nullum actum præter Miſſæ auditionem, exercent; ſed toto integro die terrenis negotiis, profaniſque oblectamentis indulgent. Quandoquidem, licet Eccleſia, ut modo dixi, neque hunc, neque illum ſingularem actum, præter Miſſam, præcipiat ſuo mandato; non idcirco tamen decrevit, vi præcepti divi-

divini ad nihil amplius teneri; quin oppoſitum data occaſione declaravit. Nam *Canon* Ieiunia *diſt.* III. *de conſec.* hæc præſcribit: *Die dominica nihil aliud agendum eſt, niſi Deo vacandum. Nulla operatio in illa ſancta die agatur, niſi tantum hymnis, & pſalmis, & canticis ſpiritualibus dies illa tranſigatur.*

III. Nicolaus I. in reſponſionibus ad conſulta Bulgarorum *cap.* x. *&* XI. dicit: *Dominico die a labore terreno ceſſandum, at omni modo orationibus inſiſtendum, ut, quod negligenter per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ precibus expietur: ut liberius ad Eccleſiam ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis divinis intendere, eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus. Quæ omnia ſi quis negligens, orationi tantum vacare noluerit, & ad ceteras mundi vanitates licitos labores converterit, melius ei fuerat ipſa die laborare manibus ſuis, ut haberet unde tribueret neceſſitatem patientibus.*

IV. Hanc eamdem veritatem manifeſtavit Eccleſia in pluribus Conciliis, variis temporibus celebratis. Concilium Turonenſe, Caroli Magni ætate celebratum, anno nempe 813. *cap.* xl. ait: *Oportet omnes Chriſtianos in his diebus a ſervili opere ceſſare, & in laude Dei, & gratiarum actione ad veſperam uſque perſeverare.* Concilium Remenſe anno 1583. de feſtis diebus hæc præſcribit: *Diebus dominicis, & feſtis in ſuas parœcias populus conveniat, & Miſſæ, concioni, ac veſperis interſit.* Concilium Burdigalenſe, eodem anno celebratum, tit. *de feſtis*, hæc indicit ſuis Parochis: *Omnibus provinciæ noſtræ Parochis indicimus ut populum ſuum frequenter, & ſerio commoneſaciant, ut diebus feſtis non ſolum a quibuslibet prohibitis operibus ſe ſe contineant, verum etiam ſacris omnibus miniſteriis, & divini verbi prædicationi, quantum fieri poſſit, ex animo, & religione interſint: nec pietatis opera itidem prætermittant, in pauperibus reficiendis, afflictis conſolandis, aliiſque piis rebus gerendis, in quibus chriſtiana profeſſio, & caritas maxime eluceſcit.*

V. Concilium Aquenſe, 1585. celebratum, tit. de Feſt. cul. *Doceantur* (inquit) *populi crebro ab his ad quos pertinet, ut feſtos dies, qui Dei cultui dicati ſunt, in divinis officiis, concionibus audiendis, nec non in orationibus, maximiſque, ac continuis erga nos beneficiis recolendis, ſancte ac pie tranſigant, præſertim ut præter Miſſam, quæ ſine graviſſimi peccati culpa prætermitti non poteſt, præter veſperas item, quibus fidelem quemcumque, niſi impeditum, intereſſe maxime convenit, in doctrinæ chriſtianæ rudimentis, omnes tam mares quam ſeminæ, tam viri quam pueri, vel perdiſcendis, ſi illa ignorent, vel aliis perdocendis verſentur.* Concilium Avenionenſe anni 1594. *cap.* XLIII. hæc ſtatuit: *Doceant Parochi, ceterique verbi Dei præcones, diebus feſtis Dei cultui dedicatis, divinis officiis, concionibuſque audiendis, ceteriſque id genus piis operibus vacandum eſſe; nec Miſſam a quocumque, haud legitime impedito, ſine gravi flagitio prætermitti poſſe.* Concilium Aquileienſe anni

1596.

Digitized by Google

1596. *can.* XIV. hæc præſcribit: *Tempus diei feſti in audiendis concionibus, Miſſæ ſacro, & divinis officiis ponendum eſt, non in comeſſationibus. Multo minus, peracto prandio, ad ſaltationes, ad luſus declinandum; cum ſit in Eccleſias ad horas veſpertinas audiendas divertendum, & nomen Dei concorditer, & devote vel ſilentii meditatione, vel vocis exultatione laudandum. Quod curabunt Epiſcopi Curatorum diligentia populis inculcari.*

VI. Catechiſmus Concilii Tridentini *III. Part. de 3. præcep. numer.* 25. inquit: *Neque vero Parochus illud prætermittere debet, ut diligenter doceat, quibus in operibus, atque actionibus chriſtiani homines diebus feſtis exercere ſe debeant. Illæ vero eiuſmodi ſunt, ut ad Dei templum accedamus, eoque loco pia, ſinceraque animi attentione ſacroſanctæ Miſſæ Sacrificio interſimus; divina Eccleſiæ ſacramenta, quæ ad ſalutem noſtram inſtituta ſunt, ad animæ vulnerum curationem crebro adhibeamus. Nihil vero eſt quod opportunius, aut melius chriſtianis hominibus fieri poſſit, quam ſi peccata ſua Sacerdotibus ſæpe confiteantur. Ad quam rem perficiendam poterit Parochus adhortari, ſumpta huius probandæ rei ratione, & copia ex iis quæ de pœnitentiæ ſacramento ſuo loco tradita, & præcepta ſunt. Neque ſolum ad hoc ſacramentum populum excitabit, ſed ſedulo etiam atque etiam adhortabitur, ut ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum crebro percipiant. Attente præterea, diligenterque ſacra concio fidelibus audienda eſt..... Exercitatio item, & ſtudium fidelium in precibus, divinisque laudibus frequens eſſe debet, præcipuaque eorum cura, ut quæ ad chriſtianæ vitæ inſtitutionem pertinent, ea diligenter addiſcant, ſeduloque ſe exerceant in iis officiis quæ pietatem continent, pauperibus, & egenis eleemoſynas tribuendo, ægros homines viſitando, mærentes, quique dolore afflicti iacent, pie conſolando. Nam, ut eſt apud ſanctum Iacobum,* religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum. *Ex his quæ dicta ſunt, facile erit colligere quæ contra huius præcepti regulam committuntur.* Perpende hæc ultima Catechiſmi verba, quibus ſignificat, Chriſtianos contra iſtius præcepti regulam agere, dum concionibus, veſperis, eleemoſynis, precibus, aliiſque piis operibus neglectis, mundanis negotiis, terreniſque rebus vacant.

VII. Hanc ipſam doctrinam confirmat Concilium Mediolanenſe III. in quo S. Carolus Borromæus *tit. de feſ. dier. cul.* ſic loquitur. *Ut vero ii dies omni pietate, & religione colantur, hæc crebro populum Parochi, & Concionatores admoneant, atque hortentur, ut illorum dierum tempus, quod Deo, eiuſque cultui debetur, in iis actionibus totum conſumant in quibus ſancte conſumendum eſt. Ut concionem mane, & ſacram lectionem a prandio, ubi explicari ſolet, audiant. Ut divinis, veſperarum præſertim, officiis præſentes, pie, religioſeque adſint. Ut in chriſtianæ doctrinæ rudimentis, ac præceptis vel percipiendis, vel recolendis, verſentur. Ut in operibus etiam, officiiſque pietatis ſe exerceant, ægros homines viſitando, mærentes pie conſo-*

lando, & alia eiuſmodi præſtando. Ut denique ab illis actionibus, unde omnis peccandi materia, atque occaſio exiſtit, feriati; in ea opera incumbant ob quæ ſunt illi ſacri dies inſtituti. Plurima alia Concilia prætereo, Narbonenſe, Bituricenſe, Triburienſe, Matiſconenſe. Adiiciam ſolum ultimo loco auctoritatem Synodi Sextæ, quæ *can.* VIII. hæc habet: *Diei dominicæ tanta debet eſſe obſervantia, ut præter orationes, & Miſſarum ſolemnia, & ea quæ ad veſcendum pertinent, nihil aliud fiat.* Denique Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *de Ref. cap.* IV. ait: *Moneat Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum verbum Dei.*

VIII. Reſpondent recentiores Theologi, omnia quæ retulimus, pias eſſe adhortationes, & optima conſilia; minime vero præcepta. Et nos ultro fatemur, non eſſe præcepta; atque concedimus, fideles vi præcepti non obſtringi, ut dictum eſt, ad hunc vel illum actum in particulari. Sed dicimus, Eccleſiam voce Conciliorum, & Pontificum in recitatis decretis manifeſtaſſe ſenſum, & intentionem ſuam, quod videlicet ad implendum præceptum divinum ſanctificandi ſabbatum alia pia opera, præter Miſſæ auditionem, requirantur. Quare Catechiſmus Tridentini Concilii conceptis verbis aſſerit, eos fideles qui concionibus, veſperis, aliiſque piis exercitiis neglectis, otio, ludis, mundaniſque rebus vacant, adverſus regulam præcepti de feſtorum ſanctificatione agere. Ergo in idem præceptum peccant.

IX. Verum ad maiorem ſententiæ noſtræ confirmationem ea promere lubet quæ ſcribunt hoc de argumento duo graviſſimi Theologi, ſanctitate, & doctrina eximii. Primus eſt ſanctus Antoninus, qui *II. Part. tit.* IX. *cap.* VII. *§.* 4. ſibi proponit hanc quæſtionem. „ Sed quæri poteſt, utrum quis abſtinendo ſe a criminalibus, & „ operibus manualibus per hoc ſolum quod non vacat divinis, niſi audiendo Miſſam, „ vel non audiendo, quia non poteſt, ſed per totum feſtum ſolatiatur, & ratiocinatur „ de otioſis, peccet mortaliter. Et videtur quod ſic: quia maxime cadit ſub præcepto „ quod eſt de intentione legislatoris. Sed ad hoc intentio legislatoris huius præcepti de „ ſanctificatione ſabbati eſt, ut vacetur Deo. Talis autem non vacat Deo: quia, „ etſi audit Miſſam, illud valde modicum eſt reſpectu totius diei, & modicum „ pro nihilo reputatur, de conſec. diſt. II. Revera. Ergo &c. Quod ſi verum eſſet, „ durus eſſet hic ſermo, & multi præter ſuum credere, immo & commune cre„ dere damnarentur. Poſſet ergo ad argumenta reſponderi per quamdam diſtin„ ctionem quam ponit B. Thomas 1. 2. quæſt. XCIX. art. 9. dicit enim in re„ ſponſione ad argumentum ſecundum. *Intentio legislatoris circa aliquod præceptum eſt de duobus. Uno quidem ad quod inducere intendit per præcepta legis, & hoc eſt virtus. Aliud eſt de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt quod inducit, vel diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis. Non enim idem eſt finis præcepti, & id de quo præceptum datur; ſicut nec in aliis rebus eſt*

idem

Digitized by Google

idem finis, & id quod eſt ad finem. Hæc Thomas. Et hoc videtur poſſe dici, „ quod, quamvis intendat legislator finem præcepti, ut quid perfectius, non ta- „ men intendit id ponere ſub præcepto: quia multitudo, cui datur lex, non eſt „ ſubito capax perfectionis, ſed paullatim. Sed intendit ponere ſub præcepto id „ quod diſponit ad illud, quod facilius eſt ad obſervandum; & ſic abſtinere ab „ operibus ſervilibus eſt in præcepto. Non vacare Deo pro maiori parte diei ta- „ men peccatum eſt. “

X. Cardinalis Caietanus in ſua Summula verb. *Feſt.* hoc de argumento non abſimili modo loquitur. En ipſius verba. „ Licet cum abſtinentia a ſervilibus ſolius „ Miſſæ cultus ſufficiat in feſto ad evitandum peccatum mortale; tenentur tamen „ fideles diem expendere in divinis laudibus, ſaltem eundo ad prædicationem, & „ ad veſperas. Unde qui poſt Miſſam, feſtos dies vane conſumunt, ludendo, io- „ cando, otioſeque vagando, aut venando, ſpectaculis intendendo, licet ex ipſis „ operibus, utpote non ſervilibus, mortale non incurrant; ex omiſſione tamen „ divini cultus, ad quem feſta inſtituta ſunt, graviter peccant: quia non reddunt „ quæ ſunt Dei, Deo; & quia, quantum eſt in ſe, ridiculo exponunt chriſtiana „ feſta, iuxta illud, *Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius*. Et hoc præ- „ cipue tangit viros graves, & maiores, & dominos: ceteri namque eos imi- „ tantur. “

XI. Ex his omnibus luculentiſſimis documentis colligere fas eſt, peccare graviter, ut inquit Caietanus, adverſus præceptum de feſtorum ſanctificatione eos qui, Miſſa audita, & feriati otio difluunt, & ludicra, ac vana ſectantur. Cum dicimus, eiuſmodi Chriſtianos graviter delinquere; minime intelligimus, eos peccare letaliter. Hoc nec Antoninus, nec Caietanus aſſerunt; quin oppoſitum docent. Ex allatis Conciliis, & Patribus illud ſane tamquam certum colligitur, præfatos Chriſtianos aliquo modo peccare adverſus præceptum ſanctificandi dies feſtos. At, cum iſtius peccati gravitas non definiatur, merito & nos contenti ſumus culpam indicare, & ab illius qualitate determinanda abſtinere. Hac enim via media incedentes, utrumque extremum devitamus, ſeveritatis, & laxitatis. Enim vero quis ſeveritatis arguere auſus fuerit opinionem quæ peccare quidem docet fideles qui debitum cultum Deo reddere diebus feſtis omittunt: at, quoniam manifeſtum non eſt, eorum peccatum eſſe letale, idcirco gradum ſeu genus malitiæ non præfinit? Ex adverſo ab altero laxitatis extremo declinamus. Quandoquidem nimis a veritate evangelica exorbitare nobis videtur id quod iuniores docent, nempe Chriſtianos qui, audita Miſſa, & feriati ab operibus ſervilibus, totum integrum diem inſumunt in bacchationibus, ludis, choreis, ceteriſque inſanientis mundi ludicris ſpectaculis, nullo modo delinquere adverſus feſtorum ſanctificationem; quamquam dicant, peccare eiuſmodi homines poſſe adverſus alias peculiares virtutes. Id ſane

G ij ni-

Digitized by Google

nimis laxum nobis eſt, tum propter relatas auctoritates, tum propter rationem ipſam. Siquidem mandatum hoc, quatenus affirmativum eſt, ſanctificationem feſti diei præcipit. *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*. Utique a Deo nullus peculiaris actus iſtius ſanctificationis definitus eſt; ſed iubet fideles ſanctificare ſabbatum piis operibus, quin operum numerum, ſeu actus, quibus coli debet, præſcribat. Eccleſia ſub mortali impoſuit onus audiendi Miſſam; ſeu inter actus quibus Deum colere debemus, ſolam auditionem Miſſæ ipſa præcepit. At non idcirco declaravit, eos adamuſſim præceptum implere qui ſolam hanc actionem exerceant; immo contrarium declaravit, ut ſupra vidimus. Et profecto, anne ſanctificare diem feſtum dicendus ille eſt qui unico quadrante, vel ad ſummum media hora, Deo vacat, Miſſam audiendo?

XII. Rationi ſane repugnare videtur, Chriſtianum hominem diem feſtum ſanctificare, qui per mediam tantum horam ſancte operatur. Nonne communiter recentiores Theologi docent, minime violare diem feſtum eum qui ſerviliter operatur, non modo mediam horam, ſed infra duas horas? Cur? Quod parum pro nihilo reputetur. Una vero hora, immo quaſi duæ horæ reſpectu totius diei feſti parum reputatur. Cum ergo quis adverſus præceptum, prout negativum eſt, duabus fere horis agit, illud non tranſgreditur; qui vero media ſola hora divinis vacat, præceptum, prout affirmativum eſt, implet? Hic parum pro toto die; ibi parum pro nihilo reputatur? Cur hæc diverſa pondera? Sic potius argumentari debemus. Qui totum, vel maiorem partem diei in popinis, ludis, vanis oblectamentis, & rebus profanis impendunt, diem ſanctum profanant; ut per ſe liquet. At qui diem ſanctum profanant, peccant. Ergo peccant qui die feſto narratis exercitiis dant operam. Qui ſancte agit per mediam horam, diem ſanctificat; & qui profane agit per totum quaſi diem, diem non profanabit? Si autem profanat, numquid non peccabit? Hocce ne ſolum diſcrimen dies profanos inter & ſacros, quod Chriſtiani feſtis diebus in clariorem lucem ſomnum protrahant, quod ſplendidiores induant veſtes, quod compriores, ornatioreſque in publicum prodeant, quod lautius epulentur, & dimidiæ horæ ſpatio in Miſſæ auditione impenſo, reliquum tempus, nempe totum diem, ſaltationibus, otio, ventri, potationibuſque devoveant? Hoc profecto eſt quod D. Antoninus *II. Part. tit.* IX. *cap.* VII. *§.* 4. amaris lacrymis deflet, ſic inquiens: *O miſeranda cæcitas Chriſtianorum! quia plura peccata faciunt, & graviora in diebus feſtivis. Aliis diebus laborant, ut poſſint vivere; diebus feſtivis, quando deberent laborare pro anima, & Deo vacare, implicant ſe in multis vitiis*. Similia dedimus ſupra ex ſancto Baſilio. Nunc opera pia quæ agere debent fideles, explicanda ſunt, præter ea quæ hactenus indicavimus.

CA

C A P U T VII.

Feſtorum ſanctificatio poſtulat ut fideles in propriæ conſcientiæ examine, librorum piorum lectione, ægrototorum viſitatione, atque eleemoſynarum diſtributione illos dies tranſigant: & quid de re uxoria ſenſerint Patres, declaratur.

I. INſtitutio feſtorum non eo dumtaxat ſpectat, ut fideles Deo cultum offerant, & divina meditentur; verum etiam id præcipue requirit ut in propriæ conſcientiæ examine, cordiſque compunctione verſentur. Idcirco enim a terrenis negotiis abſtinere debent, ut ſuum, & unicum æternæ ſalutis negotium peragant. Et, quamquam præceptum eccleſiaſticum hæc explicite non iubeat; mandatum tamen illud generale, quo omnes adſtringimur animæ noſtræ ſalutem ceteris omnibus præferre, enarrata exercitia præſcribit. Si enim feſtis diebus ſpiritualis villicationis rationes non ſubducamus; eas ne ſupputabimus profeſtis diebus? Anne ſuæ æternæ ſalutis curam habere dicendus eſt qui neque feriatis diebus propriæ conſcientiæ vulnera curare ſatagit? Sentiant ergo recentiores plures quidquid ſibi libuerit. Dicant, præceptum iſtud non aliud præcipere, niſi abſtinentiam a ſervili labore, & Miſſæ auditionem. Ego, hac in ſuo ſtatu relicta doctrina, pro certo habeo, Chriſtianos illos qui ſacro tempore, Miſſa audita, toti ſunt in terrenis negotiis, ab æternæ ſalutis via aberrare, gravique perditionis diſcrimini obnoxios eſſe. Idque manifeſta experientia compertum eſt. Nam Chriſtiani, quibus animæ ſalus cordi eſt, feſtis potiſſimum diebus conſcientiam ſuam peccatorum confeſſione mundant, atque piorum operum exercitio divinam iuſtitiam placare, Deumque ſibi propitium pro viribus reddere ſtudent. Contra vero Chriſtiani ſuæ ſalutis immemores feſtis maxime diebus ventri indulgent, luxum, ludos, ſaltationes, ceteraque ſtulti mundi ſpectacula frequentant. Quæ hucuſque dicta ſunt, mirum in modum explicat S. Antoninus, qui pia opera, quæ veri Chriſtiani feſtis diebus præſtare debent, quæque Chriſtiani ficti exercere ſolent, ob oculos ponit II. Part. tit. IX. cap. VII. §. 4. *Debet ergo die feſto inſiſti operibus ſpiritualibus orationis, meditationis, auditionis divinorum, lectionis, & eleemoſynis, & huiuſmodi: unde & cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentibus parentibus eius Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, & Chriſtus cum eis aſcendit: Luc. II. Et ad quid Virgo glorioſa cum Ioſeph, & puero iviſſet, niſi ad adorandum Deum, & vacandum divinis, ut lex iubebat? Et inter cetera debent homines vacare compunctioni,*

& contritioni peccatorum ſuorum, recogitantes quæ egerunt aliis diebus, in quibus fuerunt occupati. Dicitur enim Levit. XVI. Sabbatum requietionis eſt: affligetis animas veſtras, *ſcilicet per contritionem ſecundum Origenem. Item auditioni Miſſæ, & divinorum officiorum, & prædicationum, de quo dicetur capite ſequenti. Item admonitioni, & correctioni proximorum, & præcipue familiæ ſuæ. Exemplum habetur in Iob, de quo ſcribitur in primo capite*: Cumque in orbem tranſiſſent dies, mittebat Iob, & ſanctificabat eos, *ideſt in capite hebdomadæ, quod eſt dominica. Dicitur autem ſanctificare filios, quia illa die admonebat eos, & corrigebat de defectibus, ſi quos infra hebdomadam feciſſent, ut exponit Thomas ſuper Iob. Vel etiam quia offerebat orationes, & ſacrificia pro eis. Item inſiſti debet magnis eleemoſynis. In cuius figuram legitur in Levit. quod duo agni offerebantur die ſabbati, aliis diebus unus tantum, ſcilicet in holocauſtum. Tobias etiam præparato prandio in die feſto miſit filium ad vocandum pauperes ad comedendum cum eis; prius tamen ſepelivit mortuum, quem audivit in platea iacere, ut habetur Tob.* II. *Sed quis eſt hic qui ita celebret feſta vacando divinis, & laudabimus eum, cum invenerimus?* Hactenus deſcripſit ſanctus Archipræſul pia illa opera quæ veri Chriſtiani, regnum Dei anhelantes, præſtare feſtis diebus debent. Deinde perſequitur enarrare ludicras occupationes perverſorum hominum, qui diebus feſtis peculiarem cultum dæmonibus offerunt. *Nonne* (ſubdit) *tota occupatio hominum in feſtis eſt circa corpus? Mulieres vacant, & non parum temporis expendunt in ſe ornando ad capiendas animas: famuli, & famulæ ad præparandum cibos accuratius ſolitò: mercatores ad faciendos ſuos computos, & ratiocinia, ad ſcribendum libros, & litteras: inferioris conditionis homines ad audiendum de Palatinis, vel ſpectacula vana: nulla cura filiorum, & familiæ, ſed omnes liberi dimittuntur ad faciendum mala: &, quod cum multo labore per hebdomadam lucrati ſunt, in feſtis in tabernis, & ludis, non in eleemoſynis expendunt. O abuſio perverſa hominum, & iactura temporis irrecuperabilis, & negotium gratiſſimum dæmonibus! Apte de his dixit Hieremias Thren.* I. Viderunt eam hoſtes, *ideſt dæmones, inimici peſſimi animæ, ſeu Eccleſiæ*, & deriſerunt ſabbata eius, *ideſt feſta: quia ſcilicet non Deo, ſed ſibi vacant, ventri, & dæmoni.*

II. Hanc ſuam doctrinam hauſit Antoninus ex ipſa Scriptura, Patribus, & Conciliis. Siquidem maiores noſtri ad feſtorum dierum cultum pertinere cenſuerunt, pauperum egeſtati proſpicere. In hunc finem eulogia, & oblationes offerebant Chriſtiani, ut iiſdem clerici, & pauperes ſuſtentarentur. Mos iſte ſanctificandi feſtos dies ab ipſis Apoſtolis initium duxit; ut teſtatur D. Paulus I. Cor. XVI. *De collectis quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite. Per unam ſabbati unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectæ fiant.* Hanc ſanctam conſuetudinem, qua fide-

fideles, Sacro audito, & peracta ſynaxi, pauperibus ſtipem conferebant, egregie ſanctus Iuſtinus *apol.* 2. repræſentat his verbis : *Solis, qui dicitur, die,* (diem ſolis, quam nos dominicam, appellabant antiqui) *omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in unum locum fit conventus &c. Commentaria Apoſtolorum leguntur &c. Precationes profundimus &c. Diſtributio, communicatio fit eorum in quibus gratiæ actæ ſunt, cuique præſenti, abſentibus per diaconos mittitur. Ceterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quiſque ſuo, quod viſum eſt, contribuunt; &, quod ita colligitur, apud Præpoſitum deponitur; atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his qui propter morbum, aut aliam aliquam cauſſam egent, quique in vinculis ſunt, & peregre advenientibus hoſpitibus; &, ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt.*

III. D. Ioannes Chryſoſtomus rationem aſſignat cur potiſſimum dominico die Apoſtolus Paulus beneficentiam commendaverit, Tom. V. ſerm. XXII. pag. 321. & ſeq. *Quamobrem hunc diem oblationi deputat? Eo die deſtructus eſt infernus, extinctum maledictum, diſparuit peccatum, conciliati ſunt Deo homines, noſtrumque genus ad priſtinam, immo ad maiorem, rediit dignitatem : viditque ſol inopinatum, & admirabile illud ſpectaculum, quod homo factus eſt immortalis . . . . Cogita homo quanta, & qualia bona accepiſti hoc die, quantis malis es liberatus.* Et, paucis interiectis, omnes hortatur divites ut egentibus opitulentur; quin & ipſos pauperes, ac viduas excitat ad offerenda pro viribus munuſcula. *Statuamus hoc, ut dominico die aliquid in ſubſidium pauperum reponamus; neque legem poſtea tranſgrediamur, quantacumque urgeat neceſſitas. In una ſabbatorum unuſquiſque noſtrum, non divitibus, ait, dico ſolum, ſed & pauperibus, non liberis ſolum, ſed & ſervis non viris ſolum, ſed & mulieribus, nullus ab hoc miniſterio exemptus, lucrive ſit expers; ſed unuſquiſque aliquid offerat. Neque collationi huic obſtet inopia. Quantumcumque enim pauper ſis, non es pauperior vidua illa quæ omnem ſubſtantiam expendit.* Sermone tandem XXV. morem narrat quo mendici pro ſacrarum ædium foribus ſtipem petebant; taliſque moris rationem prodit, ut ſcilicet non tam manuum quam animorum ſordes eluerentur, neve quis in ſacra templa illotis manibus, ac mente irrumperet. Idcirco ibi fontes patebant, ut quiſque, antequam ad Deum orandum accederet, ablui poſſet. Hæcque externa corporis ablutio ad animæ ſordes delendas excitabat, ne quis ſceleribus inquinatus Miſſæ adſtaret. *Hac de cauſſa,* inquit, *maiores noſtri pro foribus Eccleſiarum pauperes conſtituerunt, ut vel inhumaniſſimum, & ſegniſſimum quemque aſpectus ipſe egenorum ad commiſerationem excitet &c. Hac de cauſſa pro foribus noſtris ſtant, ipſo adſpectu magis, quam ullis verbis poſſint, ad beneficentiam provocantes eos qui ingrediuntur. Quemadmodum enim ſolemne eſt ut fontes præſto ſint ante oratoria, ut adoraturi Deum, manus prius lotas inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt maiores noſtri, ut non aliter*

liter quam manus abluimus aqua, prius per beneficentiam abſterſa anima, tum demum preces noſtras offeramus. Non enim tam apta eſt aqua ad abluendas corporis maculas quam eleemoſyna ad abluendas ſordes animæ. Quemadmodum igitur non audes illotis manibus ad precandum intrare, quamvis levius ſit hoc crimen; ita nec abſque eleemoſyna ad precandum umquam accedas. Si te aſſuefeceris numquam ſacra hæc veſtibula ſine eleemoſyna intrare, numquam ab hoc opere bono abſtinebis. Tantum valet conſuetudo. Ignis eſt precatio. Sed ignis iſte opus habet oleo, ut ad ipſa cæli convexa perveniat. Ceterum oleum, quo ignis iſte fovetur, non aliud eſt quam eleemoſyna. Admonet deinde ſanctus Antiſtes, neceſſe haudquaquam eſſe, pecunias ad Eccleſias deferre, ut in omnium conſpectu beneficentia exerceatur; ſed domi arculam parandam eſſe, ut, ſi parum eſt quod diſtribuere vis, valeas ſine occaſione erubeſcendi pauperibus ſuccurrere. Hac enim ratione domus tua templum quoddam efficitur, ubi caritatis, & beneficentiæ theſaurus ſervetur, quo pauperibus, data occaſione, opitulari poſſis. *Unuſquiſque apud ſe ponat recondens. Non dixit, Ferat in Eccleſiam, ne propter paucitatem erubeſcant; ſed quum, quæ paullatim fiunt, collectionibus auxerit collationem, quum acceſſero, tunc oſtendat. Interim autem, inquit, apud te ſepone, & domum tuam fac Eccleſiam, arculam, gazophylacium, eſto cuſtos ſacræ pecuniæ, a te ipſo ordinatus diſpenſator pauperum. Benignitas, & humanitas hoc tibi dat Sacerdotium.*

IV. Sanctus Cyrillus *homil.* XLIII. *in Epiſt. I. ad Corinth.* hanc eamdem Apoſtolorum conſuetudinem deſcribit. Suum quoque populum admonet, ut ad præſcriptum chriſtianæ religionis feſtos dies tranſigant, pauperibus videlicet ſuccurrendo, ne rerum omnium inopia laborantes, communis lætitiæ expertes ſint. *Oportere quippe arbitror ut qui pure, & iuxta Dei placitum feſtum diem agere volunt, non ſolum lætitiæ ſuæ rationem habeant, neque provideant quomodo ſoli ipſi cum hilaritate eum peragant; ſed ad curam ſuam miſericordiam in egenos adiungant. Tunc enim aliorum erga alios dilectionis legem implentes, feſtum revera ſpiritale Servatori Chriſto peragemus &c. Ordinem igitur, & formulam feſtis diebus convenientem violat qui ſuæ curæ pauperum curam non admiſcet. Illa enim coniunctio vere feſtivitas perfecta eſt.*

V. Unanimi conſenſu Patres fidelibus ſuadent ut feſtis diebus, potiſſimum dominica, a re uxoria abſtineant. In rem meam fore arbitror ex iiſdem pauca delibare, ut hinc intelligatur quanta puritate, reverentia, & obſequio maiores noſtri ſacra feſta peragerent. Chryſoſtomus *hom.* LII. *in Matth.* ait: *Tu eo die quo liberis legitime operam dedisti, quamvis crimen illud non ſit, orare tamen non audes.* Sanctus Gregorius Nazianzenus prolixius coniuges hortatur ut communi conſilio, ſacro tempore opus intermittant nuptiarum. *Hoc unum a te poſco, ut & a dono ſecuritatem accipias, ac viciſſim hoc dono rependas: ut certo tempore, hoc eſt, quamdiu aſſignatum orationi tempus omni occupatione præſtabilius fuit, a re uxoria abſtineas;*

Digitized by Google

neas; idque ex communi pacto, & conſenſu. Non enim legem ſancimus; ſed conſilium damus: ac tuorum aliquid ad utilitatem tuam, communemque utriuſque veſtrum ſecuritatem accipere volumus.

VI. Sanctus Hieronymus apertius, & iuxta aliquos præter limites, fideles rebus ſacris ineptos declarat eo tempore quo rei uxoriæ operam dant. Inquit enim Lib. I. adverſ. Iovinian. *Si laicus, & quicumque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali; Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt.* Et quoniam negotium quibuſdam faceſſebant quæ hac de re ſcripſerat Hieronymus, apologiam texuit vir ſanctus, qua validius oſtendit, coniugum conſociationem, iuxta D. Paulum, precibus obeſſe, & multo magis euchariſtiæ ſumptioni. *An idcirco arguor, quod de meo auſus ſum adiicere, quale illud bonum eſt quod corpus Chriſti accipere non permittit? Ad hoc breviter reſpondebo: Quid eſt maius: orare, an accipere corpus Chriſti? Utique accipere corpus Chriſti. Si per coitum impeditur quod minus eſt; multo magis quod maius eſt. Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, ut fideles ſemper Chriſti corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo. Unuſquiſque enim in ſuo ſenſu abundet. Sed ipſorum conſcientiam convenio qui eodem die poſt coitum communicant, & iuxta Perſium noctem flumine purgant. Quare ad Martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Eccleſias? An alius in publico, alius in domo Chriſtus eſt? Quod in Eccleſia non licet, nec domi licet.* In Urbe domi accipiebant ſacras epulas quotidie: & fatetur Hieronymus, ſe aſſequi minime poſſe, quomodo licitum ſit coniugibus, qui a re uxoria non abſtinent, euchariſtiam ſuſcipere; cum religioni illi ipſi ſibi ducant, Martyrum templa adire.

VII. Quæ de precibus, & euchariſtia ſcribunt Patres, eadem de ſacro tempore docent. Idcirco vero peculiarem precum mentionem faciunt, quod feſtis potiſſimum diebus preces Deo offerantur. De feſtis diebus loquitur Auguſtinus ſer. ccxliv. de tempore. *Quoties ad Eccleſiam in qualibet ſolemnitate venitis, & ſacramenta Chriſti percipere volueritis, ante dies plures caſtitatem ſervate, ut cum pura conſcientia ad altare Dei poſſitis accedere.* Eadem ſcribit S. Cæſarius Arelatenſis Antiſtes hom. 11. *Et licet credam quod, Deo inſpirante, ſupervenientibus feſtivitatibus caſtitatem per plures dies, etiam cum propriis uxoribus cuſtodiat caritas veſtra; tamen licet ex ſuperfluo, etiam quod vos facere credo, caritatis contemplatione commoneo, ut per totam Quadrageſimam, & uſque ad finem Paſchæ caſtitatis luce veſtiti, eleemoſynis dealbati, ad altare Domini accedentes, corpus, & ſanguinem eius, non ad iudicium, ſed ad remedium poſſitis accipere.*

VIII. Prætermiſſis multis aliis tum Patrum, tum Conciliorum textibus, duos inter Patres ultimos Thomam, & Bonaventuram proferre iubet. D. Thomas in ſupplemento *III. P. quæſt.* lxiv. tribus integris articulis, nempe quinto, ſexto, & ſeptimo, rem hanc verſat. Articulo quinto conſtituit, tempore ſacro minime licere

cere debiti petitionem. *Dicendum, quod actus matrimonialis, quamvis culpa careat; tamen, quia rationem deprimit propter carnalem delectationem, hominem reddit ineptum ad ſpiritualia: & ideo in diebus in quibus ſpiritualibus præcipue eſt vacandum, non licet petere debitum.* Articulo ſexto ſtatuit, coniugem petentem debitum haud letaliter peccare. Culpam tamen hunc committere pro certo habet, graviorem quidem, ſi voluptatis cauſſa quam ſi ob periculum concupiſcentiæ ſtimulis ſuccumbendi complexum poſcat. *Non peccat mortaliter uxor, vel vir, ſi in die feſto debitum petat; ſed tamen gravius eſt peccatum, ſi ſola delectationis cauſſa petatur quam ſi propter timorem quo quis ſibi cavet de lubrico carnis, debitum petat.* Ultimo tandem articulo concludit, eum qui petenti reddit, haudquaquam peccare. Huic angelicæ doctrinæ ſuffragatur S. Bonaventura in IV. diſt. xxxii. art. 3. quæſt. 2. *Ideo dicendum, quod reddi poteſt debitum ſine culpa in illis diebus, dum tamen reddat cum diſplicentia, & dolore. Peti autem non poteſt ſine culpa. Et, ſi aſpectus ſit ad delectationem, gravis eſt culpa. Si autem ad lubricum carnis, vel ſuam infirmitatem, cuius eſt conſcius, vel conſcientia vehementer timet, & propter hoc petit, veniale poteſt eſſe peccatum. Attamen vix contingit quod in præcipuis diebus non ſit grave peccatum.* Eadem ſcribit Alexander Alenſis. Unde colligitur, communem tunc in ſcholis fuiſſe hanc doctrinam.

IX. Sanctorum Patrum doctrinam mirum in modum confirmant celeberrima inſignium virorum exempla. Ex pluribus duo tantum indicabo. Primum exhibet ſanctus Ludovicus Galliæ Rex, qui ſolemnibus diebus coniugio abſtinebat, antequam ad euchariſtiam accederet, nec non poſtquam ad illam acceſſerat: de illo ſiquidem hæc ſcribit Du Cheſne Tom. V. *Inſuper in ſolemnitatibus in quibus communicare debebat, pluribus diebus ante communionem, & pluribus poſt, ob reverentiam ſacri myſterii continebat.* Aliud ſplendidum exemplum exhibet ſancta Hedvvigis lectiſſima femina Poloniæ Princeps. Hæc, cum ſe uterum ferre deprehendebat, confeſtim a coniugio abſtinebat, uſque dum peperiſſet; ſicut teſtatur Surius in eius actis ad 15. Octobris. Tantumque ſuæ continentiæ coniugalis exemplo potuit, ut ceteris primariis feminis idem perſuaſerit; atque tandem effecit ut maritus ſuus eodem temperantiæ genere coleret omnes dies Adventus, Quadrageſimæ, & dominicos, feſtoſque, Paraſceves præterea, pervigilia, & vocata quatuor temporum ieiunia. *Simul atque ſe concepiſſe ſentiret, a viri toro uſque ad puerperii completionem ſe ſe reverenter abſtinuit, atque huius ſanctæ legis, & honeſtæ conſuetudinis uſum, & cultum obſervandum ſibi præcepit a primæ prolis ſuæ conceptu, anno ætatis decimo tertio; nec eum umquam intermiſit, donec parere deſineret: atque hunc modum in ipſo matrimonio continenter vivendi, a ſancta Eccleſia adprobatum, quaſcumque potuit, edocebat* &c. *Salutaribus conſiliis, & exhortationibus ſuis generoſum maritum ſuum eo adduxit, ut cum ipſa ſponte ſtuderet continentiæ ſingulis annis toto Adventu, &*

Qua-

Digitized by Google

Quadrageſima, diebus quatuor temporum, & ſextis feriis, in vigiliis Sanctorum, & feriis eorum, atque diebus dominicis.

X. Hæc omnia referre congruum putavi, ut heinc colligamus quæ fuerit maiorum noſtrorum in feſtorum ſanctificatione puritas, quæ reverentia erga Deum, quæ caritas erga proximum, & quæ propriæ ſalutis cura, ſtudiumque. Non me fugit, plura eorum quæ dixi, quibuſdam viſum iri nimium a præſenti conſuetudine diſtantia, & aliena. Sed non propterea minus ſunt chriſtianæ religioni conſentanea. Ad prudentiam Confeſſariorum, Parochorum, & Concionatorum attinet, eadem pro temporum opportunitate, & circumſtantiarum varietate, caute, & ſumma moderatione fidelibus inculcare. Quoniam hac ratione fideles, ſin tantam chriſtianæ religionis perfectionem opere aſſequentur, intelligent ſaltem quid maiores noſtri præſtiterint, quidque Chriſtiani omnes debeant, quidque eoſdem facere deceat.

C A P U T VIII.

De cauſſis quæ quandoque Chriſtianos aliquos ab auditione Miſſæ feſtis diebus excuſare valent.

I. EXtra controverſiæ aleam eſt, plures occurrere cauſſas quæ ab audiendo Sacro Chriſtianos excuſant. Hæ autem communiter aſſignari ſolent impotentia, damnum, ignorantia, conſuetudo, caritas. Impotentia triplex, ſpiritualis, phyſica, & moralis. Spiritualis eſt, dum quis eſt interdictus, vel excommunicatus: cum enim ſacris adeſſe ſine culpa nequeat; patet eum non teneri ad Miſſam audiendam, donec ab excommunicatione, vel interdicto ſolvatur. Excuſatur quoque qui non poſſet, niſi a Sacerdote excommunicato vitando, Miſſam audire. Qui facile abſolutionem obtinere poſſet ab excommunicatione, non excuſaretur a violatione præcepti audiendi Miſſam. Quoniam ſolum impedimentum quod difficile, non quod facile removeri poteſt, excuſat: quidquid in oppoſitum Leander *tract. 11. diſp. 11. quæſt.* v. cum aliis recentioribus dicat. Commorantes in loco interdicto tenentur, cum ſine gravi incommodo poſſint, ad locum non obnoxium interdicto ſe conferre, ut Miſſam audiant. Quia qui commode implere poteſt præceptum, tenetur illud reipſa obſervare. Nec audiendi ſunt pauci recentiores, contrariam opinionem propugnantes. Qui tempore interdicti habent privilegium audiendi Miſſam, obſtringuntur illam audire: quia, remoto per privilegium impedimento, præceptum obligat. Contrariam opinionem quæ docet, neminem cogi ſuo uti privilegio, ut excuſet fideles ab auditione Miſſæ, nimis laxam reputamus. Quoniam aliud eſt, uſum privilegii abſolute non eſſe neceſſarium, neminemque

ad

ad eiuſdem uſum cogi; aliud vero longe diverſum, te non debere præceptum obſervare, quoties, ſublato per privilegium impedimento, libere, & commode implere præceptum vales. Primum concedimus; ſecundum, tamquam falſum, reiicimus.

II. Impotentia phyſica, ſeu naturalis, cuiuſmodi eſt infirmitas, detentio in carceribus, excuſat ab audiendo Sacro. Infirmi, qui habent privilegium audiendi Miſſam in oratorio domus ſuæ, tenentur ad illam audiendam. Sporer contrarium docet *tract.* 111. *cap.* IV. *ſec.* 2. *num.* 27. falſo nixus fundamento, quod ſcilicet nemo cogatur ſuo uti privilegio: ſiquidem, ut dictum eſt, quamquam non teneatur vi privilegii, tenetur tamen vi præcepti, ut privilegio utatur ſibi conceſſo. An poſtea teneatur privilegio donatus, dato ſtipendio, ſibi Miſſam procurare, negat La Croix *Lib. III. part.* 1. *dub.* 5. *num.* 676. cum aliis. Ego abſolute eum teneri dico: quia eiuſmodi privilegia non conceduntur niſi divitibus, & nobilibus, qui abſque gravi, immo communiter levi incommodo poſſunt ſtipendium conferre Sacerdoti, ut ſibi Miſſam celebret. Anne privilegium illud eorum dumtaxat fovendæ deſidiæ inſervire debet? Nonne congruum eſt ut qui commodum ſentit, ſentiat quoque & onus? Sola gravis difficultas ſtipendii, quæ, ut dixi, in præfatis privilegium habentibus rariſſima eſt, excuſare poteſt. Inſervientes infirmis pariter excuſantur, ſicuti & navigantes mare, quos non teneri Miſſam ſiccam, quam vocant, audire, dum celebratur, docent non pauci. Sed, quia ego infra dicturus ſum, fideles impeditos ab auditione Miſſæ debere, cum poſſint, alia pia opera peragere; ideo mihi ſatis probabile videtur, eiuſmodi navigantes obnoxios eſſe auditioni Miſſæ, quæ celebrari ſolet, Deoque preces offerre. Sed de hoc infra.

III. Qui in infidelium terris habitant, ubi nullus Sacerdos catholicus celebrat, excuſantur ab audiendo Sacro, ſi eorum commoratio neceſſaria ſit, & coacta; ſecus, ſi libera eſt, & voluntaria. Quare mercatores, & quicumque alii artifices, nobiles &c. qui voluntarie eligunt habitare, negotiari in locis hæreticorum, & infidelium, ubi Miſſam audire nequeunt, ſunt in continuo ſtatu peccati mortalis, quamdiu libere in eiuſmodi locis permanent. Aliquando publica, vel privata neceſſitas excuſare poteſt. Sed ſæpe aviditas divitiarum, & lucri temporalis pro vera neceſſitate obtruditur.

IV. Impotentia moralis quoque ſolvit a debito audiendi Sacri, ut diſtantia nimia a loco, ubi Miſſa celebratur. Quænam autem dicenda ſit longa diſtantia, diſſident inter ſe Auctores. Bonacina *diſp.* IV. *de Euch. punct. ult. num.* 12. ad longam diſtantiam, quæ excuſet ab obſervatione præcepti, requirit ſex milliaria italica. Alii docent ſufficere tria milliaria italica. Sed, ut mea præfert opinio, perperam a ſola itineris menſura gravitas iſtius impedimenti repetitur. Tria milliaria illum, non hunc excuſabunt. Quare perſonarum, ſexus, viæ, conſuetudinis diverſitas,

ſitas, aliæque circumſtantiæ ad trutinam revocari debent. Ceterum in his, ſicuti & quando dubitatur, an infirmitas ſit nec ne ſufficiens impedimentum, Parochus, aut medicus, vel Superior conſulendus eſt, qui ſoli pro circumſtantiarum varietate, quid expediens fuerit, reſolvere valent. Monachi, & Eremitæ antiqui, qui in vaſtis ſolitudinibus degebant, non excuſabantur ab audienda Miſſa, præciſe ratione diſtantiæ, ſed conſuetudinis privilegio.

V. Damnum grave, quod revera immineat, ſufficiens cauſſa eſſe poteſt quæ excuſet ab auditione Miſſæ. Qua de cauſſa excuſantur cuſtodes arcium, ovium, armentorum, vinearum, merciumque vectores, quando res ſibi commiſſas neque ad tempus relinquere ſine gravi periculo valent. Quando tamen plures ſunt, pluraque Sacra, vices mutare debent, & ſucceſſive Miſſam audire. Mater quæ nec domi filios relinquere, nec ad Eccleſiam ſecum eaſdem conducere ſine gravi periculo poteſt, non peccat, ſi Miſſam non audiat; peccat vero, ſi alterutrum præſtare valeat. Idem dicendum de nutricibus, & famulabus, quæ parvulos nec relinquere, nec ad Eccleſiam deferre poſſunt ſine gravi periculo. Debent tamen, ſi fieri poteſt, procurare alias mulieres, quæ pro illo tempore eoſdem cuſtodiant, donec ipſæ præcepto ſatisfecerint. Uxores ob grave maritorum ſcandalum vitandum licite poſſunt Miſſam omittere. Prudentia tamen opus eſt, & iuxta circumſtantiarum varietatem, conſilium eſt exhibendum. Famuli aliqua vice poſſunt a Miſſa abſtinere, dum a dominis timent ſibi aliquod grave malum inferri. Si vero frequenter id occurrat, debent alios dominos, illis relictis, inquirere. Excuſantur iter agentes, qui, ne amittant ſocios, omittunt Miſſam, quando ſine ſociis iter neceſſarium, & longum perſequi nequirent, vel quod viam ignorent, vel quod ſe in latrones incurſuros timeant. Si autem iter breve foret, & poſſet in aliud tempus differri ſine gravi incommodo, minime excuſarentur. Grave quoque detrimentum propriæ famæ, vel honoris, aut ſanitatis, & multo magis periculum propriæ vitæ excuſat; ut quando prudenter hoſtium occurſus in via prævidetur, vel peſtis graſſatur. Qui convaleſcunt, & feminæ partui proximæ communiter excuſantur, quoties ex egreſſu in publicum ſanitatis damnum notabile timeatur. Excuſantur pariter feminæ ex fornicatione occulta gravidæ, ſi dum prodirent in publicum, earum fama læderetur: quia nemo tenetur ſeipſum prodere. Similiter demum excuſantur feminæ nobiles, quæ carent decenti veſtitu. Si tamen ob alias cauſſas in publicum egrederentur, adire quoque templa tenerentur, vel privatas Eccleſias, aut oratoria. Verum pro his, & ſimilibus ſtatui regula certa nequit; ſed circumſtantiæ variæ inſpiciendæ ſunt. Puella quæ ſe impudice amandam prævidet, ſi domo egrediatur, ut ad templum ſe conferat, poteſt, & tenetur iuxta aliquos omittere Miſſam: quia, inquiunt præceptum Miſſæ audiendæ non obligat cum detrimento ſpirituali proximi. Sed nos hanc opinionem reiicimus, ut falſam; potiſ-

tiſſimum ſi iuvenis, non ex mera fragilitate, ſed ex malitia puellam deperit. Neque enim ob Phariſæorum ſcandalum præcepta propriæ religionis negligenda ſunt. Ratio cui innititur contraria opinio, purum ſophiſma eſt. Utique verum eſt me non debere præceptum eccleſiaſticum obſervare, quando illud implere nequeo, quin ſpirituale damnum inferam proximo: falſiſſimum tamen eſt me ad obſervantiam præcepti non teneri, quoties aliquis ex ſua malitia anſam arripit peccandi. Si vera foret contraria opinio, paucæ puellæ, & vix deformes, poſſent feſtis diebus Miſſam audire.

VI. Ignorantia, & conſuetudo ſunt duæ cauſſæ quæ excuſare poſſunt ab auditione Miſſæ. Ut ignorantia excuſet, debet eſſe omnino invincibilis. Si enim aliquo modo vincibilis eſt, omnino non excuſat; ſed diminuit peccatum plus minuſve, iuxta maiorem vel minorem negligentiam in inquiſitione veritatis. Conſuetudo quoque, ut excuſet, debet eſſe rationabilis, & approbata. Hinc ratione conſuetudinis alicubi viduæ excuſantur, quæ aliquibus feſtis poſt mariti mortem Miſſam non audiunt. De temporis quantitate diſſidium eſt penes Auctores. Aliqui per tres menſes, aliqui per integrum annum aſſerunt, poſſe viduas omittere Sacrum: idque probant ratione conſuetudinis. Ego has conſuetudines, quæ per medium, aut integrum annum a templis ſacris abeſſe viduas permittunt, tamquam minus rationabiles, reiicerem, ſi alicubi inter Chriſtianos obtinerent: quoniam nulla ſolida occurrere poteſt ratio cur viduæ, quæ iuxta Paulum Apoſtolum ſingularem devotionem præſerre debent, ſint a vinculo iſtius præcepti ſolutæ. Sic docet D. Antoninus II. Part. tit. IX. cap. X. §. 2. *Quod viduæ aliquibus diebus, vel hebdomadis in morte virorum maneant domi in ſignum triſtitiæ, unde & Miſſam non audiant, videtur tolerandum, ſi eſt de more patriæ. Sed quod maneant per integrum annum, vel per ſex menſes, excuſari non poſſunt, quia magna abuſio eſt*. Conſuetudo, vi cuius puellæ nubiles Miſſam diebus feſtis non audiunt, irrationabilis eſt, & abuſus nobis videtur. Ipſæ tamen excuſantur, ſi invitæ domi detineantur. Sed parentes peccant, dum eas audire Miſſam impediunt; maxime cum ipſis ad ludos, choreas, aliaque oblectamenta excundi libertatem concedant. Ita S. Antoninus loco laudato. *Puellæ nubiles, quæ non exeunt domo, quia non permittuntur a parentibus videntur excuſari, ſi neſciunt præceptum, vel ſcientes libenter irent, ſi permitterentur. Non enim fas eſſet ſolas domo exire clam, ut audirent, quia magna pericula poſſent inde contingere. Sed parentes earum, qui non permittunt accedere, innitentes conſuetudini patriæ, non videntur poſſe excuſari, ſi permittant eas exire ad choreas, vel alia loca, vel ſtare ad oſtium domus, vel feneſtras, ut videantur ab hominibus. Nam in eo caſu dici non poteſt conſuetudo, quæ in ratione fundatur . . . . ſed corruptela*. Conſuetudinem quoque, qua quidam aſſerunt, mulieres, dum patiuntur menſtruum, excuſari a Sacro audiendo, ut abuſum reiicimus.

VII.

VII. Quando urget præceptum caritatis, & miſericordiæ erga proximum, impleri debet; etiamſi Miſſa omittenda ſit. Debent utique, ſi fieri poteſt, ambo præcepta impleri. Sed, ſi alterutrum omittendum ex neceſſitate ſit, illud omitti debet quod minus obligat. Fortius autem obligat præceptum caritatis quam præceptum audiendi Miſſam: illud divinum, hoc eccleſiaſticum eſt. Hac ergo ratione excuſantur qui infirmis medicinam ſubminiſtrant, qui occupantur in bonis proximi ſubducendis periculo incendii, grandinis, naufragii, & in quovis miſericordiæ opere gravi, ac neceſſario, quod dilationem non patiatur.

VIII. Quæſt. I. *An Chriſtiani teneantur non ponere impedimentum audiendi Sacrum?* Reſp. In calce iſtius capitis quaſdam quæſtiunculas proponere lubet quæ dignæ nobis videntur peculiari animadverſione. Ad propoſitum quæſitum reſpondet in primis P. Sporer cum aliis, extra diſputationem eſſe quod quiſque poſſit tempore remoto, nempe tres, aut quatuor dies ante diem feſtum, impedimentum ponere ea directa intentione, eoque fine, ut inhabilem ſe conſtituat ad Miſſam audiendam: *tract.* III. *in* 3. *præcep. Decal. cap.* IV. *ſec.* 2. *num.* 30. Quia talis utitur iure ſuo, & ſua libertate. Neque intentio culpabilis eſt: quoniam hæc non ideo ponit obſtaculum, ut executionem præcepti impediat; ſed ut te eximat ab obligatione præcepti. Hæc doctrina, quam paſſim obtrudunt recentiores Theologi non pauci, non modo certa nobis non videtur, ſed potius falſa apparet, & chriſtianæ ſinceritati adverſa. Enimvero Chriſtianus quiſque animum paratum ad obediendum Eccleſiæ legibus habere debet. Qui data opera latebras quærit, ut obſervantiam legis effugiat; qui impedimentis idcirco ſe ſe obſtringit, ut impotens, & omnino ineptus evadat præcepti obſervator: qui, inquam, hac incedit via, dicendus ne eſt revereri legem? Ubi iſthic erga legislatorem obſequium? Ubi ſtudium obſervandæ legis? Quamvis præceptum ſolummodo die feſto obliget, ſecus diebus profeſtis præcedentibus; adeſt nihilominus præceptum generale, quod omnes nos Chriſtianos obſtringit, nobiſque vetat ne leges Eccleſiæ noſtræ matris eludamus, ne ſophiſticis diſtinctiunculis a legis declinemus obſervatione. Quid enim præfert hæc diſtinctio? non refugit obſervantiam præcepti, ſed ab obſervantia præcepti ſe ſe eximit: quid, inquam, aliud ſignificat reipſa hæc verborum multiplicatio, niſi manifeſtam voluntatem excutiendi iugum legis? At de hoc iterum alibi fuſius.

IX. Secundo loco concedunt omnes, neminem poſſe die ipſo feſto impedimentum ponere, quo poſito, Sacro intereſſe nequeat: quoniam nequit impedimentum ponere eodem tempore quo urget præceptum. Quin communiter aſſerunt, hoc impedimentum licite poni non poſſe tempore proximo diei ſacro, ſed tantum tempore remoto. De eo poſtea diſputant, nimirum quodnam ſit dicendum tempus proximum, quodnam remotum. Laudatus *P. Sporer* loco ſupra citato ſubdit, nimis laxum eſſe, hoc tempus remotum conſtituere, ſeu concludere intra ipſum diem

diem feſtum. E contrario vero tempus proximum extendere uſque ad totam diem, quæ immediate præcedit ipſum feſtum, eſt nimis arctum. Quod clarius exprimitur hoc modo. Si tu aſſeris, non eſſe licitum ponere impedimentum tempore proximo diei feſto, ideſt per totum diem qui antecedit feſtum, doctrinam nimis rigidam doces. Si contra ſtatuis, poſſe quempiam ponere impedimentum tempore remoto, ideſt ſub initium diei feſti, laxam evulgas opinionem. Inter propoſitiones, quæ hominibus doctis, & piis nimis laxæ videntur, quaſve dedimus *diſſert.* 1. *cap.* 11. hæc una eſt. „ Pridie feſtum læſi valetudinem nimio potu, „ ut nequirem altero die ædem ſacram ſubire, hancque impotentiam orituram „ prævidi." Alteram quoque prolixiorem, & conſimilem propoſitionem ibidem recenſui. Et P. Gobat loco ibi laudato has propoſitiones defendit; ego autem, tamquam nimis laxas, & tamquam improbabiles, ſalvo meliori iudicio, *reiicio*. Quoniam, admiſſa hac doctrina, actum eſſet de præcepto ſanctificandi dies dominicos. Quiſque enim die ſabbati poſſet ſe negotiis implicare; vel ad venandum, ut Tamburinus cum eodem Gobat aſſerit ibidem, in diſſita nemora pergere; vel crapula, libidine, ebrietate ſe ſe opprimere ea intentione, & fine, ne Miſſam audiat, feſtumque obſervet. Si autem hic, quin peccet adverſus præceptum ſanctificandi feſta, hæc peragere valeat; cur non & alter? Omnes ergo poterunt in ea ſe coniicere impedimenta quibus ab onere audiendi Miſſam, & ſanctificandi feſta ſe ſe eximant: quod quam ſit & rationi, & chriſtianæ religioni, quæ feſtorum celebratione maxime ſplendet, adverſum, nemo non videt. Ut paucis rem hanc perſtringam, numquam, neque tempore proximo, neque tempore remoto, licitum eſt ea expreſſa, & directa intentione, ac fine impedimentum ponere, ut præcepti obſervantia evitetur. Multo minus poſtea licet id præſtare pridie feſtum: quia nemini licitum eſt inſidias parare obſervationi legis, quæ bonum commune religionis ſummopere promovet, qualis eſt lex ſanctificandi ſabbatum.

X. Quæſt. II. *An ſpes acquirendi lucrum temporale ſufficiens cauſſa ſit negligendi auditionem Miſſæ die dominico?* Reſp. Affirmative reſpondent non pauci recentiores: & citato capite ſecundo inter propoſitiones laxas hanc recenſui opinionem, quæ propugnat, ob notabile lucrum temporale licitum eſſe Miſſam omittere. Ut vero deprehendere quiſque poſſit, quo progreſſa ſit quorumdam Theologorum benignitas, deſcribo caſum quem proponit, & reſolvit P. Gobat *tract.* v. *num.* 493. his verbis. „ Comitiſſa N. enixa eſt prolem maſculinam, ſummis deſideriis, ac „ longo iam tempore expectatam. Id ſi primus nuntiaveris eius matri, donabit „ tibi pro evangelio duos ducatos; at non eris primus, niſi negligas Sacrum: an „ licite negliges? Reſp. Es aut honeſtæ fortunæ, aut tenuis? In neutro caſu ex- „ cuſabit te Ariaga. Ego tamen in ſecundo; immo, ſi agatur de uno ſolo duca-

„ to,

Digitized by Google

„ to, ſiſque vere pauper, poteris præſumere de benignitate Pontificis, adeoque „ facultate interpretativa. Etenim lucrum unius ducati, ſeu aurei, eſt reſpectu „ pauperis notabile, & alicuius ponderis." Ipſius Auctoris verbis caſum, & reſolutionem referre volui, ne quiſquam ſuſpicetur, me aliquid addidiſſe. Porro, ſi rationem talis deciſionis quæſieris, non aliam offendes præter auctoritatem Scriptoris. At quæ ratio ſuffragari poteſt opinioni, quæ, ut mihi videtur, ſua nimia laxitate ſe ipſam conficit? Venalia ergo ſunt præcepta chriſtianæ religionis? Homo tenuis fortunæ, hoc eſt neque dives, neque vere pauper, poteſt ob duorum ducatorum pretium maximam ſuæ religionis actionem, cui ex præcepto obnoxius eſt, miſſam facere; & ſi eſt vere pauper, ob unicum ſolum ducatum? Si inſenſiſſimi religionis noſtræ hoſtes, Lutherani, & Calviniſtæ, hæc legant, vel audiant, quam animo ſuo religionis noſtræ imaginem concipient, quamve exiſtimationem? Miſſæ auditio die dominico character eſt præcipuus Romanæ communionis: & unius ducati pretio poſtponitur? Homines divites pauci: in maiori, immo maxima parte, aut tenuis fortunæ ſunt, aut vere pauperes: poterunt ergo occaſione lucrandi duos, aut unum ducatum Sacrum negligere omnes Chriſtiani, exceptis divitibus, & aliis honeſtæ fortunæ? Non modo laxitatem redolet, ſed, ut ipſe experior, horrorem incutit opinio hæc. *Diſſert.* II. *cap.* VIII. *num.* II. impugnavimus ſententiam plurium recentiorum, qui aſſerebant, magnum, & extraordinarium lucrum eſſe iuſtam cauſſam laborandi ſerviliter diebus feſtis. Quod ſi neque magnum lucrum excuſare oſtendimus ab obſervatione diei feſti: numquid lucrum parvum unius ducati ſatis erit ut quis poſſit præſumere de voluntate ſummi Pontificis, remittentis debitum audiendi Sacri? Hæc retuliſſe, refelliſſe eſt. Vide ea quæ dicta ſunt loco ſupra laudato.

XI. Quæſt. III. *An qui legitima cauſſa impeditus Miſſam omittit, teneatur, ſi poſſit, alias preces offerre Deo?* Reſp. Negat La Croix *Lib. III. p.* I. *cap.* I. *num.* 691. aitque, ſatis eſſe ipſum abſtinere a ſervilibus ea intentione ut colatur Deus, qui in ſabbato quievit. Marchantius *Tom. II. tract.* IV. *tit.* II. *quæſt.* III. adfirmat, peccare mortaliter eum qui legitime excuſatus a Miſſa, nullo alio cultu externo Deum veneratur. Huic ſententiæ ſubſcribit P. Sporer *tract.* III. *in* 3. *præcept. Decal. cap.* IV. *ſec.* 2. *num.* 36. Ad peccatum mortale quod attinet, non auſim id expreſſe aſſerere, illi principio nixus, quod, ubi manifeſte, & expreſſe non conſtat peccatum eſſe mortale, illud haudquaquam conſtituere nos debemus. Dico itaque, præfatum Chriſtianum peccare: an poſtea peccatum iſtud mortale ſit, vel veniale, me ignorare fateor: neque enim ratio evidens occurrit, qua evincere poſſim, eſſe mortale. Si tamen coactus eſſem patefacere, in quod ex duobus extremis propendeam; dicerem mortale potius quam veniale peccatum mihi apparere. Aſſertio hæc noſtra ex iis quæ ſuperiore capite ſexto dicta ſunt, manifeſta eſt. Ibi

namque demonſtratum fuit pluribus rationum momentis, Chriſtianos præter Miſſæ auditionem ad alia pia opera Deo offerenda teneri. Sufficiat nunc in memoriam revocare id ſolum quod de cultu Deo debito vi præcepti divini, & vi præcepti eccleſiaſtici dictum eſt. Quandoquidem præceptum eccleſiaſticum non ſuſtulit divinum mandatum, ſed cultus indefiniti, quem Deus præſcripſit, declaravit partem eſſe debere Miſſæ auditionem; non tamen definivit, omnem cultum a Deo præſcriptum, Miſſæ auditione compleri. Itaque vi præcepti eccleſiaſtici non alium cultum Deo offerre diebus ſacris tenemur præter Miſſæ auditionem; at vi præcepti divini ad plura alia obſtringimur: eo quod non ſit per præceptum eccleſiaſticum ſublatum debitum honorandi Deum exteriori cultu. Quando ergo Chriſtianus impeditus Miſſam audire nequit; poteſt vero alias preces, & oblationes Deo offerre: quis eum ab hoc penſo Deo reddendo ſolverit? Quis dixerit, non debere hunc Chriſtianum ullo actu externo Deum ſuum colere, & venerari, ad præceptum illud implendum, *Memento ut diem ſabbati ſanctifices*? Placet capiti iſti, immo diſſertationi finem imponere verbis D. Auguſtini ſerm. ccli. de temp. edit. Lov. *Obſervemus ergo diem dominicum, fratres, & ſanctificemus illum, ſicut antiquis præceptum eſt de ſabbato, dicente legislatore Exod. xx.* A veſpere uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. *Videamus ne otium noſtrum vanum ſit, ſed a veſpere diei ſabbati uſque ad veſperam diei dominici ſequeſtrati a tali opere, & ab omni negotio, ſoli divino cultui vacemus.* Perpende Auguſtini verba. Iubet nos animadvertere, ne feriati ab operibus otium noſtrum vanum ſit. Sola ergo ab operibus ceſſatio, iuxta Auguſtinum, inutilis, vana, & ſterilis omnino eſt. Quoniam idcirco Deus præcepit ab operibus ſervilibus quieſcere, ut liberius, & expeditius cultum, & oblationes ei litare poſſemus. Sed perſequamur exſcriptionem textus D. Auguſtini. *Sic quoque ſanctificemus rite ſabbatum Domini, dicente Domino:* Omne opus non facietis in eo. *Veniat ergo, cuicumque poſſibile ſit, ad veſpertinam, atque nocturnam celebrationem, & oret ibi cum conventu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum. Qui vero hoc non poteſt* (en aſſertio noſtra) *ſaltem in domo ſua oret, & non negligat Deo ſolvere votum, ac reddere penſum ſervitutis. In die vero nullus ſe a ſacra Miſſarum celebratione ſeparet, neque in venatione ſe occupet, & diabolico mancipetur officio, circumvagando campos, & ſilvas, clamorem, & cachinnum ore exaltans; non gemitum, nec orationis verba ex intimo pectore ad Deum proferens . . . . Adhuc quoque, quod valde dolendum eſt, conqueri vobiſcum volo, quia ſunt aliqui, & maxime potentes iſtius mundi, qui, cum veniunt ad Eccleſiam, non ſunt devoti ad laudes Dei celebrandas, ſed cogunt Presbyterum, ut abbreviet Miſſam, & ad eorum libitum cantet: nec ei licet morem eccleſiaſticum ſequi propter illorum gulam, & avaritiam, quatenus unus punctus diei ad Dei officium, & reliquum diurnum ſpatium cum nocte ſimul ad eorum deputetur voluptates. Nolite, fratres mei dilectiſſimi, hæc ſa-*

Digitized by Google

facere, nolite hæc facientibus conſentire : quia non ſolum qui hæc faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, pereunt. Monſtroſum reputat Auguſtinus unicum diei punctum Deo conſecrare; ceterum vero tempus diei ſacri prodigere ; media diei hora divinis vacare, & reliquum diem ſacrum voluptatibus, oblectamentis, vaniſque rebus operam dare. Neque reponi poteſt, non aliud, niſi conſilium, & piam adhortationem, Auguſtini verba continere : quoniam Auguſtinus præceptum divinum ſanctificandi ſabbatum exponit. Non ergo conſulit ſolum, ſed quæ præceptum ipſum imponit, patefacit.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS

DE QUINQUE ECCLESIAE PRAECEPTIS.

DE SECUNDO ECCLESIAE PRAECEPTO, QUO CERTIS DIEBUS IEIUNIA PRAESCRIBUNTUR.

DISSERTATIO PRIMA.

PRAELOQUIUM.

I. NON omnes eumdem Eccleſiæ præceptorum numerum conſtituunt : quoniam alii quinque, alii ſex enumerant. Diverſitas inde oritur, quod qui ſex admittunt, primum de feſtorum ſanctificatione in duo tribuunt, quorum unum prohibet opera ſervilia, alterum Miſſæ auditionem præcipit. Qui quinque tantum computant, præfata duo præcepta ſub uno comprehendunt [*]. Ordinem quoque in his recenſendis præceptis variant Auctores : nam præceptum ieiunii alii quarto, alii ſecundo loco conſtituunt. Varietas iſthæc nullius eſt momenti ; nos autem breviori ac tritiori methodo inhærentes, quinque præcepta Eccleſiæ numeramus ; & ſecundo loco illud quod ſtatis temporibus ieiunia præſcribit, collocamus.

II. Tria integra volumina de ieiunio typis publicis edidi, lingua vernacula duo, latina tertium. Primum inſcribitur LA QUARESIMA APPELLANTE &c. Tanta tunc temporis excitata commotio eſt, ut controverſia celebris [*utrum ieiunio obnoxii illi eſſent qui ob eſurialium ciborum faſtidium carnibus veſcuntur*] ad ſupremum pontificium tribunal delata fuerit : & continuo emanavit diploma, quo præſati diſpenſati ieiunio ſubiecti declarati fuerunt. Cavillari Decretalem pontificiam cœperunt benignioris Ethices patroni, inquientes, adhortationem illam continere, ſecus præceptum : quæ effugia ut tolleret Pontifex ſummus BENEDICTUS XIV. aliud BREVE edidit, quo luculentius præceptum expreſſit. Quæ duo BREVIA interpretatus ſum altero opere inſcripto, LA DISCIPLINA ANTI-

TICA, e MODERNA *della Romana Chieſa intorno al digiuno* &c. Nec tamen idcirco acquievere laudati homines adverſæ ſententiæ fautores; ſed ex Hiſpania plura Romam miſsa ſunt poſtulata diſsolvenda: ad quæ reſcriptum dedit BENEDICTUS XIV. Archiepiſcopo Compoſtellano directum. In quod reſcriptum *Commentarium* edidi. Quartam denique Paſtoralem pro exactiore ieiunii obſervatione edidit Pontifex ſummus. Hæc quatuor pontificia diplomata iſthuc tranſcribere deſtinaveram; ſed melius conſultus Tom. I. Apparatus inſerenda remitto, quia propriam ſedem habebunt in Bibliotheca ibi adornanda.

CAPUT I.

Communis ieiunii notio, & variæ ſpecies. Divina lege in Scriptura ſacra præceptum eſt. Quid de eo ſenſerint hæretici tum antiqui, tum recentes.

I. IEiunium in ſua generali ſignificatione importat abſtinentiam a cibo: ieiunare enim idem eſt ac non edere. Hoc nomen *ieiunium* quatuor modis accipitur, ſeu quadruplex eſt ieiunium, ſpirituale, morale, naturale, & eccleſiaſticum. Ieiunium ſpirituale dicitur abſtinentia a vitiis, iuxta illud Iſaiæ LVIII. *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes*. Quapropter ait Auguſtinus tract. XVII. in Ioannem: *Ieiunium magnum, & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi*. Quod & Hieronymus confirmat cap. XVII. in Matth. *Ieiunium eſt non ſolum ab eſcis, ſed a cunctis illecebris abſtinere*. Ieiunium morale eſt parſimonia in cibi, potuſque ſumptione iuxta temperantiæ regulas. Ieiunium naturale eſt abſtinentia ab omni prorſus cibo, & potu. Ieiunium eccleſiaſticum, de quo ſolo in præſenti tractatu ſermo erit, deſcribi ſolet hoc modo: *Eſt abſtinentia a pluribus refectionibus, certoque ciborum genere ſecundum Eccleſiæ regulas*. Dicitur abſtinentia a pluribus refectionibus, quia in unica refectione ſita eſt eſsentia ieiunii eccleſiaſtici, ut ſuo loco fuſius palam fiet. Nomine cibi ea intelliguntur quæ apta ſunt ad alendum corpus, ſive per modum cibi ſumantur, ut panis, caro, caſeus, ova; ſive per modum potus, ut mel, lac, iuſculum, chocolates, & ſimilia. Sub nomine autem potus ea veniunt quæ referuntur non ad corpus alendum, ſed ad iuvandam cibi digeſtionem, vel ad reſtinguendam ſitim; ut ſunt vinum, aqua, cerviſia, & id genus ſimilia: quamvis enim hæc etiam aliquo modo nutriant, ſuapte tamen natura ad alios effectus ordinantur, prout ſuo loco dicetur. Quæ ad mor-

bos pellendos referuntur, non cibi, vel potus, ſed pharmaca nominantur. Regulas porro quas in ieiunio Eccleſia ſervandas præſcribit, infra explicabimus. Illud ſolum admonere iuvat, ieiunium appellari eccleſiaſticum, non quia nullum ſit ieiunium niſi ab Eccleſia indictum (plura enim ſunt ieiunia libere ſuſcepta, & ratione voti, vel profeſſionis, ut monaſtica) ſed dici eccleſiaſticum, eo quod obſervari debet iuxta regulas ab Eccleſia præſcriptas.

II. Ieiunium ſecundum ſua m genericam conſiderationem præceptum eſſe a Deo, Scriptura ſacra teſtatur. Quandoquidem *Ioelis* II. hæc habentur. *Convertimini* [inquit Deus] *ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & in fletu, & in planctu*. Ionæ III. Deus Ninivitis ieiunium indixit, quo animæ ſordes eluerent, ſuamque iuſtitiam, eorum peccatis læſam, placarent. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis a maiore uſque ad minorem.* Rex Ioſaphat, pugnaturus adverſus Ammonitas, Moabitas, & Syros, ieiunium populo præcepit II. Paralip. cap. xx. *Ioſaphat autem timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum Dominum, & prædicavit ieiunium univerſo Iuda.* Hoc eodem ſcuto uſus eſt populus, ut Holofernis arma propulſaret. *Clamavit omnis populus ad Dominum inſtantia magna, & humiliaverunt animas ſuas in ieiuniis, & orationibus, ipſi, & mulieres eorum.* Quibus Sacerdos Eliachim, qui ieiunium populo indixerat, victoriam promiſit, ſi in ieiunio, & precibus perſeverarent. *Tunc Eliachim . . . Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi permanſeritis in ieiuniis, & orationibus in conſpectu Domini:* Iudith IV. Eſther quoque, ut Iudæos internecioni ab hoſte Aman paratæ ſubduceret, ieiunium indici præcepit. *Eſther hæc Mardochæo verba mandavit: Vade, & congrega omnes Iudæos . . . . Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. Et ego cum ancillis meis ſimiliter ieiunabo.* Eſther IV. Plurima alia quæ ex Scripturis promere poſſem, miſſa facio, alibi relaturus.

III. Antiqui hæretici non modo ieiunia non negabant, ſed erroneis quibuſdam momentis innixi plus iuſto multiplicabant. Recentes vero, ut Lutherani, & Calviniſtæ, concedunt ieiunium præceptum fuiſſe in veteri fœdere; negant autem eidem obnoxios eſſe Chriſtianos, legis vinculo ſolutos: quia inquit Apoſtolus Rom. III. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur.* Nimis craſſa eſt aberratio. Quoniam, abrogatis cæremonialibus mandatis veteris legis, certum eſt conſiſtere moralia, & naturalia, cuiuſmodi eſt illud quod ieiunium præcipit. Hoc conſtat ex ipſo Evangelio Matth. VI. *Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus ieiunans.* Veritatem hanc confirmat Auguſtinus *epiſt.* XXXVI. olim LXXXVI. ad Caſulanum. *Ego in evangelicis & apoſtolicis litteris, totoque inſtrumento, quod appellatur Teſtamentum novum, animo id revolvens, video præceptum eſſe ieiunium. Quibus autem diebus*

non

Digitized by Google

non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apoſtolorum non invenio definitum. Iacobus Piceninus Calviniſta in ſua Apologia pro Eccleſia reformata, ſeu verius deformata, italice exarata, & Coiræ in Rethia typis edita anno *1706. cap.* x. *art. 4. num.* 8. ut ſuo decepto populo fucum faciat, laudatum Auguſtini textum truncatum exhibet, quo evincat, ex Auguſtini mente ieiunium non eſſe præceptum. *E' mirabile*, inquit Piceninus, *un detto di S. Agoſtino*. Deinde ultimum membrum recitati textus in italicam linguam verſum promit. *Io non trovo in tutti i libri del nuovo teſtamento definito il tempo in cui ſi debba digiunare*. Dum hæretici, quæ iuris ſunt, interpretantur, illis quodammodo ignoſco, ſi a manifeſta veritate, quæ ſola divina luce, qua ſunt deſtituti, conſpicitur, aberrant. At ipſis veniam dare non poſſum, cum eos videam, quæ facti ſunt, quæve ſe ſe oculis ingerunt, omni honeſtate, & ſinceritate poſtpoſita aut denegare, aut impudenti fronte pervertere. Præceptum ieiunii, quod Auguſtinus in Evangelio ſe reperiſſe teſtatur, Calviniſta ſilentio præterit, & tempus ieiunandi, quod in Evangelio minime præſcriptum eſſe fatetur Auguſtinus, ac fatentur Catholici omnes, in medium adducit. Hinc autem infert nullo modo in Evangelio præſcribi ieiunium, eo quod dies quibus ieiunandum eſt, non ſint definiti. Quod ſi e ſua dialectica hæc promeret Piceninus, tolerandus utcumque foret; at, quod auctoritate Auguſtini, manifeſte oppoſitum docentis, id confirmare velit, fraudis, & malæ fidei ſeipſum condemnat.

IV. Duo teſtimonia opponere ſolent recentes hæretici, Lutherani, & Calviniſtæ. Primum depromptum eſt ex Eſychio *Lib. VII. in Levit. cap.* XXVII. aſſerente, numquam a Deo præceptum fuiſſe ieiunium. Alterum ex Theodoreto, qui in hiſtoria religioſa refert, Marcianum dixiſſe Avito: *Scimus caritatem ieiunio præſtantiorem. Hoc enim divinæ legis opus eſt; ieiunium vero poteſtatis noſtræ, & arbitrii.* Ad primum reſpondetur, Eſychium loco laudato loqui de iis quæ Decalogi præceptis iubentur: recte proinde aſſerit, ieiunium vi Decalogi non eſſe præceptum. Ad ſecundum ex hiſtoria Theodoreti reſponſio patet. Marcianus ſiquidem, & Avitus de ieiunio monaſtico libere ſuſcepto, non de eccleſiaſtico, invicem colloquebantur. Verum fuſius de hoc infra.

CAPUT II.

De ciborum delectu. Ieiunium Eccleſiæ catholicæ carnium eſum numquam admiſit. Hæreticorum errores, Launoii aberrationes refelluntur.

I. Quamquam animus non eſt evincere, omnia ieiunia quæ Iudæi obſervabant, fuiſſe cum abſtinentia a carnibus; utcumque tamen res iſta in veteri lege ſe ſe habuerit, nihilominus etiam tum temporis aliqua ſaltem ieiunia carnium eſum excluſiſſe, certum eſt. Idque colligitur ex Daniele Propheta, qui formam ieiunii deſcribens, hæc habet cap. x. *Ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum; ſed neque unguento unctus ſum.*

II. Sed, ut ut ſit de Hebræorum ieiunio, certum eſt Chriſtianos a primordiis Eccleſiæ ſemper in ieiuniis ſuis, & potiſſimum quadrageſimalibus, a carnibus abſtinuiſſe. Priuſquam vero id oſtendo, hæreticorum errores paucis recenſeam oportet. Atque ut ab antiquioribus incipiam, Ebionitæ, Encratitæ, Euſthatiani, Priſcillianiſtæ, Apoſtolici, omnium animalium carnes immundas eſſe dicebant. Manichæi non modo carnes, ut immundas, ſed etiam vinum reſpuebant: quam hæreſim, quod attinet ad vinum, ſecutus eſt Mahometus. In aliud omnino contrarium extremum lapſi ſunt Nicolaitæ, Valentiniani, & Iovinianiſtæ, qui nullos omnino cibos, neque in perpetuum, neque ad tempus, neque aliquibus perſonis, interdici poſſe effutiebant. Hanc hæreſim amplexati ſunt hæretici recentes, Lutherani, & Calviniſtæ, alioſque cuderunt errores. Siquidem in ieiuniis non ſolum improbant ciborum delectum, ſed etiam negant ieiunia eſſe opera meritoria; & catholicam Eccleſiam damnant, quod ieiunia lege obligante in conſcientia præcipiat. Hos omnes errores paucis profligabimus. Et ut a primo auſpicemur, Eccleſia catholica in ieiuniis numquam eſum carnium admiſit. Quod Patrum tum Græcorum, tum Latinorum teſtimoniis evinco. Et ex Græcis quidem S. Baſilius, ut communem Chriſtianorum conſuetudinem, profert abſtinentiam a carnibus ieiunii tempore. Hæc enim ſcribit hom. I. de ieiunio: *Carnes non edis, a vino abſtines, veſperam expectas, ut cibum ſumas.* Theophilus Alexandrinus *epiſt.* III. quam latine reddidit Hieronymus: *Nequaquam in diebus Quadrageſimæ carnium edulio delectemur. Qui autem legum præcepta cuſtodiunt, carnium eſum in ieiuniis repudiant.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catecheſi* IV. inquit: *Per ieiunium abſtinemus a carnibus, non quod eas abominemur, ſed quod mercedem expectemus.* Chryſoſtomus *hom.* I. *in Gen. de ieiunio quadrag.* inquit: *Iam coquorum diſcurſus, & pecudum macta-*

mactationes e medio tolluntur : & hom. 11. *Iam carnium conciſiones, ac tumultus coquorum ceſſant*. Denique Nicephorus *Lib. XVII. eccleſ. Hiſt. cap.* XXXII. narrat, Imperatorem Iuſtinianum, graviſſima fame urgente, iuſſiſſe carnes venales Conſtantinopoli a laniis exponi ſecunda Quadrageſimæ hebdomada. Populus autem tanta religione abſtinentiam a carnibus ſacro illo tempore excolebat, ut fame potius perire vellet quam carnes comedere. *Mortem ſibi potius tolerandam, ac ſubeundam exiſtimans, quam ut quidpiam de patriis moribus, ac traditionibus immutaret*, inquit Nicephorus.

III. Inter Latinos Patres, primum profero Auguſtinum, qui dominica prima Quadrageſimæ *ſer.* 1. qui eſt lxiv. de tempore, hæc ſcribit. *Sed & illa eſt in Quadrageſimæ diebus grandis utilitas, quod, dum etiam a licitis abſtinemus, magis ac magis admonemur illicita vitare : qui enim abſtinemus nos a carnibus, quibus aliis diebus uti licet, qui nos abſtinemus a vino, quo moderate uti licet: qui ergo iſta vitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata fugiamus, quæ omnino numquam licent*. Item ſermone ſequenti lxv. *Ceſſent lavacra, vina, vel carnes, non quod creaturam Dei iudicemus eſſe damnandam; ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies vivamus & Domino*. Hieronymus in cap. x. Daniel. *Docemur hoc exemplo, tempore ieiunii a cibis delicatioribus abſtinere, nec carnem comedere*. Auctor *Libri III.* in Iob adiudicatus Origeni, inquit: *Quando ieiunamus, o viri, abſtinemus nos, ut non guſtemus carnes, neque vinum, neque ſuperfluas eſcas*. Maximus Taurinenſis hom. III. de ieiun. quadrag. *Quale illud eſt, quod non veſceris carnibus, & de ore tuo ſordidius omni eſca egreditur maledictum ?* Gennadius Maſſilienſis in Libro de eccleſiaſt. Dogmat. cap. LXVIII. *Sacratæ Deo virginitati nuptias coæquare, aut pro amore caſtigandi corporis abſtinentibus a vino, vel carnibus, nil credere meriti accreſcere, non hoc Chriſtiani, ſed Ioviniani eſt*. Quibus omnibus accedunt exempla ſanctorum virorum. Nam Clemens Alexandrinus *Lib. II. Pædag. cap.* I. commendat Matthæum, quod *ſeminibus, baccis, & oleribus abſque carnibus uteretur*. Euſebius *Lib. II. Hiſt. eccleſ. cap.* XXII. laudibus celebrat Iacobum Apoſtolum, quod a *carnibus animantium abſtinuerit ſemper*.

IV. Reſpondet Dallæus in ſuo de Ieiunio Quadrageſimæ Tomo *Lib. I.* eiuſmodi allata teſtimonia evincere quidem liberam, ſecus neceſſariam, abſtinentiam a carnibus. Cuius reſponſionis falſitatem aperte oſtendit decretum Concilii Toletani primi apud Buccardum Lib. XIX. cap. lxxvi. *Quicumque in Quadrageſimæ diebus eſum carnium præſumpſerit attentare, non ſolum erit reus reſurrectionis dominicæ; verum etiam alienus ab eiuſdem diei ſancta communione : & hoc illi cumuletur ad pœnam, ut in ipſius anni curriculo ab omni eſu carnium abſtineat, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam*. Decretum iſtud renovarunt, confirmaruntque Concilium Toletanum IV. & Concilium Toletanum VIII. Legis prohibentis carnes

nes in Quadrageſima meminit quoque S. Iſidorus Hiſpalenſis *Lib. I. de div. offic. cap.* XLIV. ubi inquit : *Non quia carnes malæ ſunt, prohibentur ; ſed quia illarum epulæ luxuriam carnis gignunt : ſunt enim fomes, & nutrimentum omnium vitiorum.*

V. Obiiciunt 1. heterodoxi auctoritatem D. Pauli I. ad Cor. cap. X. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* Secundo idem Apoſtolus ad *Coloſſ. cap.* II. ait : *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu.* Tertio I. *ad Timoth. cap.* IV. inquit : *Spiritus manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.... prohibentium nubere, abſtinere a cibis* &c. Tandem Matthæi cap. XV. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.*

VI. Ad primum reſpondetur, Paulum loqui de carnibus idolis immolatis : & quia Corinthii religioni ſibi vertebant emere, vel edere idolothyta, quæ in macello vendebantur, ut Apoſtolus hoc illos ſcrupulo liberaret, præcepit : *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes*, an ſit nec ne caro immolata. Ad 2. reſpondet Hieronymus *epiſt. ad Algaſiam*, Paulum loqui contra eos qui iudaicas cæremonias obſervare cupiebant. Idque ex contextu D. Pauli clare colligitur. Ad 3. quoque reſpondet Hieronymus *Lib. II.* adverſus Iovinianum, qui ante Calvinum, & Dallæum citatum textum oppoſuerat. *Reprobat quidem Apoſtolus* (ait Hieronymus) *eos qui prohibebant nuptias, & iubebant cibis abſtinere, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione; ſed & Marcionem deſignat, & Tatianum, & ceteros hæreticos, qui abſtinentiam inducunt perpetuam ad deſtruenda, & contemnenda, & abominanda opera Creatoris. Nos autem & creaturam omnem laudamus Dei, & maciem ſaginæ, abſtinentiam luxuriæ, ieiunia præferimus ſaturitati.* Eodem modo reſpondent Chryſoſtomus *hom.* XII. *in I. ad Timoth.* & Auguſtinus contra *Adimantum cap.* XIV. Ad 4. reſponſio ex ſe patet. Nam cibi natura ſua non coinquinant animam; eam vero inficiunt, quoties manducantur contra præceptum Domini, ut lapſus Adæ, & uxoris eius evincit.

VII. Obiiciunt 2. Lutherani, & Calviniſtæ, Eccleſiam catholicam prohibere carnes, alioſque cibos ieiuniorum tempore, quod natura ſua immundi ſint. Idque oſtendere conantur, quod iuxta Catholicos, carnes excitant pravas concupiſcentias, & luxuriam nutriunt. Hoc autem aſſerebant Tatiani, & Manichæi. Reſpondetur has eſſe puras putaſque hæreticorum calumnias. Cibi qui natura ſua immundi ſunt, ſemper tales ſunt. Idcirco Manichæi, & Tatiani, qui carnes, ut ſuapte natura immundas, reiiciebant, ſemper ab eis abſtinebant. Catholici autem, excepto tempore ieiuniorum, carnes manducant. Facto ergo evincunt, ſe eas non reſpuere ut immundas. Quod carnium eſus luxuriam, & concupiſcentiam provocet, adfirmant omnes Patres, experientia ſuffragante. Non ideo tamen immunda caro a Catholicis

Digitized by Google

licis dicitur: quia non idcirco a Deo creata fuit, ut concupiſcentias, & libidinem excitaret, ſed ut moderate ſumpta corpus reficeret. *Non ego immunditiam obſonii timeo, ſed immunditiam cupiditatis*, inquit Auguſtinus *Lib. X. Conf. cap.* xxxi. & ſexcentis in locis oſtendit, Catholicos non abſtinere a carnibus, quia immundis; ſed quia earumdem moderata privatio concupiſcentiam ſubigit, corpuſque ſpiritui facilius ſubmittit. Quapropter Eccleſia non ſolum immoderatum uſum carnium vetat (immoderatus enim omnium ciborum uſus iure naturali, & divino vetitus eſt) ſed certis diebus omnem carnium eſum interdicit, ut validius concupiſcentiæ petulantiam cohibeat.

VIII. Ultimo loco recenſenda, unaque refellenda eſt Launoii opinio. Is diſſertationem edidit *de veteri ciborum delectu in ieiuniis Chriſtianorum*, in qua ab hæreticis recedit, quod non damnet, ſed laudet abſtinentiam a carnibus ieiuniorum tempore; a communi autem Catholicorum ſententia diſſentit, quod pro Eccleſiarum varietate varium fuiſſe contendat ſervandi ieiunii ritum, etiam quod attinet ad ciborum delectum. Propugnat enim liberum & ſpontaneum fuiſſe carnium eſum. Plures Chriſtianos in ſuis ieiuniis carnes manducantes obtrudit, plurimos ab eiſdem abſtinentes memorat. In hac diſſertatione omnes modeſtiæ limites prætergreſſus, & caritatis chriſtianæ lege contempta, invehitur in Patrem Nicolai Doctorem Pariſienſem Ordinis Prædicatorum, quod in Pantheologia Rayneriana demonſtraverit, numquam in ieiunio, potiſſimum quadrageſimali, licitum fuiſſe carnium eſum. Quam ſuam, & Catholicorum communem ſententiam propugnavit, firmavitque, edito apologetico libello, ſeu oecumenica diſſertatione, adverſus laudatum Launoium, quem omni argumentorum genere ad incitas redegit, contrivitque, ut mea præfert opinio. Tria porro in præfata ſua diſſertatione opponit Launoius, quæ aliquantulum fuci facere imperitis poſſent; cetera omnia ſua levitate evaneſcunt. Primum quod opponit, eſt factum ſancti Spiridionis, quod narrat Sozomenus Lib. I. Hiſt. eccleſ. cap. xi. *Cum iam inſtaret Quadrageſima, ex itinere quidam forte ad eum venit illis diebus in quibus cum ſuis ieiunia peragere conſueverat, & ad ſtatutum diem cibum deguſtare, cum diebus interpoſitis ſine cibo omnino remanſiſſet. Cumque Spiridion videret hoſpitem valde de via feſſum, Age, inquit, o filia; primum viri huius pedes lava, deinde cibum ei appone. Ubi vero reſpondit virgo, neque panem in ædibus eſſe, neque polentam (ſupervacanea namque fuiſſet iſtarum rerum apparitio propter ieiunium) Spiridion, cum precibus Deum invocaſſet, veniamque petiviſſet, dedit mandatum filiæ, ut carnes ſuillas, quas forte tunc in ædibus habebat ſale conditas, coqueret: quibus coctis hoſpitem facit ſecum accumbere, deque carnibus appoſitis comedere cœpit; hortatur hoſpitem, ut ipſum imitetur: qui, cum illud facere recuſaret, diceretque ſe Chriſtianum eſſe: Hanc ob cauſſam (inquit Spiridion) minus recuſare deberes: nam omnia munda mundis ſa-*

cræ

cræ Scripturæ pronuntiant. Reſpondetur, ex hac hiſtoria penitus convelli Launoii opinionem. Hoſpes, conſpiciens inſtructam carnibus menſam, opponit ſe carnes manducare haud poſſe. Cur? Quod Chriſtianus ſit. Chriſtianis ergo carnium eſus ieiuniorum tempore vetitus erat: alioquin vana fuiſſet excuſatio. At Spiridion, precibus Deo oblatis, & venia, ſeu diſpenſatione poſtulata, hoſpitem, ut carnes manducet, hortatur, ſuoque provocat exemplo. Quoniam, neceſſitate cogente, obligare lex deſinit. Urgebat autem tum neceſſitas famis, qua premebatur hoſpes: cibi eſuriales deerant. Non ergo alia via potuit hoſpiti fame periclitanti ſuccurrere Spiridion quam carnium eſu. Prævalet autem præceptum vitæ conſervandæ debito abſtinendi a carnibus ieiunii tempore. Idcirco lumine cæleſti perfuſus Spiridion, & caritatis lege imbutus, carnes ipſe prius manducavit, ut fortius hoſpitem ad manducandum impelleret. Si abſtinentia libera fuiſſet, ut Launoius contendit, non conquiſiſſet primum Spiridion cibos quadrageſimales, panem ſcilicet, polentamve; ſed illico hoſpiti feſſo ex itinere meliores epulas paraſſet: neque hoſpes carnes comedere refugiſſet, chriſtiana profeſſione allegata. Manifeſte itaque conſequitur, ſolam neceſſitatem fuiſſe illius comeſtionis cauſſam. Quod vero inſtat Dallæus, potuiſſe Spiridionem in ſua civitate cibos quadrageſimales ab amicis poſtulare, inane eſt: tum quod Sozomenus non ait hoc in civitate contigiſſe. Unde hoc accidere potuit, dum Spiridion ruri habitabat, antequam ad Epiſcopatum eveheretur: tum quod famis tormentum remedii dilationem non patitur.

IX. Secundum momentum quod Launoius obtrudit, deſumptum eſt ex Epiphanio, qui in calce Librorum adverſus hæreſes varios ieiunandi ritus deſcribit, ubi hæc habet num. 22. *Quadrageſimam obſervare, atque in ieiuniis perſeverare conſuevit Eccleſia. Dominicis vero nullis omnino, adeoque nec ipſius Quadrageſimæ quidem, ieiunare ſolent. Præterea ſex illos Paſchatis dies xerophagiis, hoc eſt arido victu, tranſigere populus omnis aſſuevit, hoc eſt panem dumtaxat cum ſale, & aqua poſt veſperam adhibere*. Deinde *num*. 23. hæc alia ſubdit. *Sunt & alia in Eccleſia catholica inſtituta vivendi præſtantia; nimirum quod alii carnibus prorſus abſtineant, tam quadrupedum, & avium, quam piſcium, nec non ovis, & caſeo. Tum ſunt alia vitæ genera, propter quod unuſquiſque ſecundum ſuum laborem mercedem accipiet. Igitur ſunt qui omnibus illis abſtinent; alii quadrupedibus dumtaxat, ſed avibus, ac ceteris veſcuntur. Alii etiam ab avibus temperant, ova, & piſces adhibent. Alii etiam ova repudiant. Sunt qui ſolos piſces retineant, quibus nonnulli etiam abſtinent, qui tamen caſeum ſibi permittunt. Alii vero caſeo non utuntur. Præterea quidam a pane abſtinent; quidam ab arborum fructibus, & coctis omnibus*. Reſpondetur, ex hoc Epiphanii teſtimonio nihil omnino in ſubſidium ſuæ opinionis colligere poſſe Launoium. Nam Epiphanius *num*. 22. loquitur de Quadrageſima, rationemque ieiunii quod ſex diebus antepaſchalibus obſervabatur, deſcri-

ſcribit, aiens, conſueviſſe populum ſex illos dies tranſigere xerophagiis, hoc eſt pane, & aqua. Deinde *num.* 23. ubi varios ieiuniorum ritus recenſet, non de ieiuniis ab Eccleſia præſcriptis loquitur, ſed de ieiuniis quæ fideles ex arbitrio, ſuaque devotione peculiari obſervanda ſibi eligebant. Qua de cauſſa inquit Epiphanius: *Sunt & alia in Eccleſia catholica inſtituta vivendi præſtantia*, ideſt omnino libera, non præcepta. Nonne, ſi etiam nunc omnes ritus ieiuniorum percenſeremus, quæ fideles obſervant ex ſuo arbitrio, proferre poſſemus alios qui panem, & aquam ſumunt, alios qui lacticinia manducant, alios qui a carnibus abſtinent, ſed carnium iuſcula ſumunt? Si plura hac de re cupis, conſule P. Nicolaium, fuſius hunc Epiphanii textum explicantem.

X. Poſtremum obiicit Launoius teſtimonium Socratis, qui *Lib. V. hiſt. cap.* XXII. inquit: *Quin etiam non de numero dierum ſolum diſcrepant, verum etiam de abſtinentia a cibis variam ſequuntur rationem. Nam alii omnino ab omni animantium genere abſtinent; alii inter animantia piſces ſolos comedunt; alii cum piſcibus volucres etiam manducant; eaſque ex aqua, ut apud Moyſen, naſci aſſerunt; alii a fructibus duris integumentis involutis, & ab ovis temperant; alii arido pane ſolo veſcuntur; alii ne illo quidem. Sunt qui, cum ad horam nonam ieiunaverint, variis ciborum generibus utuntur. Alia ratione apud alias gentes ieiunatur. Cuius rei ſunt cauſæ prope infinitæ. At quoniam nemo de ea præceptum, litterarum monumentis proditum, poteſt oſtendere, perſpicuum eſt, Apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cuiuſque menti, & arbitrio permiſiſſe, ut quiſque nec metu, nec neceſſitate inductus, quod bonum ſit, ageret. Hanc diſparem rationem ieiuniorum in Eccleſiis eſſe cognoſcimus.* Mirum ſane eſt potuiſſe Launoium hoc Socratis teſtimonium obtrudere, quod Dallæus, ceterique recentes hæretici obiiciunt, ut oſtendant, nullum fuiſſe in Eccleſia præceptum ieiunandi, vel abſtinendi a certo ciborum genere. Idque magis mirandum, quod Launoius nil ex hiſtoria ſuſcipiat, niſi ſevero criterio cribratum; Socratis vero fabulas clauſis oculis deglutiat. Non eſt quod omnes impoſturas, & commenta quæ citato capite Socrates narrat, expendam. Nec enim aut Launoius, aut Lutherani, & Calviniſtæ omnia admittunt quæ ibi Socrates habet; ſed plura & ipſi, tamquam ſibi contraria, reſpuere debent. Mihi vero ſatis ſit reſpondere, Socratem ſuiſſe hæreſibus Novatiani, & Aerii infectum, Catholiciſque ſummopere infenſum; nullam proinde mereri fidem in iis quæ de Catholicis enarrat. Nonne mendacii revincitur apertiſſime, quod aſſerat, Romanos tres tantum hebdomadas ante Paſcha ieiunaſſe, & ſabbato, non ſecus ac dominico die, ieiunium non ſervaſſe? Præterquamquod non Eccleſiæ catholicæ, ſed hæreticorum ieiunia eorumque diverſitatem recenſere Socratem ſi dixerimus, nil ſane opponere Launoius poterit.

CAPUT III.

Lege naturali, & divina ieiunium abſolute acceptum præſcribitur. Eccleſia & tempora quibus ieiunandum ſit, deſignat, & ieiunia peculiaria præcipit.

I. NEgant Lutherani, & Calviniſtæ, tum divina lege ieiunium præſcriptum fuiſſe; tum Eccleſiam poſſe illud lege obligante in conſcientia fidelibus præcipere: idque docet potiſſimum Dallæus in ſuo de ieiunio libro. Iam ſupra capite primo oſtenſum eſt, lege divina Deum in ſua Scriptura ieiunium præcepiſſe: nec vacat in re apertiſſima diutius immorari. Quod porro ipſius naturæ iure ieiunium generatim acceptum iubeatur, comperta res eſt. Hoc evincit Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 3. evidenti argumentatione. Siquidem ratio naturalis præſcribit, unumquemque eo quo indiget remedio uti. Ieiunium porro remedium eſt ad plures fines ſpirituales aſſequendos apprime utile, immo & neceſſarium. Ieiunium enim corpus cruciat, concupiſcentiam cohibet, ac rebellionem appetituum ſedat, ſuppetiaſque adfert plurimas, ut animus ad cæleſtium meditationem facilius aſſurgat. Merito ergo concludit Angelicus loco laudato. *Unuſquiſque ex naturali ratione tenetur tantum ieiuniis uti, quantum ſibi neceſſarium eſt ad prædicta. Et ideo ieiunium in communi cadit ſub præcepto legis naturæ. Sed determinatio temporis, & modi ieiunandi ſecundum convenientiam, & utilitatem populi chriſtiani cadit ſub præcepto iuris poſitivi, quod eſt a Prælatis Eccleſiæ inſtitutum: & hoc eſt ieiunium Eccleſiæ; aliud vero eſt naturæ.* Hæc omnia confirmat Auguſtinus de utilitate ieiunii *cap.* III. exemplo equi indomiti, & calcitroſi, cui pabulum ſubtrahis, ut ipſum coerceas. *Si iumento forti inſideres, ſi equo utereris, qui te geſtiendo poſſet præcipitare, nonne, ut ſecurus iter ageres, cibaria ferenti ſubtraheres, & fame domares, quem freno non poſſes? Caro mea iumentum meum eſt: iter ago in Hieruſalem: plerumque me rapit, & de via conatur excutere. Via autem mea Chriſtus eſt: ita exultantem non cohibebo ieiunio?* Quiſque ergo plus minuſve pro morborum diverſitate, ieiunii medicinam, ſumere debet.

II. Hoc ieiunium, quod generice & abſolute ſumptum, ſub naturæ lege comprehenditur, ſuis legibus præcipit Eccleſia, & ſtata tempora, quibus ieiunandum ſit, deſignat. Quod porro Eccleſia recte, & iure id præcipere valeat, patet in primis exemplo Synagogæ, quæ Iudæis ieiunia imponebat, ut conſtat tum ex Hieremiæ *cap.* XXXV. tum ex Libro Eſther *cap.* IX. tum ex Zacharia *cap.* VIII. & de-

& denique ex Evangeliſta Luca *cap.* x. ubi inquit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit*. Idque confirmat Paulus Epiſtola ad Romanos cap. XIII. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: quod non minus de eccleſiaſtica quam de ſæculari poteſtate eſt intelligendum. Ait enim idem Apoſtolus Epiſt. ad Hebræos cap. XIII. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*. Ad Præpoſitos autem eccleſiaſticos potiſſimum ſpectat rationem Deo pro animabus illis ſubiectis reddere. Illis ergo obedire præcipue fideles debent. Hæc omnia roborantur auctoritate veterum Conciliorum. Canon ſexageſimus octavus Apoſtolorum iubet, Clericum deponi, & laicum excommunicationis pœna multari, ſi ieiunium quadrageſimale violaverint. Eamdem pœnam in tranſgreſſores ieiunii ſtatuit Concilium Gangrenſe, ut plura alia omittam. His accedunt Patrum teſtimonia. Tertullianus *Lib. I. de ieiunio* inquit: *Bene quod & Epiſcopi univerſæ plebi mandare ieiunia aſſolent*. S. Baſilius oratione ſecunda de ieiunio ait: *Omnes æqualiter & præceptum audiunt, & cum gaudio ſuſcipiunt. Angeli ſunt qui per ſingulas Eccleſias ieiunantes deſcribunt. Vide, ne propter eduliorum parvam voluptatem damnum incurras*. S. Ambroſius ſerm. XXXIV. *Quiſquis Chriſtianus ieiunando non impleverit Quadrageſimam, prævaricationis, & contumaciæ reus tenebitur*. S. Hieronymus epiſtola ad Marcellam adverſus errores Montani hæc habet: *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum tempore nobis congruo, ieiunamus*. S. Auguſtinus *ſerm.* LXII. de tempore inquit: *Aliis diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium. In Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſt*. Denique ratio ipſa, quæ dicta ſunt, confirmat. Nam Prælati Eccleſiæ non minus ac Principes ſæculares poteſtate condendi leges, quæ ſubditorum bonum promoveant, inſtructi ſunt, ut alibi fuſius demonſtratum eſt. Porro quæcumque lex, præſcribens aliquem actum, efficit ut talis actus, qui alioquin liber erat, evadat neceſſarius. Cum itaque Eccleſia præcipit abſtinere a certis cibis, & ieiunare certis diebus, reddit actus abſtinentiæ neceſſarios. Ex quo conſequitur, adverſus præceptum Eccleſiæ peccare eos qui indicta ieiunia ab Eccleſia tranſgrediuntur.

III. Obiiciunt Aeriani, Ioviniawiſtæ, Beguardi, Lutherani, & Calviniſtæ, ieiunia noſtra eſſe libera, a carnibus abſtinentiam ſuperſtitionem ſapere; præcepta vero quibus a cibis abſtinentia, & ieiunia imperantur, tyrannidem redolere. Lutherus contra Ambroſium Catharinum ciborum delectum octavam Antichriſti faciem appellat. *Octava Antichriſti facies eſt delectus ille ciborum, & ieiuniorum, quæ libera per omnes dies ſunt*. Eadem ſcribit Calvinus Lib. IV. Inſt. cap. XII. §. 21. *Latæ ſunt impiæ leges, quæ conſcientias exitialibus vinculis ſtringunt. Interdictus eſt carnium eſus, quaſi hominem contaminaret*. Omnes denique Lutherani, & Calviniſtæ clamant, obſervantiam ieiuniorum ad iugum pertinere legis Mo-

Moſaicæ, qua Chriſtus nos liberavit. Auferenda ergo eſt omnis obligatio ieiunandi.

IV. His hæreticorum commentis reſpondet Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. cxlvii. art. 3. ad 3. *Ieiunia quæ ſunt in præcepto, ſunt in Conciliis Epiſcoporum ſtatuta, & conſuetudine univerſalis Eccleſiæ roborata. Nec ſunt contra libertatem populi fidelis; ſed magis ſunt utilia ad impediendum ſervitutem peccati, quæ repugnat libertati ſpirituali.* A carnibus abſtinebant Marcionitæ, & Tatiani diſcipuli in odium Creatoris. Manichæi carnes reſpuebant, quod ſuapte natura immundas reputarent. Catholici omnia Creatoris opera venerantur, & cuncta ab eo condita bona eſſe confitentur. A carnibus itaque abſtinent, non quod immundas eas ſua natura eſſe credant, vel iudicent; ſed ut abſtinentiæ, ſeu temperantiæ virtutem exerceant, ut rebellem concupiſcentiam cohibeant, utque carne caſtigata, humiliatoque corpore, expeditiores ſint ad peragenda divina. Nec in perpetuum, ut Judæi, a certis temperant cibis; ſed ſtato tempore. Hæc omnia explicat Auguſtinus Lib. de mor. Eccleſ. cath. cap. xxxiii. *Multi neque veſcuntur carnibus, neque tamen eas immundas ſuperſtitioſe putant. Itaque iidem ipſi qui ſani ſe temperant, ſi ratio valetudinis cogat, ægroti ſine ulla formidine accipiunt. Multi vinum non bibunt; nec tamen eo ſe coinquinari arbitrantur: nam & quibuſdam languidioribus, & prorſus omnibus qui ſine illo nequeunt ſalutem corporis obtinere, humaniſſime, ac modeſtiſſime præberi faciunt. Et ſtulte nonnullos recuſantes fraterne admonent, ne vana ſuperſtitione debiliores citius quam ſanctiores fiant.*

CAPUT IV.

Ieiunium eccleſiaſticum eſt actus virtutis. Inſuper opus ſatisfactorium eſt, & meritorium, ſi neceſſariis conditionibus præditum ſit.

I. NON eſt facile dictu, in quot contrarias opiniones diſtrahantur hæretici tum recentes, tum antiqui, dum de utilitate, fructu, cultu, & merito ieiunii ſermonem inſtituunt. Iovinianiſtæ nihil prodeſſe ieiunium effutiebant, teſte Auguſtino Libro de hæreſibus hær. lxxxii. *Hic* (Iovinianus) *omnia peccata, ſicut Stoici Philoſophi, paria eſſe dicebat, nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto, nec aliquid prodeſſe ieiunia, vel a cibis aliquibus abſtinentiam.* Idem docuerunt Beguardi. Lutherus non negat utile eſſe ieiunium ad macerandam carnem; meritorium autem eſſe minime concedit in reſponſione ad Ambroſium Catharinum. *Hodie ſi ieiunatur, non ut caro mortificetur; ſed quia bonum ſit hoc die ieiunaſſe, iſto, vel iſto cibo abſtinuiſſe, quo cælum mereantur:* *quid*

quid autem hoc aliud quam impia facies Antichriſti? Lutherus, cui, ipſo teſte, cum dæmone neceſſitudo erat, ubique eiuſdem prodit imaginem, faciemque obtrudit. Calvinus *Lib. IV. inſtitut. cap.* XII. *§.* 14. plura invicem pugnantia profert: modo ieiunium liberum, modo neceſſarium, modo ſanctum, modo ſuperſtitioſum prædicat. *De ieiunio ergo* (inquit loco citato) *dicamus non nihil: quia plurimi dum non intelligunt quid utilitatis habeat, non adeo neceſſarium eſſe iudicant; alii etiam ut ſupervacuum prorſus, reiiciunt: &, uſu eius non bene cognito, facilis eſt in ſuperſtitionem lapſus.* Deinde *§.* 15. perſequitur fines in quos legitimum ieiunium refertur, enarrare. *Sanctum, & legitimum* (inquit) *ieiunium tres habet fines. Eo enim utimur vel ad macerandam, & ſubigendam carnem, ne laſciviat, vel ut ad preces, ac ſanctas meditationes melius ſimus comparati, vel ut teſtimonium ſit noſtræ coram Deo humiliationis, dum volumus reatum noſtrum coram ipſo confiteri.* In hoc itaque Lutherani, & Calviniſtæ conveniunt, quod ieiunium abſolute ſpectatum ad affligendam carnem, animumque ad preces diſponendum, utile, quin & neceſſarium iudicant. Sanctum etiam vocant, ut Calvinus, ſi ad præfatos fines dirigatur. Cum vero de Catholicorum loquuntur ieiunio, illud ſuperſtitionis labe reſperſum traducunt; quamquam eo ſpectet, ut carnem, & concupiſcentiam ſubigat, ut ſpiritui corpus ſubiiciat, ut cordis contriti, & humiliati argumentum Deo exhibeat.

II. Ut autem hæreticos, qui noſtra ieiunia traducere tamquam ſuperſtitioſa audent, retundamus, id quod de ieiunio Catholici docent, ediſſeramus oportet. Ieiunium abſolute, & per ſe ſumptum res media eſt. In hac acceptione nec vitium, nec virtus eſt. Imponunt ergo nobis Calviniſtæ, Lutheranique, dum ſcribunt, nos docere, ieiunium opus eſſe ſuapte natura, & ex opere operato, ut dicitur, meritorium, ac ſatisfactorium. Vitium enim, nobis fatentibus, ſapit ieiunium, ſi in malum finem referatur; ut ſi quis ieiunet, ut e vita decedat, vel avaritiæ ſtudeat: virtutem vero redolet, ſi deliberato animo eligatur ad carnis petulantiam comprimendam, ac in bonum dirigatur finem. Media res eſt, quando a bono, & malo fine præſcindit; ut cum quis abſtinet, quia quod comedat, aut bibat, non habet. Dicimus ergo, ieiunium eſſe actum virtutis, cum ad finem honeſtum refertur. Ad virtutem abſtinentiæ, & temperantiæ pertinet, cum delectationibus cibi, potuſque modum præſcribit. Qui ieiunat, ut Eccleſiæ obediat, obedientiæ actum exequitur; qui ieiunium ſervat, ut melius oret, religionis officium exercet: &, cum ad aliarum virtutum fines ieiunium refertur a ieiunante, ad eaſdem quoque pertinet; proprie tamen eſt actus abſtinentiæ. Audiamus Angelicum, qui ante ortum Lutheranorum, & Calviniſtarum, doctrinam Catholicorum de ieiunio expoſuit 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 1. his verbis. *Reſpondeo dicendum, quod ex hoc aliquis actus eſt virtuoſus quod per rationem ordinatur ad*

aliquod bonum honeſtum . Hoc autem convenit ieiunio . Aſſumitur enim principaliter ad tria . Primo quidem ad concupiſcentias carnis reprimendas . . . . Secundo aſſumitur ad hoc quod mens liberius elevetur ad ſublimia contemplanda . . . Tertio ad ſatisfaciendum pro peccatis , Unde Ioel. II. *dicitur : Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio* &c. Ieiunium autem quod Eccleſia præcipit, in hos fines refertur : & idcirco aſſerimus , ieiunium , quatenus eccleſiaſticum , nempe ſuis conditionibus præditum, opus eſſe, non medium, ſed reipſa bonum; niſi ieiunantis malitia in pravum finem detorqueatur.

III. Ad meritum, & ſatisfactionem quod attinet , certum in primis eſt , ieiunium mereri, ſeu impetrare bona temporalia . Siquidem Achabo ieiunanti mala ei comminata Deus inferre deſtitit . *Ieiunavitque , & dormivit in ſacco . . . Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius* : Lib. III. Reg. cap. XXI. Idem patet ex Lib. I. Eſdræ cap. VIII. *Ieiunavimus autem, & rogavimus Deum noſtrum pro hoc : & evenit nobis proſpere .* Ninivitæ triduano ieiunio ſuæ civitatis ſubverſionem evitarunt . Hoc enim ieiunium indixit Iona Propheta : *Homines , & iumenta , & boves , & pecora non guſtent quicquam , nec paſcantur , & aquam non bibant .* Quid autem accidit ? *Et vidit Dominus opera eorum , quia converſi ſunt de via ſua mala , & miſertus eſt Deus ſuper malitiam .* Quid plura ? Virtute ieiunii dæmones e corporibus pelluntur, ut habetur Matth. XVII. *Hoc autem genus non eiicitur niſi per orationem, & ieiunium.* Unde infert Athanaſius Libro de virginitate : *Vide ergo quid faciat ieiunium , morbos ſanat , diſtillationes exſiccat , dæmones fugat . Sed, ne putes iſta temere dici, habes eius rei teſtimonium in Evangeliis . . . Sciſcitati ſunt ab eo diſcipuli dicentes : Domine , declara nobis quonam pacto immundi ſpiritus propellantur ? Quibus reſponſum eſt a Domino :* Hoc genus dæmoniorum non eiicitur , niſi ieiuniis, & oratione . *Quiſquis igitur ab hoc immundo ſpiritu vexatur , certum habere debet hoc pharmaco , ieiunio inquam, ſtatim ſpiritus malos afflictos abſcedere.*

IV. Neque ieiunii vis in impetratione ſiſtit temporalium bonorum ; ſed & ad aſſequenda ſpiritualia, atque cæleſtia dona plurimum valet. Quod expreſſa Evangelii auctoritate probatur. *Cum ieiunatis* (dicitur Matth. VI.) *nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes : exterminant enim facies ſuas , ut appareant hominibus ieiunantes . Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam .* Forma deinde exhibetur illius ieiunii quo quis poſſit a Deo mercedem recipere , dum ſubditur : *Tu autem , cum ieiunas , unge caput tuum , & faciem tuam lava , ne videaris hominibus ieiunans , ſed Patri tuo , qui eſt in abſcondito : & Pater tuus , qui videt in abſcondito , reddet tibi.* Ut itaque ſupernaturalia præmia ieiunia noſtra aſſequantur, non ob alium finem ea peragere debemus quam ut Deo placeamus; atque in ipſum Deum, ceu ultimum finem, caritatis amore referantur oportet.

V. Po-

Digitized by Google

V. Poſtremo ieiunium opus eſt ſatisfactorium pro peccatis noſtris, nobis Deum propitium, & placabilem reddens: quod pariter ex ipſa Scriptura evincitur. Nam Propheta Ioel inter opera pœnitentiæ quæ populo pro peccatis imponit, ieiunium præcipit. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu . . . Canite tuba in Sion, ſanctificate ieiunium.* Anne poſt cordis contritionem in peccatorum converſione ieiunium recenſuiſſet Propheta Ioel, niſi Deo gratum foret, plurimumque ad ſatisfaciendum pro peccatis valeret? Nonne David, ut penſum aliquod Deo ſolveret pro ſuis criminibus, illumque placaret, ieiuniis humiliabat animam ſuam? Pſalm. XXXIV. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Nonne ieiunantes filii Iſrael cum Samuele Dei vindictam a ſe averterunt? *I. Reg.* VII. Nonne Achabus impius Dei furorem ob vineam Naboth raptam, ſuccenſum delinivit, cum ſacco, & cilicio indutus ieiunavit? *III. Reg.* XXI. Idem præſtiterunt Ninivitæ tempore Ionæ: idem Iudæi tempore Eſther: idemque ex innumeris tum veteris, tum novi teſtamenti locis conſtat.

VI. Quæ dicta ſunt, Patrum auctoritate confirmantur. Tertullianus Libro de eiunio ait: *Omnium erga victus macerationem hæc eſt ratio, qua rurſum interdicto cibo, & obſervato præcepto primordiale iam delictum expiaretur, ut homo per eamdem materiam cauſæ Dei ſatisfaciat, per quam offenderat.* S. Cyprianus ferm. de lapſis ſub finem inquit: *Iram, & offenſam eius ieiuniis, fletibus, planctibus, ſicut monet ipſe, placemus.* S. Baſilius *orat.* I. *de ieiunio* hæc habet: *In morbum incidimus per peccatum, ſanemur per pænitentiam: ſed pænitentia ſine ieiunio otioſa, & infructifera eſt: per ieiunium ſatisfacito Deo.* Neque ſolam ſatisfaciendi, ſed & merendi vim indiſcriminatim Patres ieiunio adiudicant.

VII. Sanctus Auguſtinus *ferm.* lxv. *de temp. edit. Lov.* qui eſt ſecundus *dom.* I. *Quadrag.* hæc ſcribit. *Quantum ſit ergo bonum ieiunii, brevi ſermone, exemplis additis, diſſeramus. Moyſes primus, quadraginta diebus, ac noctibus cum ieiunaſſet, legem Domini accipere meruit, per quam populis imperaret. Impetraverunt unius hominis ieiunia quod totius populi ſaturitas deſperaverat. Advertamus ergo quanta ſit inter ieiunium & ſaturitatem diſtantia, inter ventrem vacuum, & pulmones epulis æſtuantes. Moyſes ergo, qui ieiunavit, Deum vidit; populus, quia manducavit, & bibit, idola fabricatus eſt. Sed quid de Moyſe, & Iſraelitica multitudine loquar? Princeps ille humani generis Adam quamdiu ieiunavit ſervans mandatum, in paradiſo fuit; ubi vero comedit, eiectus eſt de paradiſo. Et, qui in paradiſo Dei virgo fuerat, eiectus de paradiſo cognovit uxorem. Semper enim iuncta eſt ſaturitati laſcivia. Vicina ſibi ſunt venter, & genitalia; & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de paradiſo cibus, reducat eſuries, reducat ieiunium. Diximus ergo quid ſanctus Moyſes meruit ieiunando;*

I ij *dein-*

deinde & cuncta videamus. Sancto Eliæ ieiunanti etiam elementa famulata ſunt. Hic denique tribus annis, & ſex menſibus cælum clauſit .... Videte quanta ſit Dei clementia erga ieiunantes .... Videte quanta ſit ieiuniorum virtus, ut id facere ieiunia valeant quod Apoſtoli nequiverant. Sanctus Leo *ſerm.* I. de ieiunio ſeptimi menſis inquit: *Ut per humilitatem ieiunii contra omnes hoſtes noſtros divinum mereamur auxilium.* Sanctus Ioannes Chryſoſtomus *ſerm.* I. de ieiunio ait: *Ieiuna, quia peccaſti; ieiuna, ut non pecces; ieiuna, ut accipias; ieiuna, ut permaneant quæ accepiſti.* Sanctus Ambroſius *epiſt.* lxxxII. ad Eccleſiam Vercellenſem inquit: *Qui ſunt hi præceptores novi, qui meritum excludunt ieiunii?* Innumeros alios Patres brevitatis gratia omitto.

VIII. Reſpondent uno ore Lutherani, & Calviniſtæ, Patres antiquos rhetoricis exaggerationibus longius quam par fuerat, provectos eſſe, & a veritate diſceſſiſſe, cum de ieiuniis locuti fuerunt. Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* XII. *§.* 19. expreſſe ſcribit, Patres ſemina ſuperſtitionis ieciſſe in ſuis ieiuniorum encomiis. En illius verba. *Qua in parte non in totum excuſare audeo veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina iecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt. Occurrunt quidem interdum ſanæ, & prudentes de ieiunio ſententiæ; ſed poſtea occurrunt ſubinde immodicæ ieiunii laudes, quæ ipſum inter præcipuas virtutes extollunt.* Quis ferat iſtorum hominum audaciam? Anne omnes Patres rhetorica amplificatione ſuperſtitioſum ritum docent? Anne omnes a veritatis ſemita aberrarunt? Plus ne auctoritatis uni Calvino quam omnibus Patribus tribuendum erit? Quid veriſimilius eſt, Patres Apoſtolis proximos, an Lutheranos, & Calviniſtas a veritate exorbitaſſe? Sed quid diutius immoror in tam vanis commentis profligandis?

IX. Obiiciunt plura ſacræ Scripturæ teſtimonia, quibus probare contendunt, ieiunia non eſſe Deo grata. Iſaias enim ait cap. lvIII. *Nonne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis* &c. Et Hieremias *cap.* XIV. inquit: *Cum ieiunaverint, non exaudiam preces eorum.* Similia habentur *Zach. cap.* VII. aliiſque in locis ſacrorum Librorum. Reſpondetur, ſolos hæreticos, quorum proprium eſt meridianæ luci tenebras offundere, & omnia carpere, poſſe eiuſmodi textus opponere. Nam manifeſtum eſt, locis laudatis improbari ieiunia illorum qui pravo corde machinantur malum, qui, dum corpora ieiuniis comprimunt, animam ſceleribus contaminant. *Ecce* (inquit Iſaias loc. cit.) *in die ieiunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis: ecce ad contentiones, & lites ieiunatis, & percutitis pugno impie.* Nonne Deus ſæpiſſime ſacrificia, holocautomata, calendas, & feſta Iudæorum ſe odio habere teſtatur? Anne inde inferendum, ſacrificia ad cultum divinum minime pertinere, vel meritoria non eſſe? Ieiunia itaque, & ſacrificia, aliaque opera ſuapte natura ſancta,

ſta, quæ offeruntur ab impiis, quæve animo iniquo profanantur, & inquinantur, Deus execratur; ſecus ſacrificia, & ieiunia quæ pii fideles corde contrito, & animo humili illi offerunt. Sæpius iam dictum fuit, tum ieiunia noſtra merito digna eſſe, cum in Deum pio & puro corde referuntur. Quæ ex Patribus opponunt, nullius ſunt momenti. Docent enim Patres, a vitiis abſtinentiam optimum eſſe ieiunium, quod Catholici omnes fatentur. Ut autem facilius coercere homines poſſint ſenſus ſuos, & peccata vitare, ieiunia ſuadentur, & ſtatis temporibus ab Eccleſia imperantur: quoniam ad id aſſequendum apta ſunt inſtrumenta.

CAPUT V.

De ieiunio Quadrageſimæ: de illius varietate, & de cauſſis inſtitutionis eiuſdem.

I. SAcrum quadrageſimale ieiunium, tamquam ſuperſtitioſum inventum, improbat Calvinus Lib. IV. Inſtit. cap. XII. ſ. 20. *Et tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa Quadrageſimæ obſervatio: quia & vulgus eximium aliquod obſequium Deo ſe in ea præſtare exiſtimabat; & Paſtores eam commendabant pro ſancta Chriſti imitatione, cum planum ſit non ideo ieiunaſſe Chriſtum, ut aliis exemplum præberet .... Mirum eſt tam craſſam hallucinationem hominibus acuti iudicii obrepere potuiſſe*. Calvino accedunt omnes Lutherani, & Calviniſtæ, qui, quemadmodum cælibatum, ita & ieiunia de medio ſuſtulerunt. Quia, inquit Auguſtinus, *venter, & genitalia ſibi vicina ſunt*. Quapropter qui veneri indulget, ventrem repleat oportet: quia, ſubdit idem S. Doctor, *pro membrorum ordine ordo quoque vitiorum* exiſtit. Sed ad rem.

II. Eccleſia catholica docet, ieiunium quadrageſimale ab ipſis Apoſtolis inſtitutum fuiſſe, & non interciſa temporum ſerie a fidelibus obſervatum ſemper eſſe. Quod evincitur in primis celebri illo divi Auguſtini teſtimonio *Lib. IV.* adverſus Donatiſtas cap. XXIV. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate apoſtolica traditum rectiſſime creditur*. Inſtitutio autem ieiunii quadrageſimalis neque in Scripturis, neque in Conciliis primum facta legitur. Illius ergo origo ab Apoſtolis ipſis repetenda eſt. Primum generale Concilium in Eccleſia celebratum, fuit Nicænum I. Hoc autem Concilium ieiunii quadrageſimalis, tamquam priori tempore inſtituti, meminit can. V. *Concilia vero celebrentur, unum quidem ante Quadrageſimam Paſchæ, ut, omni diſſenſione ſublata, munus offeratur Deo puriſſimum. Secundum vero circa tempus autumni*. Quod confirmatur ex iis quæ de controverſia celebrandi Paſcha-

iis, ſub Victore Papa, & Alexandro Severo exorta, narrat Euſebius Hiſt. Lib. V. cap. XXIII. *Omnes per Aſiam Eccleſiæ, vetuſta quadam traditione nixæ, quarta decima luna ſalutaris Paſchæ feſtum diem celebrandum eſſe cenſebant . . . Cum tamen reliquæ totius orbis Eccleſiæ alio more uterentur, qui ex Apoſtolorum traditione profectus etiamnum ſervatur, ut ſcilicet non alio quam reſurrectionis dominicæ die, ieiunia ſolvi liceat.* Hoc ipſum colligitur ex Epiſtola Imperatoris Conſtantini Magni data Eccleſiis, quam refert Euſebius Lib. III. de Vita Conſt. cap. XVIII. edit. Val. *Conſideret, quaſo* (inquit) *veſtræ ſanctitatis ſolertia, quam grave ſit, & indecorum iiſdem diebus alios quidem ieiuniis intentos eſſe, alios vero convivia celebrare; & poſt dies Paſchæ, alios quidem in feſtivitatibus, & animorum remiſſione verſari, alios vero definitis vacare ieiuniis.* Prævivit ergo Nicæno Concilio ieiunii quadrageſimalis inſtitutio. Concilia, Nicæno proxima, ieiunii item Quadrageſimæ meminerunt. Gangrenſe celebratum anno 324. *can.* XIX. anathematis pœnæ eos ſubiicit qui ſub ſpecie ſanctioris vitæ ieiunia Eccleſiæ communia ſolvunt. *Si quis eorum qui continentiæ ſtudent, abſque neceſſitate corporea, tradita in commune ieiunia, & ab Eccleſia cuſtodita, ſuperbiendo diſſolvit, ſtimulo ſuæ cogitationis impulſus; anathema ſit.* Concilium vero Laodicenſe anno 364. plures canones edidit pro obſervantia ieiunii Quadrageſimæ. *Can.* XLIX. ait: *Non oportet in Quadrageſima panem offerri, niſi ſabbato, & ſolis dominicis:* & can. LII. *Non oportet in Quadrageſima nuptias, vel natalitia celebrare.* Poſteriorum Conciliorum textus recenſere non vacat, quoniam pervii ſunt.

III. Veteres Patres, tum Græci, tum Latini, nemine excepto, Quadrageſimæ mentionem fecerunt. Quare ſuperfluum eſt ſingillatim eorum teſtimonia recenſere. Unum vel alterum proferre ſufficiat. Origenes viris apoſtolicis proximus hom. X. in Lev. *Nec hoc*, inquit, *ideo dicimus, ut abſtinentiæ chriſtianæ frena laxemus. Habemus enim Quadrageſimæ dies ieiunio conſecratos.* Athanaſius epiſtola ad Orthodoxos ait: *Vidiſſes Presbyteros, & laicos in ius trahi, virgines a cœtu ſuo divulſas ad tribunal Cæſaris raptari, & in carcerem coniici: alios fiſco addici, alios flagellis cædi, panes ſacrificiorum miniſtris, & virginibus interdici. Hæc autem ſub Paſcha in ſacra Quadrageſima acta ſunt, per quod tempus ieiuniis dediti erant.* Quinimmo plures ex Patribus docent, ab ipſo Domino indictum fuiſſe Quadrageſimæ ieiunium, ſin verbo, exemplo ſaltem; atque Apoſtolos ex Spiritus ſancti peculiari inſpiratione illud inſtituiſſe.

IV. Obiiciunt auctoritatem Caſſiani, qui *collat.* XXI. *cap.* XXX. hæc habet. *Sciendum ſane, hanc obſervantiam Quadrageſimæ, quamdiu Eccleſiæ illius primitivæ perfectio inviolata permanſit, penitus non fuiſſe. Non enim præcepti huius neceſſitate, nec quaſi legali ſanctione conſtricti, arctiſſimis ieiuniorum terminis claudebantur qui totum anni ſpatium æquali ieiunio concludebant* &c. Reſpondetur primum, hanc Caſſiani nar-

narrationem evertere opiniones Lutheranorum, & Calviniſtarum. Quandoquidem, non modo quadraginta dies, ſed totum annum, Caſſiano teſte, ieiunabant primi Chriſtiani. Favet ne Caſſianus Lutheranis, qui vel ipſa Quadrageſima ieiunandum pernegant? Secundo dicimus, ſalvo obſequio quod Caſſiano viro contemplationi addicto debetur, falſum eſſe primos Chriſtianos per totum annum ieiunaſſe: ex nullo ſiquidem antiquitatis monumento id colligi poteſt. Oppoſitum aperte docent omnes Patres. Tandem Caſſianus aſſerit, omnium Sacerdotum conſenſu legem ſervandi ieiunium conditam fuiſſe: *Id tunc univerſis Sacerdotibus placuit ut homines . . . ad opus ſanctum canonica ieiuniorum indictione revocarent, & veluti legalium decimarum neceſſitate compellerent*. Ex Caſſiano itaque habetur, primos Chriſtianos, qui divino amore flagrabant, libera electione ieiunaſſe; deferveſcente vero caritatis ardore, temporis tractu, ex imperio omnium Sacerdotum quadrageſimale ieiunium obſervaſſe poſteriorum ſæculorum fideles. Quid autem hinc colligere Reformati valeant ad fovendam ſuam intemperantiam, ventriſque ſtudium, ſane non video.

V. Ad varietatem Quadrageſimæ quod ſpectat, priuſquam diverſam Catholicorum conſuetudinem patefacio, oſtendam fas eſt diſcrimen quod Catholicos inter & hæreticos in quadrageſimalis ieiunii obſervantia intercedebat. Non modo Catholici vel ipſis primis Eccleſiæ ſæculis, ſed & hæreticorum plures, quadrageſimalia ieiunia obſervabant. Montaniſtæ ſingulis annis tribus Quadrageſimis corpora ſua macerabant, illuſionibus Montani decepti. Catholici autem apoſtolica traditione inſtructi unam ieiunabant Quadrageſimam, ut teſtatur Hieronymus epiſtola ad Marcellam: *Nos unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi* [Montaniſtæ] *tres in anno faciunt Quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint Salvatores.*

VI. Unam itaque Quadrageſimam ieiunaſſe a primordiis Eccleſiæ Catholicos certum eſt. Nomine autem Quadrageſimæ recentes hæretici, non quadraginta, vel prope quadraginta, nimirum triginta ſex dies intelligi volunt; ſed contendunt, primos Chriſtianos ieiunio vel quadraginta horarum, aut unius, vel trium dierum Quadrageſimam hanc impleviſſe: idque auctoritate quorumdam Patrum evincere conantur, quibus aſſentitur Launoius. Verum Catholici communi aſſenſione docent, in Eccleſia catholica ieiunium quadrageſimale, ſeu paſchale ſemper fuiſſe dierum quadraginta, aut prope quadraginta, nempe triginta ſex. Idque conſtat ex omnibus Patribus, qui ieiunium antipaſchale explicantes ad quadraginta dierum ſpatium illud extendunt. Anne ieiunium unius, vel alterius diei quadrageſimale vocaſsent? Anne Patres omnes aſseruiſsent, Catholicos Quadrageſimam ieiunare ad exemplum Moyſis, Eliæ, & Chriſti; niſi quadraginta dies, quemadmodum illi, ieiunaſsent? Quod vero Ambroſius, Mediolanenſis Eccleſiæ conſuetudi-

nem indicans, ſcribat, Quadrageſimam quadraginta duos dies continere, a quibus ſubductis dominicis, in quibus non ieiunatur, remanent triginta ſex; nil officit communi univerſalis Eccleſiæ conſuetudini ieiunandi quadraginta dies.

VII. Obiiciunt Irenæum apud Euſebium *Lib. V.* hæc ſcribentem: *Illi quidem ſe putant unum diem ieiunare debere, illi duos, illi etiam plures, illi quadraginta d iurnas horas, & nocturnas commenſurant ſuum diem.* Reſpondetur, Irenæum loqui de continuatione ieiunii in ipſa Quadrageſima abſque omni cibo; ideſt, aliqui unum, alii duos, alii quadraginta horas tranſigebant, quin aliquid cibi ſumerent. Hic eſt genuinus illorum verborum ſenſus. Quis enim ſanæ mentis unius diei ieiunium Quadrageſimæ nomine exprimeret? Quid plura? Hanc ipſam abſtinentiam, ſeu diverſitatem abſtinendi a cibo duobus diebus in Quadrageſima, ſeu in magna Quadrageſimæ hebdomade, in qua ſeverius obſervabatur ieiunium, improbat ipſe Irenæus apud eumdem Euſebium. *Hæc varietas* (inquit) *in obſervando ieiunio non nunc primum nata eſt, ſed multo ante apud maiores noſtros cæpit, qui negligentius, ut veriſimile eſt, præſidentes, ex ſimplicitate, ac ex imperitia ortam conſuetudinem poſteris tradiderunt.* Ex quibus Irenæi verbis colligitur, & ieiunium obſervatum fuiſſe a maioribus ſuis, & abuſum ex præſidentium negligentiam in quoſdam irrepſiſſe.

VIII. Obiiciunt, divum Baſilium docuiſſe, dies quinque tantum modo ieiunandum eſſe; Socratem ſcribere, Romanos tres duntaxat hebdomades ieiunaſſe ſuo tempore; & Ambroſium narrare, Chriſtianos non quadraginta, ſed quinquaginta dies, & contra alios triginta tantum dies ſolitos fuiſſe ieiunare. Reſpondetur, divum Baſilium cuiuſque hebdomadis quinque dies numerare, eo quod Græci ſabbatis, & dominicis diebus ieiunium ſolvebant, quibus detractis, quinque ſuperſunt dies. Idque conſtat ex ipſo Baſilio, qui ad ieiunium quadraginta dierum efficacibus adhortationibus populum excitabat. Ad Socratem quod attinet, alii reſpondent, nullam eidem, Novatianorum hæreſi inquinato, fidem adhibendam eſſe: alii dicunt, textum Socratis corruptum eſſe. Ut ut ſit de Socratis textu, ſanctus Leo Socrati coævus, qui eodem tempore Romanam Sedem tenebat, conceptis verbis in ſuis ſermonibus docet, Romanos quadraginta dies ieiunaſſe. Legantur ſermones III. IV. V. & VI. Idem adfirmant Hieronymus, & Chryſologus. Maior ne fides habenda Socrati, Græco, Novatiano, Aeriano, Romaque diſtanti, quam D. Leoni Romæ degenti? Ad ultimum reſpondetur, Ambroſium quinquaginta dies numerare reſpectu illorum qui more Græcorum ſabbati diebus non ieiunabant. Heinc detractis ſabbatis, & una addita hebdomada conficitur numerus quadraginta dierum.

IX. Solet inquiri, quo die inceperit, quove deſierit quadrageſimale ieiunium; Reſpondeo veriſimilius eſſe, illud cœpiſſe feria ſecunda conſequente dominicam, quæ

quæ dicitur Quinquageſimæ, deſiiſſe vero ſabbato præcedente hebdomadam ſanctam. Hæc ſiquidem hebdomada intra dies quadraginta non computabatur; ſed recolendæ dominicæ paſſioni deputata erat: eamque tranſigebant fideles ieiunio ſeveriori, in quo xerophagiis, ideſt pane, ſale, & aqua veſcebantur. Quod demonſtrari poteſt ex *Libro V. conſtitutionum*, quæ dicuntur Apoſtolicæ *cap.* XII. ubi, poſtquam præcipitur *ſervandum eſſe ieiunium Quadrageſimæ*, ſubditur: *Celebretur vero ieiunium hoc ante ieiunium Paſchæ, incipiens quidem a ſecunda feria, deſinens vero in ſextam. Deinde, dimiſſo ieiunio, incipite ſanctam hebdomadam Paſchæ, ieiunateque omnes cum timore.* Idipſum indicat Epiphanius in Doctrina compendiaria. Nec ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos conſuetudo iſta obtinuiſſe videtur, ut S. Auguſtinus *epiſt.* CXIX. *edit. Lov.* & S. Leo *ſerm.* V. de Quadrageſima innuere videntur. Quod teſtimonio Rabani Mauri confirmatur. Hic enim *Lib. II. de Inſt. Cler. cap.* XXXIV. inquit: *Notandum tamen eſt, quod a Quinquageſima ieiunium incipere apud Romanos, Theleſphorus ſæpe memoratus Papa conſtituit, ut per ſeptem hebdomadas ante Paſcha corpus ieiuniis caſtigemus, qui alias ſeptem poſt Paſcha uſque ad Pentecoſtem in lætitia a ieiuniis relaxare volumus.* Obiter hic advertere lubet adverſus Samuelem Baſnagium, alioſque dictos reformatos, Theleſphorum Papam minime inſtituiſſe ieiunium quadrageſimale; ſed inſtitutum ab Apoſtolis ieiunium contra gliſcentes in dies abuſus confirmaſſe. Mos incipiendi quadrageſimale ieiunium a feria ſecunda adhuc obtinet apud multos Religioſos, potiſſimum apud Prædicatores. Poſt Theleſphorum Pontificem conſuetudo hæc viciſſitudinibus ſubiecta fuit. Siquidem initium quadrageſimalis ieiunii duci cœpit a feria ſecunda poſt dominicam quæ prima appellatur Quadrageſimæ uſque ad Paſcha; & hebdomada ſancta intra ieiunium quadrageſimale computata fuit. Ex præcedenti vero ſeptimana, quæ nuncupatur Quinquageſimæ, retenti ſunt quatuor dies, additique ad ſubſequentes. Quo tempore præciſo hæc additio facta fuerit, incertum. Eſſe valde antiquam, maxime in Eccleſia Latina, compertum eſt ex Alcuino in *Libro de officiis eccleſiaſticis cap.* VII. & ex Micrologo, Ruperto, ac Gratiano de *conſec. diſt.* V. *can. Quadrag.* Ex his quæ hucuſque dicta ſunt, colliges, ieiunium; quod a Patribus pluribus antipaſchale nuncupabatur, aliquando pro ieiunio maiori, ſeu ſanctæ hebdomadæ, quod ſeverius, ut dictum eſt, ſervabatur, neque ſolvebatur niſi die ſequenti ad galli cantum, vel poſt biduum, aut triduum; aliquando pro ipſo quadrageſimali acceptum fuiſſe. Nunc nullo modo, neque in numero dierum, neque in forma illud ſervandi, a communi quadrageſimali diſtinguitur. Colliges quoque, nunc Quadrageſimam proprie incipere prima dominica Quadrageſimæ. Solum enim poſt dominicam ſolvitur ieiunium ad veſperum, qui anticipatur, ut quid antiqui moris ſuperſit. Quatuor autem diebus præcedentibus primam dominicam ieiunium ſolvitur ad nonam.

X.

X. Plures aſſignantur cauſſæ cur inſtitutum fuerit ieiunium quadrageſimale. Septem præcipue recenſentur. Prima, ut impleretur illud Chriſti Domini apud Matthæum cap. IX. *Venient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*: ad quæ verba alludit Tertullianus Lib. de ieiunio cap. II. *Certe in Evangelio illos dies ieiuniis determinatos putant in quibus ablatus eſt ſponſus: & hos eſſe iam ſolos legitimos ieiuniorum Chriſtianorum*. Secunda, ut fideles ad maxima paſſionis, & Reſurrectionis dominicæ myſteria celebranda præparentur ieiuniis, precibus, & eleemoſynis, ut inquit S. Leo ſer. X. de Quadrag. *Cognoſcimus ad celebrandum Paſchæ diem merito nos quadraginta dierum ieiunio præparari, ut digni poſſimus divinis intereſſe myſteriis*. Tertia, ut Chriſtianorum animæ, peccatorum ſordibus expiatis, ieiuniorumque ſeveritate caſtigatis corporibus, dignæ conſtituantur manducandi ſacrum Chriſti corpus, ut inquit D. Hieronymus in cap. III. Ioan. *Dominus miſſus ad prædicationem mundi ieiunat quadraginta dies; & hereditatem nobis ieiunii derelinquens, ad eſum corporis ſui ſub hoc numero noſtras animas præparat*. Quarta, ut penſum aliquod Chriſtiani divinæ iuſtitiæ ſolvant pro offenſis illi irrogatis totius anni curſu. *Ideo* (inquit S. Leo ſer. IV.) *magna divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & ieiunia caſta decoquerent*. Quinta, ut per abſtinentiam quadrageſimalem decimas vitæ noſtræ Domino offeramus. Siquidem dierum totius anni decima pars ſunt dies triginta ſex, qui proprie, ut dictum eſt, conſtituunt ieiunium quadrageſimale. Sic Gregorius Magnus *homil.* XVI. *in Evang.* inquit: *Ita offerre contendimus Deo decimas dierum .... ieiunium quadrageſimale eſt decima totius anni*. Sexta, ut Chriſtiani Redemptoris ſui, ſanctorumque Prophetarum Moyſis, & Eliæ ieiunia quadraginta dierum, ſin omnino, ſaltem ex parte imitarentur; ſicut ait Chryſoſtomus hom. I. in Gen. *Dominus noſter Jeſus Chriſtus & ipſe quadraginta dierum ieiunio declarato, ſic certamen contra diabolum aggreſſus eſt, omnibus nobis exemplum dans, ut per illud armemur, & ex illo robur ſumamus*. Septima, ut Chriſtiani, non ſolum pro ſemetipſis, ſed etiam pro catechumenis, qui olim ſabbato paſchali baptizari ſolebant, efficacius orent. Quam rationem tradit S. Ambroſius *ſerm.* LVII.

C A-

CAPUT VI.

De ieiuniis quatuor temporum, feriarum quartæ, ſextæ, & ſabbati, Adventus, ſtationum, vigiliarum, rogationum, & de ieiuniis infra annum, ac de diebus quibus ieiunare non licet.

I. Quemadmodum ieiunium quadrageſimale ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe negant Lutherani, & Calviniſtæ; ſic ieiunia quatuor temporum longe poſt ætatem Apoſtolorum pontificia auctoritate invecta eſſe, pugnaciſſime defendunt, maxime Dallæus, & noviſſime Samuel Baſnagius in ſuis annalibus politico-eccleſiaſticis ad annum 219. num. 8. Communis tamen Catholicorum ſententia originem ieiuniorum, quæ quatuor anni temporibus in Eccleſia catholica obſervantur, ab Apoſtolis repetit. Quod probatur in primis ex Actis Apoſtolorum cap. XXVII. *Multo autem tempore peracto, & cum iam non eſſet tuta navigatio, eo quod & ieiunium iam præteriiſſet, conſolabatur eos Paulus.* Quibus verbis loqui videtur de ieiunio hiemali, ſeu decimi menſis, quo quidem tempore navigatio tuta eſſe non ſolet. Deinde S. Leo, diligentiſſimus traditionum apoſtolicarum inveſtigator, apertiſſime docet, ieiunium illud ab Apoſtolis inſtitutum fuiſſe ſerm. VII. *Apoſtolica* (inquit) *inſtitutio, dilectiſſimi, quæ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ad hoc veniſſe in hunc mundum noverat, ut legem non ſolveret, ſed impleret.... Quod igitur ex veteris prædicatione doctrinæ purificationem animarum, corporumque noſtrorum ieiunium ſeptimi menſis aſſumimus; non legalibus nos oneribus ſubiicimus, ſed utilitatem continentiæ, quæ Chriſti Evangelio ſervit, amplectimur.* Et ſermone VIII. *Huius obſervantiæ utilitas, dilectiſſimi, in eccleſiaſticis præcipue eſt conſtituta ieiuniis, quæ ex doctrina Spiritus ſancti ita per totius anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem ieiunium vernum in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hiemale autem in hoc, qui eſt decimus, celebramus.* Hæc ſane ſunt ieiunia, de quibus in præſentia agimus. Subditque S. Pontifex *ſer.* VII. ab univerſa Eccleſia hæc ieiunia celebrari. Fallitur ergo Dallæus, cum aſſerit, hæc ieiunia in ſola Romana Eccleſia tempore ſancti Leonis obſervata fuiſſe.

II. Aliquam tamen circa tempus obſervandi eiuſmodi ieiunia fuiſſe varietatem, ultro concedunt Catholici; immo & circa numerum. Nam primum trium temporum ieiunium ſervabatur; deinde quartum decreto Calliſti additum eſt, ut obſervat Bellarminus *Lib. II. de bon. oper. cap.* XIX. Quod ad tempus attinet, primum ieiunium vernum ſub initium menſis martii celebrabatur, nullo habito ad Qua-

dra-

drageſimam reſpectu. Secundum ieiunium celebrabant ſecunda hebdomada quarti menſis, nempe iunii. Tertium tertia hebdomada ſeptimi menſis, ideſt ſeptembris. Quartum tertia hebdomada decembris, ut colligitur ex Concilio Moguntino, anno 813. celebrato. Communius tamen celebrata fuerunt hæc quatuor ieiunia iis temporibus quibus nunc peraguntur: nimirum primum in prima hebdomada Quadrageſimæ, ſecundum in hebdomada Pentecoſtes, tertium in tertia hebdomada ſeptembris, & quartum in tertia hebdomada decembris. Quem ordinem deſcribunt S. Leo, & Gelaſius primus: & hic ordo etiamnum ſervatur in Romana catholica Eccleſia. Ex hac varietate inferimus, probabile ſatis eſſe, Apoſtolos ſub præcepto non impoſuiſſe iſta ieiunia, ſed ſub conſilio. Si enim fuiſſent ſub præcepto impoſita, maior certe extitiſſet in eorum obſervantia ſimilitudo. Conſuetudo tamen temporis curſu vim legis obtinuit: & deinde propter fidelium negligentiam præcepta addita a ſummis Pontificibus fuerunt. Quod vero in Eccleſia Romana antiquiſſimo tempore ſub præcepto ieiunia iſta ſervarentur, conſtare poteſt ex tot ſermonibus ſancti Leonis, de his ieiuniis recitatis.

III. Cauſſæ inſtituendi eiuſmodi ieiunia recenſentur a S. Leone *fer. VI. de ieiun. ſeptimi menſis*. Prima eſt, ne Chriſtiani in moralium virtutum exercitatione Iudæis palmam cederent. Ieiunabant autem Iudæi quatuor anni temporibus, nempe menſe quarto, quinto, ſeptimo, & decimo: quorum ieiuniorum meminit Zacharias Propheta cap. VIII. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi menſis erit domui Iuda in gaudium*. Secunda, ut Eccleſia Deo preces offerat pro copioſis terræ frugibus, & pro miniſtrorum ordinationibus. Præfatis enim temporibus ſacri Ordines conferuntur. Tertia, ut nullum ſit anni tempus a ieiuniis vacuum; ſed quemadmodum ſunt quatuor anni partes, ita eſſent in earum ſingulis ſtata ieiunia; & ſicuti quælibet pars tres complectitur menſes, ſimiliter quodlibet ieiunium tribus diebus perageretur.

IV. Ieiunium quartæ, & ſextæ feriæ antiquiſſimum fuiſſe in Eccleſia, fatetur vel ipſe Samuel Baſnagius in ſuis memoratis annalibus ad annum 207. *num. 3.* inquiens: *Multum ſibi vetuſtatis aſſumere ieiunia mercurii, & veneris, documento eſt Clemens Alexandrinus, qui de gnoſtico ſuo ſcriptum reliquit: Novit ipſe ieiunii quoque ænigmata horum dierum, quarti, inquam, & ſexti*. Negat tamen ab Apoſtolis originem ducere. Idemque adfirmat Dallæus eiuſdem ſectæ. Ceterum ieiunium iſtud ſub ipſis Apoſtolis cœpiſſe, & ab iiſdem inſtitutum fuiſſe, monumentis ſatis validis evincitur. Et in primis id conſtat ex decretis primitivæ Eccleſiæ, quæ Apoſtolis ipſis adiudicantur ſub nomine Canonum Apoſtolorum. Canon LXIX. hæc continet: *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non ieiunat, vel quartam diem, vel paraſceven.... deponatur; ſi Laicus ſit, ſegregetur*. Clarius hæc confirmat Auctor apoſtolicarum Con-

Conſtitutionum *Lib. V. cap.* xv. Epiphanius in doctrina compendiaria, Hermas *Lib. III.* Origenes hom. x. in Levit. *Habemus* (inquit) *quartam, & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolemniter ieiunamus.*

V. Cauſſam inſtituendi hæc duo ieiunia prodit Epiphanius in doctrina compendiaria *num.* 22. Eaque eſt dominica Paſſio, quæ feria quarta incepit, & feria ſexta conſummata fuit. Die ſiquidem mercurii & Iudas de prodendo Chriſto cum Iudæis convenit, & Iudæi eodem die conſilium de illius interfectione inierunt. Feria autem ſexta crucifixus eſt. *Quarta, ſextaque feria ieiunium ad horam uſque nonam indictum, propterea quod quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta in crucem ſublatus.*

VI. Iſtud autem ieiunium non præcepti, ſed conſilii fuit. Si enim per totum annum vi legis ieiunaſſent fideles, ſuperflua fuiſſent ieiunia quatuor temporum, quæ iiſdem diebus peraguntur. Probabile tamen eſt, abſtinentiam a carnibus fuiſſe ſub præcepto, prout colligitur ex canone Apoſtolorum, ſecus ieiunium, ſeu unicam comeſtionem. In Eccleſia autem Latina, ſeu occidentali, paullatim in deſuetudinem abiit; & conſuetudo obtinuit abſtinendi a carnibus die ſabbati.

VII. Ieiunium ſabbati, veluti Chriſtianis incongruum, improbant Græci, improperabantque Eccleſiæ Latinæ, quod illud obſervaret. Suam opinionem confirmabant ex *Canone* LXVI. Apoſtolorum, ex *Lib. VII.* conſtitutionum, quæ dicuntur Apoſtolicæ, & ex pſeudoepiſtola Ignatii ad Philippenſes, & demum ex Concilio Trullano, Quiniſexto ab ipſis nuncupato. Inter ipſos Latinos Patres aliqua de hoc diſſenſio fuit. Sanctus Innocentius I. congruum iudicavit iſtud ieiunium. S. Ambroſius, & S. Auguſtinus congruentius cenſuerunt ab hoc ieiunio abſtinendum: hortabantur tamen ut quiſque ſuæ patriæ conſuetudinem obſervaret. Tempus inſtitutionis huius ieiunii incertum eſt. Antiquum tamen fuiſſe, ex recitato diſſidio colligitur; & præcipue ex Innocentio I. qui teſtatur hoc ieiunium in Eccleſia Romana obſervari, ſiletque tempus inſtitutionis. Hanc vero in confirmationem iſtius ieiunii rationem affert, nimirum quod, quemadmodum univerſa Eccleſia, tum Græca, tum Latina, ieiunat ſabbato ſanctæ hebdomadæ antepaſchalis propter Chriſti ſepulturam, & Apoſtolorum triſtitiam; ſic conſentaneum videtur, ieiunari poſſe ſingulis totius anni ſabbatis. Ad ea vero quæ ſupra oppoſita ſunt, reſpondetur, omiſſa diſcuſſione monumentorum, prohibitum fuiſſe ieiunium ſabbati in deteſtationem hæreticorum, ſcilicet Marcionitarum, & Simonianorum, qui negabant Deum verum eſſe illum qui hunc mundum creavit, quievitque die ſeptimo, ac idcirco ieiunabant die dominico, & die ſabbati, ne viderentur cultum offerre Deo Iudæorum, quem non agnoſcebant ut verum Deum univerſi creatorem; ſed alium viſibilem Deum venerabantur a ſeipſis confictum.

VIII. Obiicies, Phariſæos ieiunaſſe bis in ſabbato, ideſt in hebdomada, iuxta illud,

illud, *Ieiuno bis in ſabbato*; bis quoque in hebdomada Paganos, & quoſdam hæreticos ieiunium ſervaſſe. Ergo, ne Catholici ſimiles illis appareant, biduum in hebdomada ieiunium peragere minime debent. Reſpondetur, conſequentiam eſſe falſam. Nec enim id omne quod hæretici, vel Pagani agunt, malum eſt. Quin plura rationi conſona operantur; plura quæ pietatis & virtutis præſerunt ſpeciem Anne ab eleemoſynis abſtinendum, a patientia, a iuſtitia, & ab innumeris aliis officiis, propterea quod eadem præſtant Pagani, vel hæretici? Præterquamquod Pharisæi ieiunabant feriis ſecunda, & quinta, ut refert Epiphanius *hæreſi* XVI. Pagani, aliique hæretici ieiunabant die ſolis, nempe dominica, & die lunæ.

IX. Ieiunium quod vocatur Adventus, ſeu quo celebratur viſibilis adventus Verbi incarnati, perantiquum fuiſſe in Eccleſia Romana, certum eſt. Obſcura tamen illius primordia. Primus qui eiuſdem mentionem fecit, fuit Perpetuus Epiſcopus Turonenſis, ut teſtatur Gregorius Turonenſis *Lib. X. hiſt. Francor.* Perpetuus autem florebat circa dimidium ſæculi V. Iſtius quoque ieiunii meminerunt Concilium Turonenſe, habitum anno 565. can. XVIII. Concilium Matiſconenſe, eodem labente ſæculo celebratum. Sub initium a Monachis obſervatum fuit ſingulis diebus hocce ieiunium a feſto S. Martini uſque ad Natale Domini; a laicis vero ter in hebdomada. Temporis deinceps tractu, nulla præcipiente lege, ſed ſolo devotionis fervore prævalente, laici ipſi ſingulis diebus ieiunare cœperunt in quibuſdam provinciis, præcipue in Gallia; ut colligitur ex Capitularibus Caroli Magni, in quibus *cap.* CLXXXVII. hæc habentur. *Inſuper admoneant Sacerdotes, ut legitima tria ieiunia in anno agantur; ideſt quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta dies ante Paſcha, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſten quadraginta dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate; nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum morem, hæc obſervare convenit.* In Eccleſia pariter Romana hanc obtinuiſſe conſuetudinem, teſtatur Nicolaus I. in epiſtola data ad conſulta Bulgarorum, in qua capite IV. narrat, Romanam Eccleſiam eiuſmodi ieiunia ab antiquo tempore ſervare. Hanc ipſam diſciplinam floruiſſe in Romana Eccleſia confirmat Petrus Damianus qui claruit circa dimidium ſæculi XI. *Lib. VI. epiſt.* XXXV. Collapſam porro fuiſſe in Romana Eccleſia diſciplinam hanc poſterioribus ætatibus, colligitur ex iis quæ ſcribit Auctor vitæ Urbani V. apud Raynaldum ad annum 1370. *num.* 21. Rodulphus Tungrenſis in *Libro de obſervat. Canonum propoſit.* XVI. diſtinguit adventuale ieiunium Ambroſianum a Romano: aitque illud ſex ſeptimanis concludi, & inchoari poſt feſtum S. Martini; hoc vero incipere dumtaxat dominica poſt feſtum S. Catharinæ. Iſtius ieiunii obſervantia penes Monachos, aliosque ſacrorum Ordinum Regulares numquam interciſa fuit, cum hoc ſolo diſcrimine, quod eorum aliqui illud auſpicantur a feſto S. Martini, alii a feſto omnium Sanctorum, alii a

feſto

Digitized by Google

feſto S. Catharinæ, alii a dominica propinquiore ſancti Andreæ Apoſtoli feſto. Et hæc dominica prima adventus ab Eccleſia Romana nunc appellatur. Numquam fuit aliquod præceptum univerſale iſtius ieiunii. Quare ii Regulares qui vi propriæ Regulæ, aut conſtitutionum ad illud ſub culpa non obligantur, ut ſunt Prædicatores, non peccant mortaliter illud tranſgredientes. Quoniam illud obſervant vi illius conſuetudinis, quæ olim penes omnes vigebat, & ad culpam non obligabat: & aliunde conſtitutiones culpæ pœnam non appoſuerunt. Secus dicendum de iis quos propria Regula ſub culpa ad illius obſervantiam obſtringit.

X. De ſtationibus, earumque ieiunio varie Auctores loquuntur. Onuphrius in *Libello de ſtationibus* ait, ſtationes nil aliud ſignificare quam ſtantium in hac vel illa Baſilica precationes. Dallæus *Lib. IV. de ieiun. cap.* v. ſtationem ab oratione dictam exiſtimat. Alii ſtationem a ſtando appellatam autumant, eo quod diebus dominicis fiebat, quibus Chriſtiani ſtantes orabant. Sed, his, aliiſque dicendi modis prætermiſſis, dicimus ſtationem a militari vocabulo derivatam eſſe. Quoniam excubiæ (vulgo *ſentinella*) militum ſtationes dicebantur. Livius Decad. IV. Lib. VIII. *Intra vallum momento temporis compelluntur, ſtationibus tamen firmis, ad ipſos aditus portarum relictis.* Quare, ſicut militares ſtationes, ſeu vigiliæ immotæ conſiſtunt in caſtris; ita fideles in Eccleſiarum caſtris orantes immoti ſtabant. Heinc Bellarminus *Lib. II. de bon. oper. cap.* XXII. inquit, ſtationem eſſe vigiliam diurnam tempore ſolemnis ieiunii. Stationem a vigilia diſtinguit, quod hæc nocte, illa die fiebat. Eamdem a ieiunio ſecernit, quod hoc noctu, & interdiu fieri poterat. Vult ergo, ſtationes eſſe ſacras excubias ieiunantium, & orantium. Et certe, ut ex Tertulliano, aliiſque Patribus colligitur, ſtationes ſecum ſemper coniuncta ieiunia, & preces habebant. Diſtinguenda tamen ſunt duo ieiuniorum genera apud antiquos: unum ſolemne, quod ad veſperam ſolvebatur, cuius generis fuit ieiunium quadrageſimale; alterum mitius, quod ultra nonam non producebatur. Hoc ſecundum ieiunium Catholici obſervabant in ſuis ſtationibus. Non ergo ſtationes erant, ut vult Bellarminus, vigiliæ diurnæ tempore ſolemnis ieiunii tantum, cum extra tempus etiam ſolemnis ieiunii ſtationes celebrarentur, præcipue feriis quarta, & ſexta. Sic igitur melius definiri poſſunt: *Statio eſt fidelium cultus, ſeu officium, quo certis diebus ad Martyrum convenientes ſepulcra, ibique a ſolis ortu ſtantes, orationibus, adhortationibus, & ſacrarum Scripturarum lectionibus, ieiunio uſque ad horam nonam vacabant*; ut inquit Cardinalis Cozza *Tom. de ieiunio part.* II. *art.* 19. ex Dionyſio Petavio, qui in notis ad expoſitionem fidei Epiphanii, ſic deſcribit ſtationes: *Ego ſtationem, apud Tertullianum præſertim, religioſum illud eſſe fidelium officium arbitror, quo certis diebus ad Synaxim adeuntes, ibidem ad nonam uſque perſeverabant, ad quam inſuper ieiunia producebant.* Quia vero Montaniſtæ ſtationum ieiunia ad veſperam producebant contra Eccleſiæ diſciplinam,

Digitized by Google

nam, quæ ad nonam ieiunium iſtud ſolvebat, Tertullianus, ut ſuos defenderet Montaniſtas, Catholicos carpebat *Lib. de ieiun. cap.* I. *&* X. Collapſam hanc primitivæ Eccleſiæ de ſtationibus diſciplinam, ſub diverſa forma ab antiqua inſtauravit S. Gregorius Magnus; ſicuti ſcribit Ioannes Diaconus in vita eiuſdem Pontificis *Lib. II. cap.* XVIII. Cum vero eiuſmodi ſtationes diebus dominicis Adventus, & Quadrageſimæ conſignatæ fuerint; a ieiunio ſeiunctæ remanſerunt. Quare, ad hoc quod attinet, ſtationes noſtræ multum differunt ab antiquis. Differunt quoque, quod in antiquis ſtationibus fideles ſimul conveniebant, & ieiuni conſiſtebant uſque ad horam nonam ſacrarum Scripturarum lectioni vacantes, divina officia celebrantes, & ſæpe etiam divinis myſteriis cooperantes; iuxta vero recentem diſciplinam fideles non ſimul omnes conveniunt, ſed diviſim, & alternatim, non a mane uſque ad nonam, ſed qualibet diei hora, non ieiuni, ſed vel ieiuni, vel pranſi, in Eccleſiis pro ſtationibus deputatis Deo preces fundunt. Stationum celebritas, tum antiqua, tum recens, libera ſemper fuit ab omni lege præcipiente.

XI. Vigiliarum diſciplina originem duxit ab exemplis tum ipſius Chriſti Domini, de quo ait Lucas cap. VI. *Erat pernoctans in oratione Dei*; tum ſuorum Apoſtolorum, maxime Pauli, de quo idem Lucas inquit Act. cap. XVI. *Media autem nocte Paulus, & Silas orantes laudabant Deum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant.* His permoti exemplis primi Chriſtiani in pervigilio alicuius ſolemnitatis ad Martyrum ſepulcra nocte vigilantes orabant. De his Chriſtianorum vigiliis mentio fit ab ipſis profanis Scriptoribus, a Luciano in *Dialogo Philopat.* ab Ammiano Marcellino *Lib. XXVIII. hiſt.* & a Plinio iuniore *Lib. X. epiſt.* XCVII. ad Traianum Auguſtum. Plinii teſtimonium refert Tertullianus in Apologetico *cap.* II. his verbis: *Plinius enim ſecundus, cum provinciam regeret, damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, conſuluit tunc Traianum Imperatorem, allegans præter obſtinationem non ſacrificandi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto, & Deo, & ad confœderandam diſciplinam.* Quamvis autem Imperatores & Præſides pagani eiuſmodi nocturnas vigilias Chriſtianis prohiberent; iſti nihilominus in ſua diſciplina perſeverabant. Ineunte ſæculo quarto, feminis vetitum fuit in cœmeteriis vigilare; ut colligitur ex Concilio Illiberitano, ubi canone XXXV. hæc habentur: *Placuit prohiberi, ne feminæ in cœmeteriis pervigilent, eo quod ſæpe ſub obtentu orationis ſcelera latenter committant.* Cœmeteria loca erant ſubterranea valde obſcura, in quibus facilis erat ſcelerum perpetratio. Idcirco feminæ, non in cœmeteriis, ſed in privatis oratoriis, quæ in domibus habebant (nondum enim Chriſtianis publica templa conceſſa erant) vigilias agebant. Sanctus Auguſtinus *ſerm.* CCLII. *de temp.* Chriſtianos hortatur ad has ſacras excubias, maxime in pervigilio diei dominicæ. *A veſpera diei ſabbati uſque ad veſperam domi-*

dominici diei ſequeſtrati a rurali opere, & ab omni negotio, ſolo divino cultui vacemus. Veniat ergo, cuicumque poſſibile eſt, ad veſpertinam, ac nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Eccleſiæ pro peccatis ſuis Deum. Diu in Eccleſia hæc vigiliarum diſciplina obtinuit. Siquidem tertiodecimo ſæculo eam in Anglia viguiſſe liquet ex Concilio Oxonienſi, anno 1212. ſub Honorio celebrato, in quo *cap.* VIII. numerus vigiliarum ſtatuitur. *Hæ ſunt vigiliæ ſtatutæ ad vigilandum. Vigilia Nativitatis Domini, vigilia Paſchæ, vigilia Pentecoſtes, Litania maior, dies Rogationum, vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, vigilia Apoſtolorum Petri, & Pauli* &c. Verum, hominum malitia latius permanante, in Concilio generali Viennenſi, celebrato ſub Clemente V. anno 1311. multa, & gravia delicta, quæ vigiliarum morem conſequebantur, repræſentarunt Patres: eaque refert Pontifex in ſua Clementina, *Gravi nimirum turbatione*, de celebr. Miſs. *Nonnulli etiam* (inquit Pontifex) *tam Clerici, quam laici, præſertim in certorum feſtorum vigiliis, dum in Eccleſiis deberent orationi inſiſtere, non verentur in ipſis, earumque cœmeteriis choreas facere diſſolutas, & interdum canere cantilenas, ac multas inſolentias perpetrare, ex quibus Eccleſiarum, & cœmeteriorum violationes, inhoneſta, variaque delicta quandoque ſequuntur, & eccleſiaſticum plerumque perturbatur officium in divinæ maieſtatis offenſam, & aſtantium ſcandalum populorum.* Præcepit ergo Prælatis omnibus Pontifex ſummus, ut opportunis remediis tanta mala de medio tollerent. Idemque ſtatutum fuit in pluribus Conciliis provincialibus. Non ob id tamen penitus deſiit vigiliarum mos; ſed diu adhuc invaluit, & ad tempora nobis proxima pervenit. Nam in Provincia Foroiulienſi ſextodecimo labente ſæculo vigiliarum diſciplinam obtinuiſſe, colligitur ex Concilio Aquileienſi, ſub Clemente VIII. celebrato anno 1596. in quo hæc decernuntur can. XVII. *Statuimus etiam ritum agendi vigilias, ſeu in Eccleſiis pernoctandi, omnino tollendum eſſe, ac modis omnibus ab Epiſcopis abolendum.* Tandem, ſublatis prorſus vigiliis, remanſerunt ieiunia, quæ una cum vigiliis a fidelibus obſervabantur. Quemadmodum enim ſtationibus diurnis, ita & vigiliis nocturnis coniuncta fuere ieiunia. Non ergo hæc ſubſtituta fuerunt vigiliis, ut quibuſdam viſum eſt; ſed ieiunia, quæ in uſu cum vigiliis erant, ad nos pervenere.

XII. Rogationes, ut ipſum nomen ſonat, ſunt publicæ preces, quas Græci *Litanias* vocant, quaſque Patres inſtituerunt ad divinam implorandam miſericordiam. Pervetuſtum volunt eſſe Scriptores multi illarum uſum. De illis mentionem feciſſe propugnant Tertullianum *Libro ad uxorem cap.* IV. verbis iſtis: *Si procedendum erit, numquam magis familiæ occupatio adveniat.* Renatus in notis ad hunc locum hæc ſcribit. *Porro proceſſionum cæremonias antiquas eſſe, vel ex hoc loco colligere potes, certe non contemnendas, ſi cum attentione animi peragantur .... Hinc proceſſionum, & iam inde litaniarum uſum a principio apud noſtros tum ex hoc Tertullia-*

Digitized by Google

ni teſtimonio convincimus. Verba ergo Tertulliani hunc ſenſum produnt : *ſi proceſſionibus ſit intereſſendum, numquam magis familiæ occupatio adveniat*. Primus itaque rogationum inſtitutor non fuit Mamercus, ſive Mamertus Epiſcopus Viennenſis; ſed collapſam rogationum, ſive litaniarum diſciplinam ipſe inſtauravit; ut teſtatur Sidonius Apollinaris Arvernenſis Epiſcopus, qui eodem ſæculo claruit, Lib. XV. epiſ. IV. ad Aprum. *In Urbem tamen (ni fallimur) rogationum contemplatione revocabere, quarum nobis ſolemnitatem primus Mamercus Pater, & Pontifex Reverendiſſimus exemplo, & utiliſſimo experimento invenit, inſtituit, invexit. Erant quidem prius (quod ſalva fidei pace dictum) vagæ, tepentes, infrequenteſque, ſi dixeris oſcitabundæ, ſupplicationes, quæ ſæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetebantur; maxime aut imbres, aut ſerenitatem deprecaturæ: ad quas, ut nihil amplius dicam, figulo pariter, atque hortulano non oportuit convenire. In his autem, quas ſuprafatus Sacerdos & protulit pariter, & contulit, ieiunatur, oratur, pſallitur, fletur*. Mamertus igitur, ut terræmotus, incendia, aliaque flagella averteret, maiori cum devotione, videlicet in ieiunio, fletu, & planctu, diebuſque ſtatutis, ante nempe Aſcenſionem Domini, rogationes celebrandas curavit. Hæc tamen rogationum diſciplina conſilii, non præcepti, fuit. Varius eſt etiamnum illarum uſus. Nam quædam Eccleſiæ eas celebrant cum triduano ieiunio, ut in Italia. Aliæ cum ſolo ieiunio feriæ quartæ. Quiſque vero ſuæ Eccleſiæ conſuetudinem teneat.

XIII. Inter ieiunia, quæ intra annum celebrare ſolebant primi Chriſtiani, illud maxime memorabile eſt quod calendis ianuarii obſervabant. Dies iſte Gentilibus ſolemnis erat. In eo opipara convivia, pinguiores victimas multiplicabant: qui deſignati tali die Conſules erant, populi multitudine ſtipati Capitolium adibant, Iovi optimo maximo iniuges iuvencos mactabant, multaque aromata, & thymiamata cremabant. Erat quoque eodem die feſtum Iano ſacrum, & feſtum dedicationis duorum templorum AEſculapii, & Iovis in inſula Tiberina. Porro ſancti Patres, ut a populo chriſtiano quamlibet ſuperſtitionis ſpeciem amoverent, illum ipſum diem ieiunio conſecrarunt. Heinc eſt quod D. Ambroſius reprehendit Chriſtianos quoſdam, qui Ethnicorum ſuperſtitioni accedentes, eumdem diem in ludis, & ſpectaculis tranſigebant. *Quomodo igitur* (inquit ſermone habito in calendis ianuarii) *poteſtis religioſe Epiphaniam Domino procurare, qui iam calendas, quantum in vobis eſt, devotiſſime non celebratis? Ianus enim homo fuit unius conditor civitatis, quæ Ianiculum nuncupatur, in cuius honore calendæ ſunt ianuariæ nuncupatæ: unde qui calendas ianuarii colit, peccat: quoniam homini mortuo defert divinitatis obſequium.... Ergo, fratres, omni ſtudio Gentilium feſtivitatem, & ferias declinemus; ut, quando illi epulantur, & læti ſunt, tunc nos ſimus ſobrii, atque ieiuni; quo intelligant lætitiam ſuam noſtra abſtinentia condemnari*.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Quemadmodum ſunt dies ieiunio addicti, ita ſunt dies quibus ieiunare non licet, aliqua peculiari ratione inſpecta. Nam abſolute nullus eſt dies in quo ieiunium non ſit laudabile. *Utinam* (inquit Hieronymus epiſt. XXVIII.) *omni tempore ieiunare poſſemus, quod in Actibus Apoſtolorum diebus Pentecoſtes, & die dominico Apoſtolum Paulum, & cum eo credentes feciſſe legimus.* Nihilominus ſub ipſis Apoſtolis conſuetudo obtinuit abſtinendi a ieiunio omnibus diebus dominicis, & toto tempore quod fluit a Paſchate ad Pentecoſten. Conſuetudinem hanc magis firmarunt Euſthatiani, & Manichæi. Hi ſiquidem, ne lætari viderentur de Chriſti Reſurrectione, quam veram eſſe negabant, & commentitiam prædicabant, dies dominicos in ſevero ieiunio, luctu, & planctu tranſigebant. Alii quoque hæretici die dominico ieiunabant in contemptum Catholicorum. Quapropter tum ob lætitiam Reſurrectionis Chriſti, tum in deteſtationem iſtarum hæreſum, Patres inhibuerunt ne die dominico, aut tempore paſchali fideles ieiunium ſervarent. Quod adeo verum eſt, ut Auguſtinus *epiſt.* CXVIII. ad Caſulanum aſſerat, ſcandalum fore, ſi quis tali die ieiunaret. *Die autem dominico* (inquit) *ieiunare ſcandali eſt magni, maxime poſteaquam innotuit deteſtabilis, multumque fidei catholicæ, Scripturiſque divinis apertiſſime contraria Manichæorum hæreſis, qui ſuis auditoribus ad ieiunandum iſtum, tamquam legitimum, conſtituerunt diem, per quod factum eſt ut ieiunium diei dominici horribilius haberetur.* Si quis tamen ex ſua devotione ieiunare vellet tum diebus dominicis, tum tempore paſchali; nullum peccatum perpetraret, ſed actum bonum exerceret; dummodo abeſſet ſcandalum, aut contemptus conſuetudinis eccleſiaſticæ. Eccleſia enim illa ieiunia improbavit quæ ex ſuperſtitione, errore, aut contemptu eccleſiaſticæ conſuetudinis fiebant; ſecus illa quæ ob aliquem optimum finem, vel ad ſuperandam aliquam tentationem, vel ad propulſandam aliquam calamitatem peragerentur. Quare, ſi aliqua neceſſitas urgeret, Epiſcopus poſſet, etiam paſchali tempore, congrua ieiunia indicere.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE IEIUNIO.

SUperiore diſſertatione ea expedivimus quæ Catholici communi conſenſione docent adverſus heterodoxos circa ieiunium. Eorum errores brevi ſermone, prout inſtituti ratio poſtulabat, convellimus. Illud nunc reliqui eſt, ut quæ circa ieiunium ipſum Catholicos inter diſputantur in utramque partem, ediſſeram. Quod dum præſtabo, methodo mihi præſtitutæ inſiſtam. Primum omnium quid evitandum ſit patefaciam: ſiquidem cenſum ob oculos ponam tum propoſitionum quæ olim a quibuſdam evangelicæ Moralis tractatoribus propugnabantur, & nunc ab Eccleſia proſcriptæ ſunt; tum aliarum opinionum, quæ, quamvis proſcriptæ nondum ſint, nimiam tamen, ut nobis videtur, præferunt laxitatem: deinde regulas obſervandi ieiunii præſcribam.

C A P U T I.

Cenſus propoſitionum quæ in ieiunii materia ab Eccleſia proſcriptæ fuerunt; quæque, licet non proſcriptæ, nimiam produnt laxitatem.

§. I.

Propoſitiones de ieiunio ab Alexandro VII. ſummo Pontifice anno 1666. damnatæ.

I. *FRangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta, quia non vult ſe ſubiicere præcepto.*

2. *In die ieiunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.*

3. *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii; nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum ieiunio.*

4. *Excuſantur abſolute a præcepto ieiunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.*

5. Non

5. *Non eſt evidens quod conſuetudo non comedendi ova , & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

II. Has omnes propoſitiones ad examen revocabimus ſuis locis : quoniam licet proſcriptæ fuerint; rationes tamen, quibus Auctores eaſdem propugnabant , univerſales cum ſint, adhiberi ſolent ad alias ſimiles propoſitiones defendendas , ut licitas, quæ tamen in præfatis damnatis aſſertionibus continentur , ut , data occaſione, palam fiet,

§. II.

Cenſus propoſitionum quæ ab aliquibus Auctoribus catholicis defenduntur, quæque nimis laxæ videntur.

I. „ DOrmire quis nequit, niſi ſumpta veſpere cœna : tenetur ne ieiunare? „ Minime. Si ſufficit mane collatiunculam ſumere, & veſpere cœna„ re, tenetur ne ad id? Non tenetur. Quia nemo tenetur pervertere ordinem „ refectionis." Ita Filliucius, Eſcobarius *Theol. Mor. tract.* I. *exam.* 13. *cap.* III. *num.* 67. Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* XXX.

2. „ Qui in die ieiunii dat operam ludo pilæ, venationi, vel tactibus venereis , „ ex intentione, ut factus impotens non ieiunet, non peccat contra præceptum „ ieiunii." Rocafull. in *praxi Theol. Moral. Tom. II. Lib. III. cap.* IX. *num.* 153. apud Dianam coord. *Tom. IV. tract.* VI. *reſ.* 18. ubi ait *num.* 2. „ Hanc ſententiam „ impugno, quatenus ait, dantem in die ieiunii mere voluntarie operam ludo , „ venationi, immo, quod peius eſt, & nimio coitui in fraudem ieiunii , ea in„ tentione ut effectus impotens, non ieiunet, non peccare ullo modo contra præ„ ceptum ieiunii, neque etiam quando apponit tale impedimentum ieiunii , cum „ illa expreſſa intentione , ut poſtea non ieiunet." Hanc ſententiam docet etiam Martinus a S. Ioſeph *Tom. I. Lib. II. tract.* XII. *num.* 5. & alii Caſuiſtæ.

3. „ Dicendum nobis eſt, quod per ſe, & univerſaliter loquendo, feminæ quin„ quagenariæ omnino liberæ maneant a lege ieiuniorum." Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* XIX.

4. „ Religioſi ſexagenarii, & Religioſæ quinquagenariæ non tenentur ad ieiunia „ ſuæ Regulæ." Paſqualigus *deciſ.* 259. *num.* 3. Tamburinus *de iur. Abbatis diſp.* XII. *quæſt.* V. *num.* 7. Sed lubet referre rationem quam in favorem mulierum obtrudit Leander *quæſt.* XIX. „ Feminæ, ut communis fatetur ſententia , poſt quin„ quageſimum annum, nullo modo poſſunt generare ob defectum virtutis natu„ ralis . . . . Ergo in hac ætate iam vere reputandæ ſunt ſenes, & conſequenter „ *liberæ a ieiunio Eccleſiæ.*"

II. 5. „ Qui noctu dormire per notabile tempus non poteſt, niſi cœnet, nimis „ oneroſum eſſet ſic ieiunare. Ita Fag. *l. c.* Io. Sanc. *d.* 54. *num.* 13. Layman *Lib.* „ *IV. cap.* III. *num.* 4. Neque hunc obligo mane ientare, ſeque ſero plane reficere: quo pacto iam ieiunium ſartum tectum, ut ex ſupradictis patet, conſervaret. Non obligo, inquam, licet id commode facere queat: quia nemo in ieiunando eſt obligandus ad extraordinaria remedia, & ad relinquendum ſuum „ ius comedendi circa meridiem." Tamburinus *Lib. IV. cap.* V. *§.* 7. *num.* 14. Viden' quantum ſuavitatis? Etiamſi commode ad veſperam cœnam differre, ſumpto circa meridiem ientaculo, poſſet Chriſtianus, de quo loquitur, eum ad ieiunium non obligaret. Cur? Quia non eſt obligandus ad extraordinaria remedia; neque ſuo iure comedendi circa meridiem ſpoliandus? Extraordinarium ergo remedium eſt ad veſperam ieiunium ſolvere? Et tamen id familiare pluribus ſæculis fuit noſtris patribus: familiare etiamnum eſt & pluribus Chriſtianis, & aliis gentibus. Non tenetur ergo relinquere ſuum ius manducandi circa meridiem, etiam dum commode poteſt, ut ieiunii præceptum obſervet?

III. 6. „ Dico denique, propter auctoritatem Doctorum eſſe probabile, *nullos artifices, atque adeo ſutores*, obligari ad ieiunia: quia Eugen. vel conceſſit (aiunt) „ iis privilegium non ieiunandi, vel declaravit eos non comprehendi a lege ieiunii. Ita Trull. *l. c. num.* 9. citans Fag. & Sa, Azor. *p. l.* 7. *cap.* XVII. *quæſt.* VIII." Hucuſque Tamburinus *loc. cit. num.* 28. Ut de eo quod rem facti ſpectat, obiter duo proferam verba, quibus ſinceritas quorumdam Caſuiſtarum ubique, data occaſione, comperta fiat; referam quod ſcribit Azorius loco proxime laudato. „ Octavo quæritur, an ii qui laborant, cuiuſmodi ſunt agricolæ, & plerique artifices, iuſtam etiam ieiunii excuſationem habeant? Reſpondeo eos habere. „ Tales ſunt fabri, ſive ferrarii, ſive lignarii, ſive cæmentarii, agrorum cultores, & ceteri huius generis operarii, & artifices: his enim cibus non „ ſufficit ſemel tantum in die ſumptus ob immodicos, & nimios corporis labores . . „ Et addit Roſella Eugenium IV. conceſſiſſe, aut potius declaraſſe, ut opifices qui „ laborioſas artes exercent, & agrorum cultores, ſive divites ſint, ſive pauperes, „ liberi ſint a lege ieiunii." Liquet Azorium hic ſermonem minime habere de omnibus indiſcriminatim artificibus; ſed ſolum de agrorum cultoribus, de fabris ferrariis, aliiſque id genus, quibus propter immodicos, nimioſque labores unica refectio non ſufficit. Et iſtos, aiunt quidam, ab Eugenio IV. fuiſſe declaratos a lege ieiunii ſolutos. Porro quam recte, ac valide auctoritas Azorii adducatur a Tamburino, ſive a Scriptoribus, qui ab eodem laudantur, pro omnibus artificibus, iudicent æqui rerum æſtimatores, colligantque quid fidei tribuere communiter debeant longo illi Auctorum cenſui quem ſæpe penes Caſuiſtas offendunt. Si enim tempus, & otium ſuppeterent omnes ſingillatim conſulendi; plures ſane reperirem

rem

Digitized by Google

rem qui non plus ac Azorius illis ſavent opinionibus in quarum præſidium citantur. Quod de Eugenio IV. referunt, nullo producto documento, nullam meretur fidem. D. Antoninus, Eugenio ſuppar, nec verbum habet de hoc privilegio: quod retuliſſet certe, ſi extitiſſet. Quare mirari ſatis non poſſum auſum Leandri, qui *tract. v. diſp.* VIII. *quæſt.* lxix. nullo adducto documento præter atteſtationem Navarri, qui pariter nil producit in confirmationem eiuſdem privilegii, tamquam factum manifeſtum obtrudit, Eugenium IV. diſpenſaſſe omnes artifices. Impugnatque Paſqualigum contrarium adfirmantem: de quo ſuo loco fuſius.

IV. 7. Caramuel in ſua Theologia fundamentali quærit *num.* 1537. & 1538. edit. Rom. „ an uſus matrimonii ſit cauſſa ſufficiens ad omittenda ieiunia? Et ratio dubitandi eſt, nam ſutores, ſartores, barbitonſores, & alii mechanici ſolent „ a ieiunio excuſari; cum tamen certum ſit magis debilitari hominem venerem „ exercendo, quam ſuendo, ſartiendo, tondendo." Deinde, laudato Diana, atque alio caſu matrimonii uſum ſpectante narrato, non amplius in perſona propria, ut fecerat in editione priori Francofordienſi, ſed alienam induens perſonam, ne videatur ex propria ſententia loqui, ſic perſequitur. „ Hos duos caſus viris doctis „ decidendos proponis. Si reſpondeant ſevere; repetes, an tantum probabiliter „ ſtringant? Qui enim probabiliter ſtringit, ipſiſſimus probabiliter laxat. Si dicant „ ſeveram certam, benignam improbabilem eſſe; debebunt hanc ipſam improbabilitatem demonſtrative perſuadere: non enim improbabilitas alicuius ſententiæ „ probabiliter poteſt probari. Si benignam eſſe certam, aut probabilem dicant, „ voles ſcire, qui ſint in mundo qui debeant ieiunare. Sutores, ſartores, barbitonſores, foſſores, ferrarii, & ſimiles: Prædicatores, Lectores, Confeſſarii &c. „ Advocati, procuratores, ſcriptores &c. etiam muſici: iter agentes, prægnantes, „ & lactantes? Qui ergo manent? Sane cives, qui nullum munus habent. At „ iſti omnes, aut fere, coniugati ſunt. Quem igitur tenet ieiunii eccleſiaſtici „ lex, ſi etiam coniugati excuſantur?" Adiicit vero hanc exilem deciſionem. Reſpondeo nihilominus coniugatos hoc ſolo nomine non excuſari. Iſtius autem ſuæ deciſionis nullam profert rationem, nec probabiliter, nec demonſtrative ſuadentem: neque argumenta quæ pro laxa opinione oppoſuit, reſolvit. Conſiſtit ergo laxa opinio, ſuaque fruitur probabilitate: quoniam iuxta Caramuelem, non poteſt improbabilitas alicuius ſententiæ probabiliter probari; ſed debet demonſtrative perſuaderi. Porro, ut dictum eſt, Caramuel oppoſitam tantum aſſerit opinionem; nullo vero modo, nec tenui probabilitate, nedum valida demonſtratione eam firmat. Ergo laxam opinionem, ſuæ aſſertioni contrariam, inconcuſſam relinquit. *Quem ergo* (ut ille ait) *tenet ieiunii eccleſiaſtici lex, ſi etiam coniugati excuſantur*? Quiſque ſibi in animum inducet, huic legi Monachos ſaltem, religioſoſque viros ſubiectos eſſe. At miſericors Caramuel & iſtos iugo legis ſub-

 duce-

ducere enititur *num.* 1539. his verbis.„ An Religioſi teneantur ieiunare? Legis ti-„ tulum, mirariſque, in dubium reduci rem tam claram. Teneri Eccleſiaſticos „ ais, & præcipue Monachos, qui maiorem perfectionem ſunt profeſſi. At ego „ re non incuſo; ſed hunc ſyllogiſmum propono. Muſici, inquam, a ieiunio excu-„ ſantur; at omnes Religioſi ſunt muſici, nec in mundo ſunt muſici qui plus „ cantent quam Monachi, & Benedictini præcipue: ergo Monachi non tenentur „ ieiunare. Quæ ratio idem de ceteris Religioſis evincit: nulli enim qui non „ cantent plus quam ſæculares. Puto quidem conſequentiam legitimam, minorem „ certam, & maiorem probo citando Sancium, Dianamque. " Productis autem utriuſque rationibus, concludit Caramuel. *Ergo, ſi etiam Religioſos excludimus, qui erunt in Eccleſia Romana qui teneantur obſervare ieiunia?* In priori editione hæc alia ſex vocabula reperiuntur, quæ ſublata ſunt in hac poſtrema Romana: *Volo non ſevere, ſed ſincere erudiri*. Hac via inducere laxitatem conatur Caramuel; ſimulque ab omni cenſura ſe ſe conſtituere immunem: quoniam perſonam, non aſſerentis, ſed referentis Dianæ ſententiam, gerit. At umbra iſta cito evaneſcit, ſi id quod de Diana ille prædicat, in memoriam revocemus. Caramuel autem in epiſtola ad Dianam, quæ in Præludio Theologiæ fundamentalis Francofordianæ editionis habetur, hæc in Dianæ eiuſdem doctrinæ laudem effatur. Diana eſt *Agnus Dei tollens peccata mundi*. Deinde paullo inferius ſubdit. „ Sequi-„ mur hunc Agnum, nimirum *Dianam*, quocumque ierit. Certi enim ſumus, tan-„ to illius dogmata Theologorum firmari numero, ut quærenti an hoc, vel il-„ lud liceat? Sufficiat reſpondere: *Diana dixit*. " Sufficit ergo iuxta Caramuelem quod Diana docuerit, Religioſos ſolutos eſſe a ieiunii lege ratione cantus, ut opinio iſthæc probabilis ſit. Diana in poſteriore editione recenſet hanc Caramuelis opinionem *Tom. IV. tract.* VI. *reſ.* 26. his verbis. „ Sed, pace viri amiciſſimi, hæc ar-„ gumenta aperiunt viam ad opinionem ſingularem *contra praxim omnium Re-„ ligioſorum*. Et, cum hanc ſententiam viris doctis referrem, alii riſerunt, alii in „ atram bilem iverunt. Et quidam Pater Societatis Ieſu iocoſe, & facete reſpon-„ dit: Si ſententia Caramuelis eſſet vera, mallem Societatem eſſe adſtrictam ad „ canendum in choro, nam eſſem deobligatus a ieiunio. " Perſequitur deinde Diana amiciſſimi Caramuelis argumenta refellere. Sed ego perſequar alias recenſere non minus laxas propoſitiones.

8. „ Non peccant caupones, qui in die ieiunii nolunt ſuſcipere hoſpites, niſi „ cœnent: quia non intendunt violationem ieiunii; ſed intendunt lucrum. " Paſqualigus *deciſ.* 367.

9. „ An poſſint parentes miniſtrare cœnam filiis nolentibus ieiunare, quando ad „ id tenentur? . . . Reſpondeo poſſe, *immo & teneri*: quia ad parentum munus „ pertinet providere filiis de victu; non vero regere conſcientias ipſorum (maxi-

„ me

Digitized by Google

„ me quando ſunt in ætate provecta) ita ut debeant peccata ipſorum punire ; „ & hoc modo impedire : unde ſubminiſtrando cœnam faciunt quod ſuorum mu„ nerum eſt. Nec per hoc cooperantur peccato filiorum; cum cœna de ſe ſit in„ differens, utpote ordinata ad ſuſtentationem naturæ; & poteſt bene, vel ma„ le exhiberi. Unde quod male a filiis adhibeatur, imputandum eſt malitiæ i„ pſorum, non parentibus exhibentibus cœnam. “ Leander *tractat.* v. *diſput.* IX. *quæſt.* XII.

10. „ Domini non tenentur negare cænam famulis nolentibus ieiunare; etiamſi „ ſcirent id famulis profuturum. “ Paſqualigus *deciſ.* cclxi. *num.* 9.

11. „ Excuſantur a ieiunio qui labore aliquo deſatigantur, quamvis illum in „ alium diem commode differre queant; & etiam ſi data opera, ut non ieiu„ nent, hoc agerent; etiamſi in fraudem ieiunii id agerent; nullius negotii „ cauſa itinerando, ſed ſolo deſiderio non ſervandi ieiunium. “ Sancius *in ſelectis diſp.* IV. *num.* 14. apud Dianam coord. *tract.* VI. *reſol.* XVI. *Tom. IV.*

12. „ Excuſantur a ieiunio qui noctu caleſieri non poſſunt niſi cœnent. “ Leander *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* XXIX.

13. „ Qui aſſumit media illicita, & ita laborioſa, ut ſint incompatibilia cum „ ieiunio, ex intentione non ſervandi ieiunium, non peccat contra præceptum ie„ iunii. “ Paſqualigus *deciſ.* cccxx. *num.* 6.

14. „ Qui non haberet vinum, aut quod ſolet loco vini adhiberi in regioni„ bus, ubi adeſt penuria vini, neque teneretur ieiunare: quia eo ſubtracto, ſub„ trahitur magna refocillatio, & quæ plurimum roboris afferat. “ Paſqualigus *deciſ.* cclxxv. *num.* 5.

15. „ Si precibus, aliove modo poſſet coniux removere alterum a petendo de„ bitum, adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio; atque adeo poſſet non „ ieiunare, & ſic reddere. Ita Thom. Sanch. Ratio eſt, quia perſonalis obligatio „ reddendi eſt ex iuſtitia, quæ non obligat, niſi ad reddendum perſonaliter debi„ tum; non vero ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat. “ Tamburinus *Lib. IV. in Decal. cap.* v. *§.* 7. *num.* 37.

16. „ Cathedratici legentes magno cum plauſu eximuntur a lege ieiunii . . . . „ Addo idem affirmandum eſſe de legentibus unam, aut alteram lectionem *oſtentationis*, aut oppoſitionis cauſa. “ Leander *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* CXVIII.

17. „ Si quis excipiat hoſpitio virum magnatem, non videtur poſſe ſine gra„ vi incommodo ſervare ieiunium. Nam, ſi non parat cœnam, hoſpes cenſebit „ ſe non excipi cum illa magnificentia quæ ſibi debetur; & proinde concipiet „ malum animum erga hoſpitantem. Si vero parat cœnam, & ipſe accumbat, „ & non comedat, aut ſaltem parum, etiamſi præſeferat ieiunium obligans; „ hoc imputabitur ad quamdam importunam correptionem aliorum, aut quod

„ ægre

„ ægre ferat expenſas cœnæ : unde vice meriti, quo i mediante hoſpitio deberet „ acquirere apud talem magnatem, aut Principem, potius ipſum offendet. “ Paſqualigus *deciſ.* cccl.

18. „ Concionatores, qui in Quadrageſima concionantur ter, vel quater in „ hebdomada, *communiter, & regulariter* excuſantur, ita ut *in nullo die Quadra-* „ *geſimæ* teneantur ieiunare . . . . Quia hoc videtur requiſitum ad robur neceſ- „ ſarium ad bene, & fructuoſe concionandum. “ Thomas Sanchez *Lib. V. conſil. cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 6.

19. „ Diſpenſatus ad carnes edendas liber eſt a ieiunio. Hinc illi cui conce- „ duntur ob diſpenſationem carnes, licet ſero cœnare, immo pluries in die ſe „ reficere. “ Tamburinus *Tom. I. Lib. IV. in Decal. cap.* v. *§.* 1. *num.* 2.

20. „ An difficultas in ieiunando ſit ſufficiens cauſa ad diſpenſandum in ieiu- „ nio? . . . Probabilius reſpondeo, eſſe ſufficientem cauſam ad diſpenſandum. “ Leander *tract.* v. *diſp.* x. *quæſt.* xxxii.

21. „ Tenendum eſt quod labor ingenii eximat ab obligatione ieiunandi. “ Paſqualigus *deciſ.* cccxxv. *num.* 2.

22. „ An labor *voluntarie* ſuſceptus, ſi ſit magnus, extinguat obligationem ie- „ iunandi? Probabilius reſpondeo extinguere. “ Leander *tractat.* v. *diſput.* viii. *quæſt.* cliv.

23. „ An labor *voluntarius* poſſit aſſumi in diebus ieiunii ſemper, quantum, & „ quoties libuerit? Probabilius reſpondeo, poſſe aſſumi *ſemper, & toties quoties* „ libuerit. “ Idem Leander *loc. cit. quæſt.* clv.

24. „ Probabilius reſpondeo eſſe exemptum a ieiunio, nec peccaſſe adhuc in „ cauſa contra præceptum ieiunii, qui talem laborem aſſumpſit *ob inhoneſtum fi-* „ *nem* [*ob quærendam concubinam*, aut *alium malum finem*.] “ Idem Leander *loc. cit. quæſt.* clvi.

25. „ Non tenentur parentes cogere filios ad ieiunandum, quando nollent ie- „ iunare, etiamſi conſtaret quod non haberent cauſam excuſantem . . . Quia, „ licet parentes debeant habere maiorem curam filiorum quam ſervorum . . . „ non tamen habent ſupra ipſos iuriſdictionem ſpiritualem : & ideo in ordine ad „ ſpiritualia non poſſunt ſupra ipſos exercere aliquam vim coercitivam, nec pu- „ nire, quando delinquunt in ſpiritualibus. “ Paſqualigus *deciſ.* cclxii. *num.* 4.

26. „ Si probabiliter, vel certo moraliter ſciant tabernarii quod hoſpites pec- „ cent cœnando, DD. (Navar. Tolet. &c.) permittunt quod illis cœna mini- „ ſtretur . . . Quia miniſtratio illa, immo & ultronea invitatio, non ſit directe „ ad non ieiunandum; ſed ſolum ex intentione lucri invitantur ad cœnam. “ P. Dominicus Viva in curſu theologico-morali *Tom. I. part.* ii. *quæſt.* x. *art.* 4. *num.* 7.

27.

Digitized by Google

27. „ Dicendum eſt, ſenes ſexagenarios, quamvis *fortes, & robuſtos*, liberos eſ„ ſe ab obligatione ieiunii. " P. Sebaſtianus Geribaldi in Theol. Moral. *Tom. I. tract.* VIII. *cap.* III. *dub.* I. *§.* I. *num.* 95.

28. „ In feminis autem probabiliter . . . deſinit obligatio ieiunandi, inchoato „ anno quinquageſimo. " P. Viva in curſu Theol. Moral. *Tom. I. part.* II. *quæſt.* X. *art.* 6. *num.* 8.

29. An qui ex iuſta cauſa non tenetur ieiunare, poſſit ſine peccato invitare „ amicum, quem ſcit ſumpſiſſe prandium, & obligatum ieiunare, ad ſecum cœ„ nandum? Reſpond. nullo modo peccare qui urbanitatis cauſa alium iam pa„ ratum, & alibi cœnaturum, invitaret ad cœnam, " P. Geribaldi *loc. cit. dub. num.* 143.

30. „ Certum eſt ientaculum ſumi poſſe; dubium vero, an hi cibi ſubſtantia„ les ſint excluſi. Igitur prævalet libertas illos aſſumendi. Sic diſcurrit Tam„ bur. cuius ſententiam non amplecterer, niſi putarem conſuetudinem iam intro„ ductam, ut etiam exigua parte piſcis maioris, cum pane veſci poſſimus in de„ bita quantitate octo unciarum: quam ſi quis parum excederet addendo unam, „ vel alteram unciam, nonniſi venialiter peccaret, " P. Viva *loc. cit. artic.* 3. *num.* 3.

31. „ Non eſt letale prohibitis veſci carnibus abſque diſpenſatione, conſultatio„ neve; etiamſi neceſſitas dubia tantum exiſtimetur. " P. Martinus de Torrecilla *Tom. II. tract.* I. *diſp.* IV. *cap.* II. *ſect.* I. *num.* 74.

32. In privilegio cruciatæ pro veſcendis carnibus diebus prohibitis, conceditur „ quod, etſi cauſa ſufficiens non exiſtimetur ad eas veſcendas; dum tamen ſuf„ ficiens ſit ut Papa diſpenſet, medicus ſpiritualis diſpenſare valeat. " Idem Torrecilla *ibid. num.* 78.

33. „ In ieiunii collatione, vel refectiuncula ſerotina binæ unciæ, ultra con„ ſuetas octo, gravem adhuc non inferunt tranſgreſſionem, " Idem *ibid. ſect.* 3. *num.* 8.

34. „ Ieiunans, ne potus noceat, poteſt toties quoties aliquam parvitatem ſu„ mere; etiamſi quælibet parvitas dimidiam unciam attingat. " Idem *ibid. cap.* IV. *num.* 9. *&* 10.

35. „ Non frangitur ieiunium iterando parvitates cibi uſque ad gravitatem, ſi „ ſumantur, ne potus noceat; dummodo in fraudem legis non fiat. " Idem *ibid. num.* 15.

36. „ Generatim ſenes, ſive viri ſexagenarii, ſeu feminæ quinquagenariæ, ie„ iunio non tenentur. " Idem *ibid. cap.* VI. *num.* 7.

37. „ Opera etiam ingenii, & mentis continuata a ieiunio excuſant. " Idem *ibid. cap.* VI. *num.* 15.

CA-

CAPUT II.

Præceptum ieiunii eccleſiaſtici explicatur. Tria includit, nimirum unicam refectionem, quæ pars principalis eſt; abſtinentiam a carnibus, & tempus pro unica refectione præſcriptum.

I. IEiunii generatim accepti notiones, variaſque ſpecies initio iſtius tractatus expoſui. In præſentia ieiunii eccleſiaſtici naturam ſub examen induco. Et primo quæ extra diſputationem penes Catholicos ſunt, paucis perſtringo. Quamvis ea quæ ad mores ſpectant, vix poſſint unica definitione comprehendi, quia communiter plures includunt circumſtantias; nihilominus ieiunium eccleſiaſticum deſcribi ſolet hoc modo: *Eſt parſimonia victus, abſtinentiaque ciborum iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam*. Hoc eccleſiaſticum ieiunium iuxta omnes Catholicos eſt actus virtutis, ut ſupra probatum eſt. Virtus porro hæc eſt abſtinentia, quæ in materia ciborum medium conſtituit. Conſtat autem, ieiunium eccleſiaſticum ciborum materiam moderari. *Unde manifeſtum eſt* (infert D. Thomas 2. 2. quæſt. CXXVII. art. 2.) *quod ieiunium eſt abſtinentiæ actus*.

II. Unanimi quoque aſſertione docent Catholici omnes, Eccleſiam rite, & valide præcepto ſuo compellere fideles ad obſervandum ieiunium: qua de re in diſſertationis ſuperioris *capite tertio* dictum eſt. Rationem tradit Angelicus inquiens loco laudato art. 3. *Sicuti ad ſæculares Principes pertinet præcepta legalia iuris naturalis determinativa tradere de his quæ pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus*; *ita etiam ad Prælatos eccleſiaſticos pertinet ea ſtatutis præcipere quæ ad utilitatem communem fidelium pertinent in ſpiritualibus bonis. Dictum eſt autem, quod ieiunium utile eſt ad deletionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in ſpiritualia.*

III. Præceptum iſtud ſuapte natura, excluſa etiam inobedientia expreſſa, graviter obligat: tum quia præcepta Eccleſiæ ſecundum omnes Catholicos graviter obligant: tum quia materia illius gravis eſt: tum denique quia ab Eccleſia ita definitum eſt, & in Concilio Gangrenſi *can.* XIX. in quo hæc habentur: *Si quis ieiunia quæ communiter ab Eccleſia cuſtodiuntur, diſſolvat, anathema ſit*: & ab Alexandro VII. qui hanc propoſitionem damnavit: *Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubiicere præcepto.*

IV. Diſputant Theologi, num præceptum iſtud affirmativum ſit, an negativum

Digitized by Google

vum. Utraque pars ſuos habet defenſores. Res eſt levis momenti. Attamen, quod veriſimilius nobis videtur, eſt, partim affirmans eſſe, & partim negans. Quod affirmativum ſit, videtur manifeſtum: etenim præcipit directe victus parſimoniam, unicam refectionem, ciborumque delectum; quæ omnia poſitiva ſunt. Conſequenter poſtea prohibet ſumere plures refectiones, carnibus veſci, & ante præſcriptum tempus ieiunium ſolvere. Et hæc eſt communiſſima ſententia.

V. Explicatis iis quæ extrinſecus quodammodo ieiunium ſpectant, ad ea enucleanda accedimus quæ ieiunium eccleſiaſticum conſtituunt. Tria iuxta omnes ad ieiunium eccleſiaſticum requiruntur, unica refectio, abſtinentia a carnibus, & tempus definitum. Atque ut a primo auſpicemur, certum eſt unicam comeſtionem partem eſſe ieiunii eccleſiaſtici, ne dicam illius eſſentiam: de qua iam iam. Neque dumtaxat ieiunium ab Eccleſia præſcriptum, ſed quodcumque ieiunium unica ſemper refectione peractum fuit. In veteri fœdere ſemel in die comediſſe Iudæos, quoties ieiunio operam dabant, colligitur evidenter ex ipſa Scriptura. Dicitur enim Lib. Iudic. cap. xx. verſ. 26. *Omnes filii Iſrael venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaveruntque die illo uſque ad veſperam*. Idem legitur II. Reg. cap. I. verſ. 11. *David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui cum eo erant, & planxerunt, & fleverunt, & ieiunaverunt uſque ad veſperam*. Hanc porro ieiunandi formam non mutarunt, ſed ſervaverunt Apoſtoli; quin & ſeverius obſervarunt primi Chriſtiani. Iſtorum enim plures nec ſemel in die comedebant; ſed interdum biduo, aliquando triduo, & nonnumquam integra hebdomada ſancta ab omni cibo abſtinebant, ut refert Epiphanius in expoſitione fidei. *Immo vero nonnulli ad biduum uſque ieiunia prorogant. Alii totam hebdomadam ad uſque ſequentis dominicæ gallicidium ſine cibo tranſmittunt*. Id tamen ab Eccleſia non præcipiebatur, ut ſcilicet biduum, vel triduum abſque omni cibo tranſigerent fideles; ſed quiſque, prout maiori fervore ardebat, abſtinentiam ſuam ad duos vel tres dies producebat. Id tantum in præcepto ſemper fuit, ut nonniſi ſemel in die comederent ii omnes qui ieiunare tenebantur. Iſtius rei rationem hanc prodit Angelicus 2. 2. quæſt. cxlvII. art. 6. *Dicendum, quod ieiunium ab Eccleſia inſtituitur ad concupiſcentiam refrenandam; ita tamen quod natura ſalvetur. Ad hoc autem ſufficere videtur unica comeſtio, per quam homo poteſt naturæ ſatisfacere; & tamen concupiſcentiæ aliquid detrahit, diminuendo comeſtionum vices. Et ideo Eccleſiæ moderatione ſtatutum eſt ut ſemel in die a ieiunantibus comedatur*. Hoc vero præceptum non fuit ab Eccleſia in aliquo ſuo canone expreſſum; ſed acceptum a Patribus antiqui teſtamenti conſuetudine univerſali Chriſtiani invexerunt. Quare Caietanus in commentariis ad hunc articulum ait, quod *unica comeſtio magis videtur in præcepto ieiunii præſuppoſita, tamquam*

com-

communiter intellecta, *quam expreſſa*. Falſo itaque Salmanticenſes *tractat.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. §. 1. *num.* 42. Caietanum laudant pro contraria opinione. Secundum requiſitum ad ieiunium eccleſiaſticum, nempe abſtinentiam a carnibus, ſupra demonſtravimus. Tertium denique, nempe tempus determinatum, quod primo fuit veſpere, deinde nona hora, & demum circa meridiem, de quo infra, etiam manifeſtum eſt. Neque in hoc diffident Catholici; quamvis Lutherani, & Calviniſtæ obganniant, Catholicos non obſervare ieiunium, eo quod refectionem non producunt ad horam veſpertinam. At ſuo loco oſtendemus, hanc temporis conditionem ab Eccleſiæ arbitrio pendere: eſt enim quid accidentale ipſi ieiunio, & præter eius eſſentiam.

VI. Quæres, *an unica comeſtio, & abſtinentia a carnibus eſſentiam ieiunii conſtituant; & quænam ex his duabus partibus ſit potior?* Reſp. Omnes conveniunt in hoc quod hæc duo, ſcilicet unica comeſtio, & abſtinentia a carnibus, ad ſubſtantiam ieiunii eccleſiaſtici pertineant. Et, cum res facti ſit, non alia requiritur ratio quæ id evincat, niſi voluntas præcipientis ieiunium. Manifeſtum autem eſt Eccleſiam ſemper reipſa præcepiſſe ieiunantibus hæc duo, nempe unicam comeſtionem, & ab eſu carnium abſtinentiam. Et de hoc nulla ferme eſt inter Catholicos, ſi Launoium excipias, difficultas. Secundam vero quæſiti partem, quænam ſcilicet ex duabus partibus ſit in ieiunio præcipua, in controverſiam vocant, & in utramque diſputant partem. Recentiores Caſuiſtæ communiter ſuſtinent, abſtinentiam ab eſu carnis eſſe partem principalem; unicam vero comeſtionem minus principalem ieiunii eccleſiaſtici. Quoniam, inquiunt, abſtinentia a carnibus magis deprimit concupiſcentiam, magiſque in Deum mentem elevat. Sic Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* I. *num.* 9. ubi plures laudant Theologos recentiores. Contraria ſententia non modo probabilior, ſed unice vera mihi eſt. Et quoniam in iis ſumus quæ rem facti ſpectant, quæve a voluntate legislatoris pendent; rationes, quas vocant a priori, haud poſſumus in medium producere. Ex facto igitur colligenda res eſt, & ex mente legislatoris. Si factum ſpectemus compertum eſt, ieiunium cum in veteri, tum in nova lege, unica ſemper fuiſſe refectione ſolutum. De abſtinentia autem a carnibus non ita certa res eſt. Et quamquam etiam in veteri lege plures ſanctos viros in ſuis ieiuniis a carnibus abſtinuiſſe legamus; non tamen ſcimus omnes talem abſtinentiam ſervaſſe; immo oppoſitum plures docent. Et ſane ex Scriptura habemus, Iudæos omnes ſemel in die ieiuniorum tempore comediſſe; nequaquam vero colligi ex Scriptura poteſt, vetitum illis fuiſſe carnium eſum. Quid quod Iudæi, & aliæ nationes etiamnum in ſuis ieiuniis ſemel comedunt, quin a carnibus abſtineant? Ergo iuxta communem omnium gentium exiſtimationem notio eſſentialis, & potiſſima ieiunii in unica ſita eſt refectione; cui poſtea accedit ciborum delectus. Hinc Dionyſius

nyſius Carthuſianus *in IV. Sent. diſt.* xv. *quæſt.* vi. hæc ſcribit : *Reſpondendum, quod ieiunio Eccleſiæ annexa eſt abſtinentia ab eſu carnium, ut in decreto habetur.* Eccleſia ergo catholica ſuis fidelibus illud ieiunium imperavit quod a Patribus accepit, quod iuxta omnium exiſtimationem unica perficitur comeſtione : ad maiorem vero ipſius perfectionem addidit abſtinentiam a carnibus, & in Quadrageſima a lacticiniis, & quandoque a vini potu, ut infra dicturi ſumus. Ratio quoque ſuffragatur. Quandoquidem magis cohibetur appetitus, & reprimitur concupiſcentia per unicam refectionem, quam per abſtinentiam a carnibus; quemadmodum per ſe patet, & nos ſuo loco fuſius oſtendemus. Licet autem quæſtio iſta abſolute accepta inepta videatur (quid enim refert in morum materia quod una iſtarum partium ſit principalis, altera ſecundaria ?) nihilominus, quoniam Caſuiſtarum recentium plures propugnant, diſpenſatum a carnibus, a lege ieiunii ſolutum eſſe : eo quod ieiunii eſſentiam iuxta ipſos conſtituat abſtinentia a carnibus, qua ſublata deſtruitur ieiunium : idcirco paullo fuſius diſcutienda res erit. Nunc tantum addimus, Caſuiſtarum opinionem ortum duxiſſe a diſſidio quod ſextodecimo ſæculo Catholicos inter & Lutheranos, ac Calvinianos ferbuit. Lutherani, & Calviniſtæ nullum ciborum delectum in ieiunio admittendum eſſe contendebant. Contra Catholici propugnabant, Chriſtianorum ieiunium præter unicam comeſturam, carnium eſum ſemper excluſiſſe; & hanc a carnibus abſtinentiam ſemper, uſque a primis Eccleſiæ ſæculis, indivulſam fuiſſe ieiunii comitem. Eo res devenit, ut decurſu temporis Caſuiſtæ aliqui docere cœperint, abſtinentiam a carnibus non modo eſſe ieiunii partem, ſed eſſentiam ieiunii conſtituere. Hac enim via magis ſe recedere putarunt ab hæreticorum errore.

C A P U T III.

Quos cibos ſub carnium nomine Eccleſia probibeat : & quodnam peccatum, quandove illud perpetrent ii qui carnes comedunt.

I. Plures ſunt cibi de quibus dubitatur, an ſub nomine carnis, quam diebus ieiuniorum prohibet Eccleſia, comprehendi debeant. In primis plures cenſuerunt, quos inter Barboſa, in *cap.* Denique *diſt.* iv. *num.* i. nomine carnis venire etiam lac, & ova, eo quod lac ſit ſanguis albus, ova vero caro liquida. Sed hæc opinio communiter reprobatur. Diverſis ſiquidem præceptis prohibentur uſus lacticiniorum, & eſus carnium.

II. Plura ſunt animalia de quibus, an piſcibus accenſenda ſint, vel non, in utramque partem diſputatur. Regulam univerſalem tradunt communiter Docto-

re-

res ad dignoſcendum, quænam pro carnibus, & quænam pro piſcibus habenda ſint. Ea animalia quæ diu extra aquam vivere ſolent, inter carnes computari debent. Aves, licet aliquæ nutriantur in aquis, carnium nomine veniunt. Hinc corvi marini, fulicæ, & ſimiles, quamvis piſcium ſaporem habeant, diebus ieiuniorum comedi minime poſſunt. Idem dic de chamæleone, de oleribus coctis cum carnibus, de carnium iuſculo, & de ſanguine omnium animalium terreſtrium, arietum, agnorum &c. nec non de ſagmine, & lardo. Locuſtæ, ranæ, limaces, teſtudines, & conchæ diebus ieiunii licite comedi poſſunt: quia in communi exiſtimatione pro piſcibus habentur.

III. Qui tempore ieiunii carnes recenſitas comedunt, peccant mortaliter iuxta omnes, niſi materiæ parvitas excuſet. Dari enim etiam in hoc præcepto parvitatem materiæ, quemadmodum datur in præcepto naturali non furandi, & in aliis, communiter docent Theologi. Id ſolum in diſputationem vocatur, quænam carnis quantitas pro parvitate materiæ habenda ſit. P. Matthæus Stoz in ſuo *Tribunali Pœnitentiæ Part. III. Lib. I. quæſt.* III. *artic.* 3. *num.* 527. hæc ſcribit: *Mihi, qui hæc ſcribo, placuit olim dicere, mediam circiter libram eſſe magnam materiam, parvam quidquid infra illam. Et hoc ideo, quod de mente legiſlatoris tam benigne quam poteſt, præſumendum ſit; neque adeo exiſtimandum, ita illum voluiſſe conſtringere conſcientias, ut peccato mortali ſe obſtringerent illi qui non tantum carnis comederent, quantum in iuſto prandio ſufficeret iis qui carnibus moderate veſci ſolent. Hoc autem videtur eſſe mediam circiter libram.* Hanc opinionem retractavit, ut nimis laxam. *Sed hæc opinio realiter conſiderata modo non placet; cum videatur ex æquo laxior.* Quare *num.* 528. hæc addit docens, *eam quantitatem quæ dimidiam partem quadrantis libræ, ſeu quatuor lott fere exæquat, ſufficere ad peccatum mortale; eam vero quæ hac notabiliter minor eſt, peccati venialis limites per ſe non excedere, ſecluſo ſcandalo.* Sumit libram Germanico more, quæ ſexdecim unciis conſtat. Quare definit, parvitatem materiæ eſſe infra duas uncias cum notabili decremento. Paucis, unam unciam ſtatuit eſſe parvitatem materiæ. Una enim uncia, ad duas comparata, eſt notabiliter minor. Hæc opinio, comparata ad primam, eſt notabiliter minus laxa; ſed abſolute adhuc laxa eſt. Paſqualigus *deciſ.* xlii. *num.* 5. dimidiam unciam carnis pro parvitate materiæ ſtatuit. Mirum eſt Auctorem iſtum tantam carnis portionem pro parvitate materiæ aſſignare; cum deinde *deciſ.* cxli. *num.* 5. doceat, mediam unciam chocolatæ eſſe materiam gravem, & eum qui illam in aqua infuſam ſumeret, frangere ieiunium, & mortaliter peccare: de quo ſuo loco. Nunc dicere ſufficiat, hanc Paſqualigi opinionem communiter vel ab ipſis benignioribus Caſuiſtis reprobari. Vide Leandrum *tract.* v. *diſp.* II. *quæſt.* XII. Hic aſſignat octavam unciæ partem; alii exiguum fruſtulum, ut illud quod coqui, & pincernæ ſumere ſo-

Digitized by Google

ſolent ad ciborum ſaporem dignoſcendum: quod licite faciunt. Præciſa quantitas aſſignari vix poteſt. In hoc omnes conveniunt, quod particula carnis quæ comeditur, debeat eſſe ſatis exigua, ut pro parvitate materiæ iudicari debeat.

IV. Quæſt. I. *An in aliquo eventu licitum ſit carnes comedere ieiunii tempore?* Reſp. Qui nullum alium cibum habet, licite veſci poteſt carnibus: quia præceptum eccleſiaſticum non obligat cum periculo vitæ, vel ſalutis. Quid, ſi nulli alii cibi præter panem ſuppeterent? Paſqualigus *deciſ.* 49. *num.* 3. *&* 4. defendit in hoc caſu poſſe quemque carnibus veſci; etiam ſi unico die id contingeret. Paſqualigo adhæret Leander *tract.* v. *diſp.* xi. *quæſt.* xix. ſi ſermo ſit de magnatibus, & nobilibus, aſſuetis epulis ſelectioribus; ſecus dicendum, inquit, de ruſticis, aliiſque ſimilibus, qui vix umquam ſaturantur pane. Hæc opinio laxa mihi videtur. Nullus ſiquidem, dummodo ſanus ſit, & peculiari debilitate non laboret, notabile patitur detrimentum, ſi unico die pane ſolo veſcatur. Quin hæc unius diei inedia ad ſalutem confert. Paterentur utique detrimentum aliquod molles fauces, ſecus corporis ſanitas. Finis proximus ieiunii eſt corporis moderata conflictatio, ſenſuumque maceratio. Quid ergo obtrudis quamdam corporis moleſtiam, ut a lege ieiunii fideles ſolvas? Solum detrimentum notabile ſalutis ſatis eſſe poteſt ad conſtituendum licitum eſum carnium ieiunii tempore. Cum ergo iuxta communem exiſtimationem quilibet, quamvis delicatus & mollis, dummodo ſanus ſit, & mediocriter robuſtus, uno die refici poſſit ſolo pane, quin ſalutis corporalis incommodo obnoxius ſit: diſtinguenda ſunt hæc duo, ſanitatis detrimentum, & delicati corporis cruciatus. Primum excuſat, ſecus ſecundum. Qui vero aſſuetus ſelectioribus dapibus, per plures dies careret omni cibo præter panem, abundaret vero carnibus; eiſdem veſci poſſet: quoniam, ſi ſolo pane pluribus diebus aleretur, probabili ſanitatis ſuæ damno non exiguo ſubiiceretur. Fideles, tranſeuntes per infidelium, & hæreticorum provincias, diebus prohibitis edere licite carnes ſqueunt, quoties grave periculum illis immineat; ſecus, ſi abſque gravi damno abſtinere valeant. Idem dicendum de remigantibus in hæreticorum, & infidelium triremibus. Catholici, qui famulantur hæreticis, carnibus veſci minime poſſunt, ſecluſo gravi damno, aut periculo; quidquid in contrarium dicat Layman *Lib. IV. tract.* viii. *cap.* iii. *num.* 3. quoniam, cum alii cibi ſuppetant, & periculum damni abſit, nulla aſſignari poteſt vera cauſſa excuſans. Catholici enim domicilium habentes in infidelium regionibus obſtringuntur præceptis eccleſiaſticis: quia hæc non locum, ſed perſonam ſequuntur. Nec Layman hoc negare poteſt.

V. Licitum eſt carnes ſuppeditare & perpetuo amentibus, & pueris ante completum ſeptennium. De perpetuo amentibus res clara eſt: quoniam non ſunt legis capaces; & amentia eſt morbus graviſſimus, qui carnibus indigere poteſt. Pueri quoque ante expletum ſeptennium a vinculo legis ſoluti ſunt. Si tamen

 ante

ante ſeptennium rationis lumen affulſiſſet illis, deberent a carnibus abſtinere: quia præceptum Eccleſiæ obſtringit omnes lumine rationis perfuſos. Immo, quamquam ante ſeptennium rationis uſu præditi non ſint; attamen in hac abſtinentia exerceri eos peroptimum erit, ut facilius, inſtante præcepto, illud obſervare valeant. Quando vero dubitatur, an lumen rationis advenerit, iudicandum eſt reipſa advenisse; ſicuti & ſeptennio expleto, cenſendum eſt illos lumine rationis potiri: quia in dubiis tutior pars eſt eligenda. Quod confirmari poteſt paritate legis divinæ. Si enim lumen rationis ante ſeptennium ſplendeat in aliquibus pueris, iſti obſervationi legis divinæ obſtricti ſunt. Quidni ergo & obſervantiæ legis eccleſiaſticæ? Et licet non pauci iuniores contrariam tueantur opinionem; hæc tamen noſtra probabilior eſt, quam defendunt Azorius *Tom. I. Lib. VII. cap.* XVII. *ſeu* XXVIII. *quæſt.* II. Diana *I. P. tract.* IX. *reſol.* 42. Trullench. *in Bull. Lib. I. §.* 4. *dub.* 2. Sanchez *I. P. Sum. Lib. I. cap.* XII. Bonacina *de leg. Tom. II. diſp.* I. *quæſt.* II. *punct.* 6. *num.* 5. Suarez *Tom. IV. in* III. *par. diſp.* XXXVI. *ſec.* 2. *num.* 3. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *de* 3. *præcep. Decal. cap.* II. *punct.* 2. *num.* 20. & alii plures.

VI. Quæſt. II. *An diſpenſatus in die ieiunii ad carnium eſum, poſſit quaſcumque carnes etiam ſuillas comedere?* Reſp. Plures Auctores ſuſtinent partem affirmativam, alia nulla producta ratione, niſi quod carnes ſuillæ, & ſale conditæ ſint veræ carnes. Sed nos hanc opinionem reiicimus. Dicimus itaque, diſpenſatum a carnibus poſſe ſolas carnes ſalubres comedere: ideoque peccare graviter eos qui omnes indiſcriminatim carnes manducant. Probatur. Eas ſolas carnes comedere poteſt Chriſtianus diſpenſatus quæ comprehenduntur ſub privilegio diſpenſationis. Quemadmodum enim qui nullo modo eſt diſpenſatus ad carnes comedendas, nil carnium manducare licite valet; ſic qui ſolum diſpenſatus eſt, ut carnibus ſalubribus veſci poſſit, iſtas tantum, & non alias, manducare iure valet. Porro medicus, ſive quicumque ſuperior, qui diſpenſationis privilegium ad eſum carnium impertitur, nullo modo concedit uſum carnium ſalitarum, ſuillarum, & ſimilium. Quandoquidem cur, quæſo, eſum carnium concedit medicus? Non ſane alia ratione, niſi ut occurrat alicui infirmitati. Ergo eas ſolas carnes comedendas concedit quæ tuæ infirmitati, vel incommodo congruæ ſunt. Carnes autem nocuæ, ut ſuillæ, ſalitæ, ſimileſque, non modo non congruunt, ſed repugnant tuæ neceſſitati. Nonne, ſi expreſſe eiuſmodi carnes noxias a ſuperiore poſtulares, eas tibi denegaret? Qua ergo ratione præſumi poteſt, in diſpenſatione data illas comprehendi? Hanc opinionem defendit etiam La Croix *Lib. III. part.* II. *quæſt.* CCLVI. *num.* 1313. contra Tamburinum, qui *Lib. IV. cap.* V. *§.* I. contrariam ſuſtinet. Confirmatur noſtra ſententia auctoritate Clementis XI. ſummi Pontificis, qui in decreto infra referendo, Romæ publicato anno 1702. die 24. Februarii, hæc habet. *Animadvertant & medici, & qui petunt licentiam, ut attendant qualitatem carnium, quod*

Digitized by Google

quod nempe ſint ſalubres: quia hæ ſolum permittuntur in Quadrageſima his qui ex iuſta cauſſa nequeunt veſci cibis quadrageſimalibus. Hanc ſententiam defendit Cardinalis Cozza *Tom. de ieiunio* III. *part. art. 3. dub. 6.* pluresque alios Auctores allegat. Qui autem diſpenſatus eſt a cibis eſurialibus, non peccat contra ieiunii præceptum piſces comedendo: quia piſcium eſus nulla lege tempore ieiunii prohibetur; nec qui in eſu carnium diſpenſat, novam legem imponit, quæ prohibeat cibos alioquin licitos. Ratio autem Navarri qui *Tom. I. conſ. conſ.* 5. contrariam defendit ſententiam, minime conſiſtit. Inquit enim: Si piſces nocent, diſpenſatus uti non poteſt iiſdem; ſi non nocent, ſine cauſſa fuit diſpenſatus. Dico piſces nocere, ut ſupponitur, & comedentem peccare vitio intemperantiæ, ſecus adverſus præceptum ieiunii. Si ſcire cupis, num diſpenſati ad eſum carnium, comedere lacticinia valeant; vide *commentarium noſtrum* in RESCRIPTUM BENEDICTI XIV.

VII. Quæſt. III. *An diſpenſatus in Quadrageſima ad eſum carnium poſſit eaſdem comedere feria* IV. *&* VI. *ac ſabbato quatuor temporum eiuſdem Quadrageſimæ?* Reſp. Quæſiti deciſio pendet a voluntate ipſius ſuperioris diſpenſantis, & a maiori vel minori infirmitate, vel neceſſitate illius qui petiit diſpenſationem. Si enim tanta ſit infirmitas in diſpenſato, ut per annum feria ſexta, & ſabbato carnibus egeat, illiſque veſcatur; etiam in Quadrageſima illas comedere poterit diebus quatuor temporum. Si vero communiter per annum bis in hebdomada a carnibus abſtineat; etiam in Quadrageſima potiori ratione abſtinere debebit. Neque in generali diſpenſatione pro tota Quadrageſima intelligitur, ſeu præſumitur diſpenſatus pro præfatis diebus: quia neceſſitas non eſt extendendi ad eoſdem dies quatuor temporum diſpenſationem; peccaretque medicus, ſi abſque iuſta cauſſa ad omnes indiſcriminatim dies privilegium diſpenſationis porrigeret.

CAPUT IV.

Diſpenſatio abſtinentiæ a carnibus non infert diſpenſationem a ieiunio; ſed diſpenſati ad carnes lege ieiunii tenentur, niſi infirmitas, aut virium debilitas obſtent. Quædam quæſita reſolvuntur.

I. QUæſtionem verſandam ſuſcipimus, quam recentiorum Caſuiſtarum plures ad inanes Metaphyſicæ regulas revocarunt. Enimvero, quia ex puriſſimis ſacræ Theologiæ fontibus nil admodum haurire potuerunt, quo ſuam in hac materia laxam, & penitus improbabilem opinionem irrigarent, ad quædam arbitra-

Digitized by Google

traria ratiocinia confugerunt, quæ, ut infra patebit, ad Moralis chriſtianæ controverſias dirimendas inepta prorſus ſunt. Quamobrem adverſus iſtos merito exclamat Launoius *diſſert.* de veteri ciborum delectu. *Falſi ſunt recentiores quidam Theologi, qui carnium abſtinentiam ad ieiunii ſubſtantiam ita pertinere dicunt apud Bonacinam quæſtione* 1. *de præceptis Eccleſiæ puncto* 11. *ut qui abſolute carnes comedit, ieiunare non teneatur. At iſte philoſophandi modus Auctores ſuos prodit non admodum verſatos in antiquis ieiuniorum ritibus.* Ut controverſiam hanc penitus exhaurirem, integrnm edidi volumen, inſcriptum *La Quareſima appellante*. Si plura cupis, illud legito. Nunc, ut veritati manifeſtandæ viam aperiamus, ea quæ penes omnes certa ſunt, ſecernamus oportet ab iis quæ in controverſiam vocantur. Diſtinguendi ergo in primis ſunt *impotentes* a *diſpenſatis*. Impotentes ad ieiunium ſunt infirmi, qui tum a carnibus, tum ab unica comeſtione ſoluti ſunt, non titulo alicuius diſpenſationis, ſed titulo ſolius impotentiæ. De his nulla poteſt eſſe difficultas. Secundo ii qui diſpenſantur, ſunt in duplici claſſe. Alii namque ſunt debiles, valetudinarii, qui frequenti cibo indigent, ſimulque carnibus: & quia ita evidens non eſt eorum impotentia, quemadmodum eſt illa decumbentium, febrique laborantium; idcirco diſpenſatione opus habent. Iſtos quoque tum a carnibus, tum a ieiunio diſpenſari poſſe concedimus. Quando autem poſſint, debeantque ab utroque, & quando ab uno tantum onere ſolvi, prudentis, & chriſtiani medici relinquimus iudicio. Poſterioris claſſis ſunt Chriſtiani valentes, & robuſti, quibus ciborum quadrageſimalium, piſcium nempe, olerum, vel etiam lacticiniorum, uſus nocuus eſt. Hi diſpenſantur in eſu carnium. Quæritur ergo, an eo ipſo intelligantur diſpenſati etiam ab obſervantia ieiunii, ideſt unius comeſtionis? De his enim ſolis diſputatur. Pauci ſunt qui quæſtionem hanc ſic preſſe diſtinctam exhibuerint. Non negamus tamen, quoſdam, maxime ex iis qui non ita pridem ſcripſerunt, diſtinctionem hanc indicaſſe. At poſtea illi ipſi qui controverſiam de infirmis debilibuſque, & de ſanis, robuſtiſque hominibus diſtinxere, in Theologis citandis nullum ſervarunt diſcrimen; & pro laxa, ac improbabili opinione laudarunt eos qui ſolum de impotentibus ad ieiunium loquuntur; ut iam iam palam fiet.

II. Duplex itaque de hac controverſia circumfertur ſententia. Una, quæ aſſerit omnes diſpenſatos a cibis eſurialibus, ſive debiles, ſive ſanos, robuſtoſque, eo ipſo diſpenſatos pariter eſſe a ieiunio. Pro hac ſententia plures allegari ſolent Theologi. Primus omnium citari ſolet Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 8. *§. Ad hoc dicitur*. Et tamen Caietanus non ſolum non favet huic opinioni, ſed oppoſitum prorſus docuiſſe convincitur. En verba Caietani. *Diſpenſati ex impotentia evidenti ab abſtinentia carnium ſunt totaliter abſoluti a præcepto ieiunii. Potentes vero abſtinere a carnibus, non potentes autem abſtinere ab ovis, aut a lacticiniis, non abſolvuntur a præ-*

Digitized by Google

a præcepto ieiunii. Et rurſus potentes abſtinere ab omnibus his, ſed impotentes ad ſervandam unicam comeſtionem, liberantur a ieiunio ſolum, & non ab abſtinentia prohibitorum in Quadrageſima. Ex hac Caietani doctrina duo colligimus. Primum, quod ille ſolos ex evidenti impotentia diſpenſatos a carnium abſtinentia ſolutos declarat a lege ieiunii. Iam ſub initium diſputationis dictum eſt, eos qui aliquo manifeſto morbo laborant, quive inter impotentes ad corporis macerationem computantur, non tam diſpenſatos, quam reipſa excuſatos & liberos eſſe a ieiunii lege. Ubi Caietanus nec verbum habet de hominibus ſanis, & robuſtis, quibus ſolummodo cibi quadrageſimales noxii ſunt; & de quibus ſolum controverſia vertitur. Loquitur itaque Caietanus de ſolis evidenter impotentibus, ideſt de iis qui reipſa febri, vel alio gravi morbo vexantur: quos omnes & nos liberos a ieiunio aſſerimus. Secundum, quod ex laudata Caietani doctrina deducimus, eſt, ieiunium eccleſiaſticum pluribus veluti partibus conſtare; & velle Caietanum ut ille qui poteſt aliquas partes implere, ad id teneatur; licet non valeat exequi omnes. De quo paullo infra. Falſo itaque pro contraria ſententia Caietanus laudatur. Quare turpiter aberrant qui Caietani auctoritatem allegant, ut probent, diſpenſatum a carnibus diſpenſatum eſſe a ieiunio. Secundus, qui pro hac eadem opinione citatur, eſt Azorius: qui ſimiliter nulla facta diſtinctione eorum qui ex infirmitate, ab iis qui ob ſolum nocumentum piſcium diſpenſantur, abſolute aſſerit, quemadmodum Caietanus, diſpenſationem edendi carnes ſecum deferre ſolutionem a ieiunio. Iſti duo Auctores, qui ex antiquioribus pro opinione laxa citantur, præfatæ diſtinctionis non meminerunt: quia tum temporis nonniſi infirmis eſus carnium concedebatur. Ex iis quæ de his duobus Auctoribus dicta ſunt, inferas velim, quanta ſit aliquorum recentiorum diligentia in antiquorum promenda doctrina. His paucis prælibatis, ad rem accedamus, veramque ſententiam promamus.

III. *Chriſtiani qui non infirmitatis, vel notabilis debilitatis titulo, ſed quia quadrageſimalium ciborum uſus nocuus illis eſt, diſpenſationem edendi carnes ieiuniorum tempore obtinent, ieiunii lege tenentur. Hæc ſola ſententia vera; hæc ſola probabilis & tuta. Altera penitus improbabilis.* Ut tanta libertate loquamur, temporum nos cogit calamitas, in quibus probabilitatis fuco laxiſſimæ ſententiæ a nonnullis, tamquam licitæ, proponuntur. Porro, ut a contrariæ ſententiæ confutatione initium ducam, illius potiſſimum fundamentum ſtatim exponendum eſt. Abſtinentia, inquiunt, a carnibus eſſentiam ieiunii conſtituit. Sublata cuiuſcumque rei eſſentia, res ipſa deſtruatur neceſſe eſt. Ergo ii qui edendi carnes licentiam habent, a lege ieiunii ſoluti ſunt. Neque enim coniungi poteſt cum carnium comeſtione ieiunii obſervantia: ſed, quemadmodum ſubmoto animali rationali tollitur homo; ſic ablata abſtinentia a carnibus, tollitur ieiunium, cuius eſſentia in abſtinentia eiuſmodi ſita eſt. Hoc purum putumque (pace iſtorum Auctorum ſit

dictum) commentum eſt in morum materia. Illudque ſemper magis compertum fit, quam maximum damnum paſſa ſit morum Theologia, ex quo a non paucis ad Metaphyſicæ regulas revocari cœpit. Verum utique eſt adductum principium, ſi de eſſentiis metaphyſicis, quæ individuæ ſunt, ſermo habeatur; falſiſſimum vero evadit, cum ad res morales transfertur: quoniam moralium rerum eſſentiæ dividuæ ſunt, & ex pluribus partibus ſæpe coaleſcunt. Id maxime comperitur in ieiunio, quod iuxta omnes pluribus conſtat partibus. Totum autem ex pluribus partibus concretum minime deſtruitur ob unius partis iacturam. Itaque ſub hac ſola conſideratione adductum principium inane eſt, & ad morum controverſias componendas ineptiſſimum. Ceterum alio etiam ex capite omnino corruit, quia commentitio fundamento ſuperſtructum. Adverſarii ſiquidem tamquam certum ponunt, abſtinentiam a carnibus eſſe partem ieiunii potiſſimam, ſeu id quod prius in ieiunio concipitur. Quod ſi dixerim ego falſiſſimum eſſe, & ex antiquitatis ignoratione ortum ducere, fortaſſis nemo nimiæ audaciæ me arguere poterit. Idcirco capite ſuperiore ſtatui, unicam comeſtionem eſſe præcipuam ieiunii partem. Neque unicum Doctorem ex antiquis qui contrarium doceat, adducere recentes valent. Quin Caietanus, quem pro ſe ſtare falſo obtrudunt, oppoſitum conceptis verbis ſcribit 2. 2. quæſt. CXLVII. art. VII. *Non eſt autem eadem ratio de unica comeſtione, & aliis conditionibus. Quoniam ieiunium novi teſtamenti ex abſtinentia carnium, & unica comeſtione conſtat, tamquam ex ſubſtantialibus; ita quod unica comeſtio eſt eſſentialior ieiunio, utpote a principio ieiunii conſtituta in veteri teſtamento, in quo uſque ad veſperam affligendum hominem ieiunio ſtatutum eſt.* Et ſane, ut Caietanus indicat, in veteri lege ieiunium, unica comeſtione peragendum, legimus imperatum. Atque, ut dictum eſt, licet plures abſtinuerint etiam a carnibus, dum ieiunabant; omnes tamen ſic abſtinuiſſe haud poſſumus aſſerere; ſicuti certo defendere valemus, omnes ieiunantes ſemel tantum comediſſe. Quid quod omnes ſectæ, Iudaica, Turcica, nedum Lutherana, & Calviniſtica, dum ieiunant, unicam ſervant comeſtionem; minime vero a carnibus abſtinent? Id porro ad eſſentiam (ſi etiam metaphyſico ratiocinio indulgere velimus) cuiuſque rei pertinet quod primo, & ſemper, & in quocumque ſtatu eidem competit. Ieiunio igitur, in unica ſito comeſtione, Eccleſia catholica, cæleſti lumine perſuſa, addidit abſtinentiam a carnibus: quam abſtinentiam, ut ſingularem quidem ieiunii eccleſiaſtici characterem, omnes venerantur. At, ſi ea comparetur ad ieiunium abſolute acceptum, quid acceſſorium eſt. Falſum ergo etiam ex hoc capite eſt principium illud, cui inniuntur iuniores, quodve ex proprio arbitrio effinxerunt, videlicet eſſentiam ieiunii in abſtinentia a carnibus conſiſtere. Quod ſane commentum nemini ex antiquis in mentem venit.

IV. Cum iam huic quæſtioni finem impoſuiſſem, ad manus meas pervenit *diſſer-*

Digitized by Google

ſertatio de ieiunio, cum eſu carnium coniungendo, *a D. Alexandro Mantegazzi Sac. Theol. Doct.* edita. Auctor iſte & elegantiſſimo ſtilo, & omni argumentorum genere noſtram hanc communiſſimam ſententiam defendit. Recentes Caſuiſtas libere reiicit, quoties reiiciendi ſunt; eorumque auctoritatem tanti facit, quanti eſt facienda. Adverſus hanc diſſertationem omnibus numeris abſolutam Doctor Petrus Copellotti edidit *Diatribam* lingua vernacula: *acciocchè ancora a' deboli* (inquit ille pag. 10.) *ed infermi di cognizione foſſe noto un punto tanto neceſſario di morale diſciplina:* ideſt, *ut etiam rudibus, & cognitione deſtitutis, moralis diſciplinæ caput quammaxime neceſſarium innoteſceret*. Nonne ſummæ neceſſitatis eſt ut vulgus ipſum, & minus docti Chriſtiani tandem aliquando percipiant, ſe poſſe bis in diem ieiunii tempore carnibus recreari, quando cibum piſcium ſtomacho moleſtum experiuntur? Quis non miretur caritatis ſervorem, zelumque iſtius Doctoris, qui, ne noſtri rigidiſſimi ſæculi Chriſtiani nimia pœnitentiæ ſeveritate macerati ſuccumbant, librum compoſuit, quo ſuaviores blandioreſque temperantiæ regulas illos doceret? Nihil in hoc ſuo libro producit, quod prius Caſuiſtæ recentes non docuerint. Sed, quia illi latine ſcripſerunt pro doctis tantum, & eruditis, idcirco Doctor Copellotti, ut rudes etiam & indoctos iuvaret, quæ latine Caſuiſtæ cuderunt, italice vertit. Quod ne ipſi imponere videar, en verba, quibus refutatam a nobis rationem exponit, tamquam inconcuſſum ſuæ opinionis fundamentum. *Queſta ſentenza* (inquit pag. 20.) *la deduco da un principio, che nelle legali, e morali materie è certo, qual è, che, quando ſi diſtrugge la forma, nella quale qualche coſa conſiſte, periſce ancora la diſpoſizione fatta di quella coſa*. Deinde non paucis congeſtis exemplis, ad rem minime pertinentibus, concludit: *Farovvi vedere* (pag. 23.) *eſſere l'aſtinenza dalle carni la forma ſoſtanziale, in cui principalmente conſiſta, e ſenza cui non è per verun conto oſſervabile l'eccleſiaſtico digiuno*. Quod principium ſi verum foret, ſequeretur, Chriſtianos dominicis diebus Quadrageſimæ, in quibus a carnibus abſtinent, ieiunare. Nam, poſita forma ſubſtantiali, ſeu eſſentiali ieiunii, habetur ieiunium. Per D. Copellotti cum quibuſdam Caſuiſtis forma ſubſtantialis ieiunii eſt abſtinentia a carnibus. Ergo Chriſtiani abſtinentes a carnibus tum diebus dominicis Quadrageſimæ, tum feriis ſextis, & ſabbatis totius anni, ieiunant. Quid ad hæc D. Copellotti cum omnibus ſuis Caſuiſtis? Num reponet, unicam comeſturam partem quoque ieiunii eſſe? Sed iterum ab eo petimus, num hæc unica comeſtura pars ſit *ſubſtantialis*, & *eſſentialis?* Si ait; falſum ergo eſt eius principium. Si negat; ergo ſola abſtinentia a carnibus forma ſubſtantialis ieiunii eſt. Ergo, poſita hac abſtinentia, habetur ieiunium. Si dicat, unicam comeſturam partem integrantem eſſe ieiunii; conſequitur ſubſtantialiter, & eſſentialiter, ut dicunt, ieiunare omnes Chriſtianos qui diebus dominicis Quadrageſimæ, feriiſque ſextis, & ſabbatis a carnibus abſtinent: ſolumque partem inte-

tegrantem, adeoque levem, violare qui iterato comedunt. Quam falſa ſunt conſectaria iſthæc, tam falſum eſt principium ex quo profluunt.

V. Solam abſtinentiam a carnibus conſtituere eſſentiam ieiunii eccleſiaſtici, nemo ſanæ mentis dixerit. Diſſidium ſolummodo poteſt eſſe, num unica comeſtura, vel carnium privatio principalius ieiunium conſtituat. Nobis certum eſt, ieiunium potiſſimum unica conſtitui refectione; abſtinentiam vero a carnibus additamentum eſſe, quod abſque gravi culpa omitti nequit. At concedamus, partem eſſentialem ieiunii eſſe abſtinentiam a carnibus; non inde tamen quidquam præſidii colligunt adverſarii pro ſua opinione. Quoniam & ipſi fatentur, unicam comeſtionem eſſe partem ſubſtantialem ieiunii, licet minus principalem. Qua facta poſitione, hanc validiſſimam rationem in noſtræ ſententiæ confirmationem profero. Præceptum ieiunii dividuum eſt, pluribuſque partibus conſtat; ut omnes, & adverſarii ipſi, fatentur. Atqui, quando lex plura præcipit, quorum unum ſine altero ſervari poteſt, ratio naturalis dictat, iubetque impleri partem, quando totum obſervari nequit. Sicuti enim qui totum a lege præceptum implere valet, ad totum tenetur; ita qui potens eſt obſervare partem, ad illius partis obſervantiam obligatur. Præceptum ieiunii plura præcipit, videlicet unicam comeſtionem, abſtinentiam a carnibus, definitque horam reficiendi corpus. Ergo qui ſervare non poteſt duo, tenetur ſervare unum. Quæ omnia non ſolum ratio naturalis, verum etiam ipſæ poſitivæ leges præcipiunt. Siquidem *Cap.* cum delecti, *de dolo*, *& contum.* decernitur quod, *cum duo mandantur, v. g. ut quis ad iudicem veniat, & ad diem ſibi præfixum accedat.... Si venire non poſſit ad diem aſſignatum, tenetur nihilominus ſe iudici præſentare; nec ideo erit a mandato ſolutus*. Hæc lex duo complectitur; accedere videlicet ad iudicem, & accedere tali die. Lex impleri mandat unum, quando ambo ſervari nequeunt. Cur, quæſo, idem præſtandum non erit in ieiunii obſervantia? Tria, non duo, ut dictum eſt, ieiunium præcipit. Unum non pendet ab aliis. Stat abſtinentia ſine unica comeſtione. Stat unica comeſtio ſine abſtinentia a carnibus. Ieiunium ſervari poteſt, etiamſi hora refectionis anticipetur. Qua ergo ratione qui nequit ſervare omnia, non tenebitur ad duo, vel ad unum? Cur qui diſpenſatur ab uno, a quo ut diſpenſetur, iuſta datur cauſſa, intelligendus eſt, præſumenduſque diſpenſatus ab altero; ſi nulla, ut in hoc diſpenſetur, occurrat iuſta ratio? Diſpenſatur in eſu carnium, quia ſtomacho piſcium eſus nocet. Cur diſpenſari debet in pluribus comeſtionibus, ſi iſtius diſpenſationis nullus habetur titulus: quoniam qui diſpenſatur in eſu carnium, ſanus eſt, fortis, robuſtus, ſicut ceteri homines qui ieiunium ſervant iuxta omnes partes? Anne qui die feſto diſpenſatur, iuſta urgente neceſſitate, ab opere ſervili, eo ipſo diſpenſatur a præcepto audiendi Sacrum, ſi Sacrum commode audire poſſit; vel e contrario? An qui impotens eſt ad ſolvendum centum, poteſt vero quinquaginta, liber erit

erit ab iſtorum etiam ſolutione? An qui non poteſt reddere totum, non tenetur reddere partem? Quæ, malum, eſt hæc argumentandi ratio?

VI. Lubet hanc eamdem rationem quam prodidimus, validius firmare, & ad eam perducere evidentiam quæ manifeſto evincat contrariæ opinionis improbabilitatem. Itaque Innocentius XI. hanc propoſitionem, quæ eſt 54. damnavit: *Qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia maior pars trahit ad ſe minorem.* Præceptum recitandi divinum officium diviſibile eſt, pluribuſque conſtat partibus, quarum aliæ principales, minus principales aliæ ſunt. Theologi recentes ante Innocentium XI. communiter propugnabant, eum qui nequibat matutinum & laudes recitare, poterat vero alias horas, ad iſtarum recitationem minime obſtringi. Cur? Quia ceſſante principali ceſſat & acceſſorium: quia maior pars trahit ad ſe minorem. Sed hanc propoſitionem damnavit Eccleſia. Ergo eodem iure damnanda eſt hæc altera: *Qui non poteſt abſtinere a carnibus, poteſt autem ſervare unicam refectionem, ad nihil tenetur: quia ſublato principali tollitur & acceſſorium, ſeu quia maior pars trahit ad ſe minorem.* Ubi hic vel levis diſcriminis ratio? Nonne præceptum ieiunii dividuum eſt? Id ſane concedunt omnes, & experientia ipſa conſtat. Diebus dominicis in Quadrageſima obſervatur abſtinentia a carnibus, ſecus unica comeſtio. Idem evenit qualibet feria ſexta, & ſabbato per totum annum. Adoleſcentes ante vigeſimum primum annum abſtinent a carnibus in Quadrageſima; bis vero in die reficiuntur. Denique ipſi adverſarii fatentur, unicam comeſtionem eſſe partem ſubſtantialem, licet minus principalem, ipſius ieiunii; privationem vero carnium eſſe partem eſſentialem, & præcipuam; quemadmodum matutinum, & laudes conſtituunt partem principalem divini officii, aliæ autem horæ partem efficiunt minus principalem. Impotens ad recitandum matutinum & laudes, tenetur, ſi poſſit, ad alias celebrandas horas. Ergo qui ſibi a carnibus temperare nequit, poteſt vero a duplici abſtinere refectione, ad id iuxta Eccleſiæ doctrinam obſtringitur. Quid plura? Maiorem latitudinem habet ieiunium, magiſque dividuum eſt quam ſit divini officii recitatio. Quandoquidem in ieiunio duo, ut dictum eſt, ſunt præcepta, affirmativum unum, alterum negativum. Id expreſſe aſſerunt omnes, & præſertim adverſarii. *Licet* (inquit Ghetius verb. *Ieiunium* num. 9.) *ſint in ieiunio duo præcepta, unum tamen præſupponit alterum, puta affirmativum ſupponit negativum. Ergo, ſublato præcepto negativo, removebitur & affirmativum; & ſic diſpenſatus ob abſtinentia a carnibus cenſebitur etiam diſpenſatus ab unica comeſtione.* Unicum vero eſt præceptum recitandi divinum officium. Sed, quia officium iſtud partes habet, maiores, & minores, Eccleſia iubet impleri minores ab iis qui maiores implere nequeunt. Potiori ergo iure ſervare tenetur ieiunium, in unica ſitum refectione, ille qui abſtinentiam obſervare non poteſt a carnibus: tum quia hæ ſunt duæ par-

Digitized by Google

partes completæ, ſi abſolute ſumantur, quarum una ſine altera reipſa conſiſtit, ut ex dictis conſtat, non minus ac horæ divini officii: tum quia duobus diſtinctis præceptis, quorum unum adfirmans, alterum negans eſt, imperantur; & unum minime ab altero pendet; & reapſe invicem ſeparantur, ut ex dictis conſtat.

VII. Hæc adeo vera, adeo comperta ſunt, ut numquam credidiſſem, ab aliquo ratione prædito in diſcrimen vocanda fore. Et tamen D. Petrus Copellotti, ut aliqua tergiverſatione eluderet argumentum, quod adverſarius eius urgebat, inquirens: num ieiunium quadrageſimale concretum, ſeu compoſitum aliquod metaphyſicum ſit, quod, veluti hominis animalitas, re quidem vera dividi nequeat, & ſolummodo mentis ope diviſionem patiatur? reſpondet his verbis pag. 126. *Il digiuno non è un compoſto metafiſico, egli è un ente morale, non dividevole nelle componenti ſue parti, atteſa la opinione, e coſtumanza delle nazioni, ed atteſo altresì l'antico invariato univerſale iſtituto della cattolica Romana Chieſa.* Quæ latine ſic verto. *Ieiunium non eſt compoſitum metaphyſicum, ſed eſt ENS MORALE, NON DIVIDUUM in partes, quibus conſtat; ſi conſideretur opinio, & conſuetudo nationum, & inſpecto itidem vetere, immutabili, ac univerſali Romanæ Eccleſiæ inſtituto.* Quid amplius blaterabunt Lutherani, & Calviniſtæ adverſus Eccleſiæ catholicæ ieiunium, cum audierint recenter definiri, *Ens morale, non dividuum in partes, ex quibus coaleſcit?* Quæritabunt fortaſſe, num iſtæ partes, carnium ſcilicet eſus, & unica, aut iterata carnium comeſtura; ſeu num prandium, & cœna; num cibus piſcium, & abſtinentia a carnibus ſint reapſe partes reales, & ſeparatæ, nedum dividuæ. Urgebunt, num opinio hominum, admiſſa manifeſta partium iſtarum ſeparatione, efficere poſſit ut partes iſtæ conſtituant *ens morale non dividuum in partes, quibus conſtat.* Tandem expoſcent, quo fundamento dicatur ieiunium eſſe *ens morale non dividuum* ſecundum antiquum, perpetuum, & univerſalem ritum Eccleſiæ catholicæ Romanæ. Cum certum ſit Eccleſiam Romanam duo præcepta imponere ſuis fidelibus in ieiunio quadrageſimali: alterum prohibens eſum carnium; alterum vetans plures comeſturas. Sed, his miſſis, lectori conſiderandum relinquo, utrum hæc ratio commentandi morum, & chriſtianæ pœnitentiæ regulas, ſibilo, & cachinnis hæreticorum obiiciat Romanæ Eccleſiæ ieiunia nec ne. Conſiderandum relinquo, num iſte ſit cardo ille Theologiæ moralis imperitis ſcitu adeo neceſſarius, videlicet ieiunium Romanæ Eccleſiæ eſſe *ens morale non dividuum in partes*: ut tempore Quadrageſimæ valeant comedere panem & carnes mane, ſeu meridie, ſimiliter panem & carnes veſpere. Commenta deinde, quibus (pag. 105. & ſequent.) circumvenit propoſitionem proſcriptam ab Innocentio XI. quibuſve conatur eludere argumentum inconcuſſum, quod inde elicit illius adverſarius, adeo futilia

Digitized by Google

lia ſunt, ut me pigeat eadem refutare; cum imbecillitate ſua corruant omnino.

VIII. Hactenus expoſuimus rationem noſtram adverſariorum veſtigiis inſiſtentes, eorumque falſæ opinationi indulgentes. Illi ſiquidem, inconſulta antiquitate, & abſque ullo vel apparenti veritatis momento, ſtatuunt, abſtinentiam a carnibus eſſe partem eſſentialem, principalemque, unicam vero comeſtionem partem minus principalem ieiunii. Qua etiam admiſſa hypotheſi, hucuſque demonſtravimus, eorum opinionem omnino improbabilem eſſe; atque in propoſitione damnata ab Eccleſia de recitatione officii divini evidenter, mea quidem ſententia, contineri. Nunc autem, hac falſa poſitione relicta, alterum ſolidiſſimum fundamentum iacere lubet, cui noſtra inhæreat ſententia. Eſt autem eiuſmodi. Eſſentia ieiunii in unica ſita eſt comeſtione, ſeu unica comeſtio eſt potiſſima ieiunii pars. Hæc propoſitio ſupra demonſtrata eſt pluribus rationibus, quas, ne actum agam, prætereo. Unicam addo ab ipſo ieiunii proximo fine petitam. Finis porro ieiunii eſt corporis maceratio, concupiſcentiæ, aliarumque ſenſualium appetitionum cohibitio. Ad hoc autem magis conducit unica comeſtio quam abſtinentia a carnibus. Quis inficias iverit, corpus magis affligi per ſubtractionem cuiuſque cibi quam per privationem unius generis epularum? Nonne iuvenes, qui ante vigeſimum annum nutritione maiore indigent, eo quod in augmento ſunt, etiam ieiuniorum tempore pluries refici permittuntur; carnibus autem veſci prohibentur? Cur hoc? niſi quia, licet carnes & nutriant, & delicatiores ſint, magis tamen patiuntur, maius incommodum ſentiunt iuvenes in privatione plurium refectionum quam in abſtinentia a carnibus. Nec iuvenes tantum, ſed omnes, dum fame laboramus, cibum, non cibi qualitatem quærimus. Hinc ait D. Bernardus in Apologia ad Guillelmum *cap.* v. Eſau, non de carne, ſed de lente fuit reprehenſus; & de ligno Adam, non de carne damnatus; & Ionathas ex guſtu mellis, non carnis, morti addictus fuit. Quid quod plures ſacri Ordines perpetuam ſervant abſtinentiam a carnibus; perpetuum vero ieiunium unius comeſtionis, nullus eſt Ordo qui obſervet? Ex quibus omnibus magis certa & manifeſta redditur propoſitio noſtra, ſcilicet unicam comeſtionem potiſſimam eſſe ieiunii partem; cui poſtea accedit delectus ciborum. Quo poſito, ſic meam inſtauro argumentationem. Eccleſia damnavit propoſitionem qua aſſerebatur, non teneri Clericum ad partem minus principalem divini officii, quoties partem magis principalem recitare nequibat. Ergo potiori iure damnata debet intelligi altera propoſitio, qua ſtatuitur, fideles non potentes ſervare partem minus principalem ieiunii, qualis eſt abſtinentia a carnibus, non teneri ad unicam comeſtionem, quæ eſt pars principalis eiuſdem. Anne obtrudere amplius valent metaphyſicum illud ſophiſma, nempe ſublato principali, tollitur acceſſorium? Si unica refectio eſſentiam

tiam ieiunii conſtituit; illico corruit unicum fundamentum, cui innixi defendunt, diſpenſatum a carnium abſtinentia, diſpenſatum quoque eſſe a ieiunio. Ex his autem quæ dicta ſunt, patet tum ratione, tum auctoritate, in unica potiſſimum comeſtione ſitam eſſe ieiunii eſſentiam. Ex quibus evidentiſſime conſequitur, contrariam opinionem duplici ex capite improbabilem eſſe. Primo quia ſtatuit, tamquam quid certum, abſtinentiam a carnibus eſſe partem eſſentialem, & præcipuam ieiunii: quod falſum eſſe demonſtratum eſt. Secundo quia, admiſſo etiam hanc abſtinentiam eſſe ieiunii præcipuam partem, nihilo tamen minus reprobata intelligitur hæc ſententia ab Eccleſia in propoſitione damnata de horarum recitatione.

IX. Alteram in maiorem veritatis confirmationem addere placet rationem. Privilegium quod communi iuri læſionem infert, interpretandum eſt ſtricto, ut aiunt, modo. Hoc affirmant omnes, & colligitur ex *leg.* Quoties, *cod. de Praec. Imperat. offerend.* & *leg.* Si quando, *cod. de inofficioſo teſtament.* & *cap.* 1. & 11. *de filiis Presbyt. cap.* Quod dilecto, *de conſanguinit. & affinit.* Qua de re conſule Innocentium, & Gloſſam, Ioannem Andream Butrium, & Abbatem. Privilegium autem comedendi carnes in Quadrageſima eſt contra ius commune, & contra legem eccleſiaſticam. Stricte igitur & ſummo rigore eſt interpretandum. Ergo, cum in privilegio edendi carnes non exprimatur conceſſio binæ refectionis, nullum adeſt fundamentum extendendi privilegium iſtud ad plures refectiones.

X. Omnia quæ hactenus dicta ſunt, ſummorum Pontificum auctoritate confirmantur. Debuiſſem, non abnuo, primum omnium rationes ab auctoritate petitas, quæ in morum Theologia ſummi momenti ſunt, afferre in medium; ſed controverſiæ huius conditio præpoſterum ordinem ſervare coegit. Ad rem igitur. Gregorius XIII. in Bulla Cruciatæ pro Luſitaniæ Regno hæc decernit. *Præterea indulgemus, ut, dicto triennio durante, carnibus, de conſilio utriuſque medici, temporibus ieiuniorum, tam quadrageſimalium, quam quarumcumque dierum totius anni, veſci poſſint; ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis; ita quod qui carnes comederint, ſervata in ceteris ieiunii eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur.* Iubet ergo Gregorius, Chriſtianos, non unius, ſed duorum medicorum iudicio diſpenſatos in eſu carnium, ſervare in *ceteris ieiunii eccleſiaſtici formam*, unius nempe comeſtionis.

XI. Alexander VII. anno 1567. edictum Romæ publicavit, quo propter peſtem, quæ anno præcedente ſævierat in eadem urbe, Romanis civibus carnium cibum ſumendi poteſtatem fecit diebus dominicæ, lunæ, martis, & iovis; ea tamen lege, ut præfatis diebus, dominica excepta, omnes ieiunarent, ſemel tantum in die comedendo. Integrum edictum iſthuc tranſcribo. *Martius, divina miſera-*

ſtratione Epiſcopus Albanenſis, S. R. E. Cardinalis, Ginettus, S. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, eiuſque diſtrictus iudex ordinarius &c. Etſi divina pietas dignata eſt fere omnino removere iræ ſuæ flagella, quibus urbem hanc iuſtiſſimo quodam iudicio affecit, non ita tamen ceſſavit pœna, quin periti metuant, ne quadrageſimales cibi contagionis ſcintillulas, quæ ſuperſunt adhuc, nonnihil excitare, ac refovere poſſint. Dominus noſter non alienum a paterna ſua providentia iudicavit, quadrageſimalem rigorem ſanctum paulisper emollire. Quamobrem ſua Sanctitas apud ſe ſtatuit, iis omnibus qui Romam, Romæ domos, & ſuburbana incolunt, permittere ut uniuſcuiuſque hebdomadæ diebus quatuor, dominica, feria ſecunda, feria tertia, feria quinta lacticiniis, ovis, carne a dominica prima Quadrageſimæ uſque ad Palmarum dominicam uti poſſint. Ad ultimos autem tres dies quod attinet, etiamſi carnis uſum concedat, neminem tamen ieiunii lege ſolvere intendit. Quinimmo vult ut lex iſta ſalva, & incolumis remaneat, quemadmodum in quadrageſimalibus cibis feriæ quartæ, feriæ ſextæ, & ſabbati remanet. Exinde ſua Sanctitas hortatur omnes, ut datam in quadrageſimalibus cibis veniam frequenti ſacramentorum ſuſceptione compenſent, eleemoſynas, & preces augeant, ut tam naturalibus, quam ſupernaturalibus remediis morborum reliquias expurgare pergant.

Dominus noſter vult, ut conceſſa edendi lacticinia, ova, & carnem licentia ad univerſos ſexus utriuſque Regulares perveniat, iis demptis qui per regulam ſuam carnem non manducant. Nihilo tamen minus ſua Sanctitas lactariorum, & ovorum uſum permittit.

Denique ſic habeatur ab omnibus, ut qui antedictam licentiam accipient, dominicam orationem, & angelicam ſalutationem quinquies recitare pro hodiernis chriſtianæ rei neceſſitatibus meminerint. Dat. Romæ ex Ædibus noſtris hac die 3. Februarii 1657.

M. A. Epiſcop. Hierapolitanus Viceſg.

Ioſeph, Palamolla Secr.

Romæ ex Typograph. Rev. Cam. Apoſt. 1657.

XII. Simile privilegium fidelibus Ducatus Mediolanenſis conceſſit anno ſequenti 1658. ipſemet Alexander VII. hac appoſita clauſula: *Citra tamen exemptionem a ieiunio.* Non ergo, ut Epiſcopus Romanus tantum, ſed ut Paſtor univerſalis fidelium omnium, legem ieiunii cum carnium eſu coniunxit.

XIII. Clemens Papa XI. eccleſiaſticæ diſciplinæ callentiſſimus, atque doctrina non minus quam pietate ſummus, decretum edi curavit anno 1703. in quo hæc habentur latine verſa. *Ad illud tum medici, tum hi qui diſpenſationes petunt, animum intendant, ut carnes ſalubres ſint: quoniam hæ ſolum in Quadrageſima permittuntur his qui ob iuſtam cauſam cibis quadrageſimalibus veſci nequeunt:* quo-

quorum neceſſitas, ſi lacticiniorum eſu levari poteſt, medici carnium uſum non concedant; ſed lacticinia & ova fideles comedant, & ieiunium obſervent: cuius ieiunii legi etiam illi ſubiecti ſunt qui carnes ea ratione comedunt, quod cibus eſurialis nocuus illis ſit.

XIV. Reponunt quidam, laudatum decretum, non Clementis XI. ſed illius generalis Vicarii, non admodum in Theologia verſati, partum eſſe. Quæ reſponſio ſi conſiſteret, actum de omnibus legislatorum legibus eſſet. Anne iniuſſu Pontificis Eminentiſſimus Carpegna vulgavit decretum illud? At, ut inanis reſponſio omnino evaneſcat, addo Clementem XI. difficultatem iſtam ſeveriori examine enucleaſſe. Delegit ſiquidem doctiores urbis Theologos, quos inter P. Marchetti Societatis Ieſu, & Romani Collegii Rector, diſſertationem ſummo Pontifici obtulit, in qua ſexaginta Auctores pro ſententia cum eſu carnium ieiunium coniungente, allegavit. In hanc eamdem ſententiam conceſſere S. Officii Conſultores, & Cardinalis Vicarii ſynodales examinatores, ut teſtatur Eminentiſſimus Lambertini nunc BENEDICTUS XIV. Pontifex ſapientiſſimus *in collect. Notificationum notif.* xv. *num.* 21. ubi, præter citatos Theologos, alium duodenarium numerum ipſe adpromittit in noſtræ ſententiæ præſidium; & eiuſdem ſententiæ ſectatorem ſe profitetur. Porro Clemens XI. Theologorum ſuffragiis perlectis, & quam diligentiſſime libratis, anno ſequenti 1704. hanc manu ſua ſcriptam clauſulam, edicto de more typis cudendo inſerendam, adiecit. *E ſiano tenuti oſſervare il digiuno ancora quelli che col motivo d'eſſere loro nocivo il vitto quadrageſimale, ſi cibano di carne ſalubre.* Quæ latine ſic reddo. *Et teneantur obſervare ieiunium etiam illi qui ſalubri carne veſcuntur, ea ſolum ducti ratione, quod eorum ſaluti eſuriales cibi noxii ſint.*

XV. Quanti facienda ſit interpretatio, quam ex Eminentiſſimo Lambertino, nunc BENEDICTO XIV. affert D. Copellotti, aliorum ſit iudicium. Obſervat itaque, Clementem XI. in priori decreto anni 1703. his verbis ſuam mentem pateſeciſſe, *E devono oſſervare il digiuno, alle di cui leggi ſono tenuti quelli ancora* &c. *& debent obſervare ieiunium, cuius legibus obnoxii ſunt etiam illi &c.* in poſteriore vero decreto anni 1704. mutaſſe illud verbum, ſeu verbi modum, *ſono*, in alium modum, videlicet *ſiano tenuti*; quo declarat ieiunium dividuum eſſe; & conſequenter Clementem XI. ut Pontificem univerſalem, ſubdunt, decernere, fideles comedentes carnes in Quadrageſima ieiunii legibus ſubiectos eſſe. Quo poſito, adempta eſſet Theologis libertas docendi contrariam ſententiam. Verum Pontifex ſummus, ne vel tantillum præiudicii inferret ſcholarum Doctoribus, ſeu paucis Caſuiſtis, loco illius phraſis, *ſono tenuti*, ſubſtituit aliam, *ſiano tenuti*. Quanti, inquiebam, facienda ſit hæc arbitraria, nulloque fulta documento, interpretatio, non eſt quod multis ediſſeram. Sive enim priore, ſive poſterio-

re

re phraſi decretum illud concipiatur, in idem recidit, eamdemque noſtræ ſententiæ vim præbet, ut infra patebit.

XVI. Summis Pontificibus ſuccinunt Epiſcopi, tum in privatis decretis, tum in ſuis Synodis. Ut prolixitatem, quoad fieri poteſt, vitem, pauca ex pluribus ſeligam. Synodus Veneta habita a Petro Barbadico Patriarcha Venetiarum, & Dalmatiæ Primate, hæc habet de diſpenſatis a delectu ciborum in Quadrageſima pag. 116. *Diſpenſati autem omnes ſciant, quod licet a delectu ciborum ſint diſpenſati, ſe tamen adhuc ieiuniorum obſervationi eſſe obſtrictos, atque letali peccato eſſe obnoxios, ſi eſcis illicitis utentes, non ieiunaverint, pro perſonarum tamen qualitate, ætate, & indigentia.* Synodus iſta onus ieiunii præfatis diſpenſatis non imponit; ſed declarat diſpenſationem edendi carnes minime eos eximere a lege ieiunii. De Epiſcopis ultramontanis hæc ſcribit Claudius La-Croix *II. Part. Lib. III. quæſt.* ccxl. *num.* 1269. Reprobata primum contraria opinione, ſubdit. *Et hoc ipſum communiter declarant Epiſcopi, diſpenſantes pro carnibus in Quadrageſima, dum addunt, ſe non aliter velle diſpenſare, quam relinquendo obligationem ieiunii quo ad refectionem unicam. Hinc etiam aliquibus per bullam Cruciatæ datur privilegium ieiunandi in carnibus, ut fatetur Sanch. dub.* 31.

XVII. Reſpondet D. Copellotti cum ſuis paucis Caſuiſtis, decretum Clementis XI. pro ſolis Romanis editum eſſe: & adducit auctoritatem Dominici Viva; atque in ſuum invehitur adverſarium, quod minus reverenter de eodem Viva locutus ſit: ſcribit enim, Patrem Viva, vulgi ſermone deceptum, ſuam evulgaſſe interpretationem. *Queſte fraſi* [inquit Copellottus pag. 56.] *niente di ſua natura riſpettoſe, anzi miranti al diſcredito di un dotto interprete de' pontificj decreti.* Plura in iſtius Scriptoris commendationem congerit; immo non exiguam ſuæ Diatribæ partem inſumit in elogiis pangendis, & apologiis conficiendis pro defenſione plurium eiuſdem Vivæ ſociorum.

XVIII. Aliam promit D. Copellotti interpretationem Clementini decreti. Concedit ergo (pag. 64.) præfatum decretum eſſe declarativum præcepti eccleſiaſtici (*ut donet ſolatia victo.*) Obiicit tamen tria eſſe declarationum genera. Prima declaratio eſt ſecundum iuriſprudentiæ principia *authentica*, ſecunda *doctrinalis*, tertia *uſualis*. Deinde concludit his verbis. *La dichiarazione di Clemente XI. fu meramente dottrinale al più al più per la univerſale cattolica Chieſa; e perciò da ſè ſola incapace a produrre obbligazione, come oſſerva il dottiſſimo Canoniſta Geſuita Schmalzgrueber.* Quanti pretii ſit Schmalzgrueber diſtinctio, e re mea non eſt in præſentia diſcutere. Ut enim & me, & lectorem meum ab ineptis tricis liberem, concedere volo D. Copellotti, Clementinum decretum ſe ſolo obligationem non imponere. At quid, ſi hoc decretum iunctum aliis duobus pontificiis decretis conſideretur?

XIX.

XIX. Omiſſis itaque inanibus commentis, dicimus in primis, quod, ſi decretum Clementis XI. contineret authenticam declarationem, abſque nota manifeſtæ audaciæ, & inobedientiæ non poſſent vel in diſputationem hanc quæſtionem revocare adverſarii. Ad evitandas ergo tricas, permittamus quod Copellotti contendit, videlicet Clementinum decretum eſſe tantum *dottrinale*, ideſt quod prodat doctrinam ipſius Pontificis, eiuſque quos adhibuit interpretum. Quid inde? Anne auctoritas Clementis XI. etiam ut Epiſcopi Romani, & doctiſſimi, ut ſane erat, Theologi, una cum tot ſapientiſſimis Doctoribus longe multumque non prævalebit paucis Caſuiſtis, Trullencho, Buſembau, Bardi, Boſſio, & ſimilibus, qui, ut ex eorum ſcriptis colligere fas eſt, quæſtionem hanc, non ad antiquæ diſciplinæ leges, non ad antiquorum Theologorum ſenſum, nec ad Romanæ Eccleſiæ, aliarumque Eccleſiarum decreta, & Synodos, ſed ad inanis Metaphyſicæ canones expenderunt?

XX. Quid, ſi Clementis XI. decreto addantur decreta Gregorii XIII. & Alexandri VII.? Hic ultimus Pontifex non tantum Romanos, ſed Mediolanenſes quoque ad ieiunium cum carnium eſu coniungendum obſtrinxit. Non ergo, ut Epiſcopus particularis Romanus tantum, qui extra ſuam diœceſim leges ferre non valet, ſed ut Pontifex Romanus, univerſalis Paſtor, omnium Eccleſiarum caput, & conſequenter etiam Mediolanenſis. Quid denique, ſi præfatis Pontificibus accedant aliæ Eccleſiæ in ſuis Synodis congregatæ, aut voce Epiſcoporum in ſuis decretis, ſicuti revera accedunt? Anne poſt tot luculentiſſima argumenta ab auctoritate petita, & tot evidentiſſimas rationes licitum erit ſequi opinionem contrariam?

XXI. D. Copellotti, videns, Romanos Pontifices conceptis verbis laxam opinionem labefactare, ad antiquos Eccleſiæ Patres animum convertit. Quid non molitur præiudicata ſententia occupatus animus? Noſtra opinio, inquit D. Copelloti, *ella è appoggiata all' autorità di un S. Baſilio, il di cui teſto è riferito dal grande Natale Aleſſandro, le di cui parole il lodato Teologo Storico-critico* (magna in titulis liberalitas) *ſpiegando, moſtra eſſere l' aſtinenza dalle carni indivelta compagna. Il ſanto Dottore dice*. Carnes non edis, veſperam expectas, ut cibum ſumas, a vino abſtines. *Così le ſpiega Natale*. Cur enim ſingularem abſtinentiam commendaret, veluti ieiunii (*notate di grazia*) comitem indivulſam, ſi eſurialibus diebus carnes comedere licuiſſet? Natalis hic impugnat Dallæum, oſtenditque ieiunium Chriſtianorum comitem ſemper habuiſſe ciborum delectum; ita ut abſtinentia a carnibus indivulſa pars fuerit ieiunii noſtri. Quid inde infert eruditus Copellotti? Baſilium, & conſequenter Natalem, docere diſpenſatos a carnibus propter nocumentum piſcium, diſpenſatos itidem eſſe a ieiunio? Nonne hoc vel ipſis Stoicis riſum movet? Omnes Catholici, uno ferme excepto Launoio, adverſus hæ-

hæreticos defendimus, Chriſtianos ieiunantes iam inde a primis ſæculis a carnibus abſtinuiſſe; & hanc abſtinentiam eſſe partem ſubſtantialem ieiunii: Omnes ergo docemus, diſpenſatos a carnibus pariter eſſe diſpenſatos a ieiunio? Quid dicam de Chryſoſtomo, de Theophylo Alexandrino, de Paſchali III. de Thoma Aquinate, quos pariter in ſuum præſidium obtrudit perdoctus Copellotti? Nil profecto dicam; ſed aliis iudicandum relinquo, an qui ſic ſcribit, imponat, decipiatque imperitos lectores nec ne. Piget enim adeo inepta refellere commenta.

XXII. At quid dicendum, ſi medici, & ſuperiores eccleſiaſtici præfatos fideles ſanos, robuſtoſque, ſed carnibus ob ſtomachi qualitatem indigentes, a ieiunii, ſeu unius comeſturæ, lege ſolverent? Reſpondeo, tum medicos, & ſuperiores diſpenſationem impertientes, tum fideles qui eiſdem diſpenſationibus utuntur, abſolute peccare. Num fideles diſpenſati, ipſique diſpenſatores ignorantia quandoque excuſentur, non facile reſolverim. Nimis enim patet contrariæ opinionis falſitas. Et ratio, quæ magis confirmat noſtram ſententiam, manifeſta eſt. Quandoquidem, ut diſpenſatio licita ſit & valida, iuſtam requirit cauſſam. Superiores enim, qui ſolo arbitrio, nullaque occurrente neceſſitate, a legis onere ſubditos ſolvunt, non prudentes, fideleſque diſpenſatores, ſed crudeles diſſipatores, atque boni publici perditores dicendi ſunt. Porro qui poteſtatem accipiunt comedendi carnes ob ſolum faſtidium lacticiniorum, vel piſcium, ſi ſani ſint, & robuſti, ſicut ceteri fideles, nulla ſubeſt cauſſa vi cuius ab unius comeſtionis lege liberentur. Ergo, etiamſi ſuperiores diſpenſarent, eiuſmodi diſpenſatio nulla foret; peccarentque tum qui illam concederent, tum qui eadem uterentur.

XXIII. Quæſo, ne vitio prolixitatis mihi vertatur, ſi paullo fuſius rem iſtam verſari: quoniam ex una parte adeo manifeſta mihi videtur ſententia quam propugno, ut neque in diſputationem vocari deberet; ex altera parte ſummopere vereor ne tantus ſim, ut a tricis, cavilliſque probabilitatis, quibus implicari, involvique ſolet, eam aſſeram. Itaque contrariam opinionem non ſolum ut minus probabilem, ſalvo ſemper meliori iudicio, ſed ut penitus improbabilem, & rationi naturali, communique ſenſui directe adverſam, reiicio. Quid enim magis communi ſenſui infeſtum quam; ſi quis creditori ſuo nollet reddere quinquaginta aureos, quos habet, hac unica ratione quia gratia ipſi facta eſt, ne redderet ducentos, quos non habet? Quia Eccleſia ſuccurrit infirmitati tuæ, qua laboras, a præcepto abſtinentiæ te abſolvens; idcirco tu ſanitate, & fortitudine, qua inſtructus es, abuti audes adverſus alterum Eccleſiæ præceptum, quod ieiunium, ſeu unicam comeſtionem imponit? Quid te ad iſtius præcepti violationem impellit? An infirmitas? An virium debilitas? Hæc omnia abeſſe pro certo habemus. Quid ergo? Quia Eccleſia diſpenſavit a carnium abſtinentia. Benignitate ergo Eccleſiæ ad impietatem abuteris? Quia Eccleſia ab uno te abſolvit præcepto, tu in grati ani-

animi argumentum vis alterum Eccleſiæ præceptum tranſgredi, & contemnere? Nonne hæc rationi naturali, & communi ſenſui repugnant? Quid, ſi univerſa aliqua provincia Eccleſiæ catholicæ quadrageſimalium ciborum penuria premeretur, ſoliſque carnibus abundaret? Eſſet ne provincia iſthæc a lege ieiunii abſoluta? Non tenerentur ergo fideles iſti ſemel tantum in die moderate, & ſobrie carnes comedere, ut eo quo poſſunt modo concupiſcentiam refrenarent, carnis rebellionem cohiberent, corpuſque ſpiritui ſubiicerent? Quin iuxta naturæ leges, qui carnibus veſcuntur, fortiori vinculo obſtringuntur ad unicam ſervandam comeſtionem quam qui piſcibus utuntur. Siquidem carnes abundantius nutriunt, copioſiores gignunt humores, & concupiſcentiam, ceteraſque paſſiones omnes corporeas fovent, & adverſus ſpiritum commovent. Lege ergo naturæ iſti tenentur hos ſuos appetitus plurium comeſtionum ſubtractione, ſeu in die ſemel comedendo moderari, & in officio continere. Alioquin melioris conditionis eſſent Chriſtiani, qui carnibus quam qui piſcibus veſcuntur. In eo enim pares ſunt, quod neutri habeant iuſtam bis comedendi cauſſam; & in eo impares, quod comedentes carnes excuſentur a peccato, dum ſimul bis in die manducant, ſecus iſti. Immo in hoc etiam impares ſunt: quoniam qui carnes comedunt, aptiores ſunt ad ſervandam unicam refectionem præ iis qui piſcibus utuntur. Quandoquidem carnium eſus, ut dictum eſt, magis nutrit, & validius ſtomachum roborat. His omnibus perpenſis, hæc noſtra ſententia luculentiſſime vera dignoſcitur, ſolaque in praxi amplectenda eſt. Eam graviores Theologi, & ipſi benigniores Caſuiſtæ expreſſe defendunt. Victoria 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 4. Vega *Tom. I. Sum. cap.* xiv. *caſ.* 3. Valentia 2. 2. *diſp.* ix. *quæſt.* ii. *punct.* 5. Rodriquez *in Sum. I. P. cap.* xiv. *num.* 27. Lopez *II. P. Inſtruct. cap.* iii. Sa *in Sum. verb. Ieiun.* Reginaldus *Lib. IV. num.* 168. Leſſius *Lib. IV. de iuſt. & iur. cap.* ii. *dub.* 6. *num.* 45. Clarius hanc eamdem ſententiam docent Navarrus *in Man. cap.* xxi. Antonius Gomez in *Bulla clauſ.* 7. *num.* 5. Ledeſma 2. 2. *art.* 3. *fol.* 203. Pedrazza in *Sum.* 3. *præcep.* §. 14. Petrus Cenedo *in qq. canonic. quæſt.* xl. *num.* 3. Fernandez *in exam. Theol. Mor. P. III. cap.* ix. *num.* 3. Ortiz in *Sum. cap.* xix. *num.* 20. Ioannes Medina *codice de ieiunio quæſt.* ix. §. *de infirmis*, ubi etiam ait, *in re hac medicos non carere culpa, cum id ſolum debeant infirmis in diebus ieiunii concedere quod infirmitas poſtulaverit, & non indiſtincte eiſdem indulgere*. Sylvius 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 4. *verſ. Sed quæritur* Nyder *præcept.* 6. *cap.* viii. *num.* 4. Ludovicus de S. Ioan. *I. P. Sum. tract. de ieiunio cap.* xi. Comitolus *in Reſponſ. moral. Lib. IV. quæſt.* xlvi. Victorellus *in add. ad Tolet. Lib. VI. cap.* iii. Baſſæus *verb.* Ieiun. 1. *num.* 4. Lezana *Tom. III. Sum. ver.* Ieiun. *num.* 11. Lavorius *I. P. de iub. cap.* xx. *num.* 25. Naldus *verb.* Ieiun. Layman *Lib. IV. tract.* viii. *cap.* iii. *num.* 8. Graſſius *Lib. II. deciſ. cap.* xxvi. *num.* 53. Beia *Lib. IV. Reſp. caſ. conſc. caſ.* 10. Bonacina *Tom. II. de præcep. Eccl. diſp. ult. punct.* 2. Item

de

Digitized by Google

de *leg. diſp.* 1. *quæſt.* 11. *§.* 1. *num.* 25. Henricus a S. Ignatio *Tom. II. Theol. SS. Lib. XI. cap.* 11. *num.* 22. Natalis Alexander *Theol. Dogm. Lib. IV. art.* 7. *Reg.* 9. Cardinalis Cozza *Tom. de ieiunio part.* 111. *art.* 3. *dub.* 3. Patritius Sporer *in append. ad* 111. *præcept. Decal. ſec.* 3. *num.* 40. VVigandt *tract.* v. *exam.* iv. *num.* 100. & apud ipſum Corradus. Thomas Hurtadus *de reſid. Tom. I. reſol.* 5. La Croix *Lib. III. part.* 11. *num.* 1269. Conſtantinus Roncaglia *Tom. I. tract.* ix. *quæſt.* 11. *cap.* 1. *quæſit.* 3. Rotarius in *Appar. Mor.* 111. *part. cap.* 1. *numer.* 24. Geribaldus *tractat.* viii. *cap.* iii. *dub.* 3. Graveſon *Hiſt. eccleſ. Tom. VIII. part.* 11. *colloq.* 6. *edit. Rom. pag.* 558. Non pauci eorum quos allegavi, potiſſimum Navarrus; & Ioannes Medina, non modo ſanos, ſed etiam infirmos, diſpenſatos in carnium eſu, teneri ad ieiunium docent, quando infirmitas adeo gravis non ſit, ut duplicem comeſtionem exigat.

XXIV. Contrariam opinionem nullus Auctor revera gravis defendit. Laudantur *Caietanus*, & *Azorius*. Sed iam ſupra oſtenſum eſt, Auctores iſtos loqui de infirmis, & impotentibus ad ieiunandum. Nec verbum habent de iis qui ob ſolum piſcium nocumentum privilegium obtinent manducandi carnes. Allegatur etiam Bartholomæus Medina in *Inſtruct. Conf. Lib. I. cap.* xiv. *§.* 10. Sed etiam Auctor iſte, alioquin gravis, de infirmis loquitur. Et, ne gratis hoc aſſerere videar, en illius verba. „ Quæritur ordinarie, an, ſi quis, cum potiatur privilegio edendi car-
„ nem, poſſit ieiunare comedens eam, & ad ieiunium teneatur ſemel tantum
„ comedendo? Mea quidem ſententia eſt, ut iſte ieiunet: nam coram Domino
„ merebitur, non comedens niſi ſemel. De eſſentia enim eccleſiaſtici ieiunii eſt
„ non edere carnem. Unde ob eum ipſum reſpectum per quem quis obtinuit li-
„ centiam comedendi carnem, immunis eſt ab onere ieiunandi, *propter hoc, quo-*
„ *niam huiuſmodi licentia comedendi carnem tempore ieiunii datur tantum infirmo:*
„ *& qui infirmus eſt, non tenetur ieiunare.* “ Tempore itaque Caietani, Navarri, Medinæ, Azorii, ſolum infirmis privilegium comedendi carnes impertiebatur; & controverſia erat, an infirmi iſti, in eſu carnium diſpenſati, ad ieiunium tenerentur. Adfirmabant Navarrus, Ioannes Medina, & alii, præcipue quando infirmitas non erat gravis. Negabant Caietanus, Bartholomæus Medina, & Azorius. Quam interpretationem confirmat Leſſius Lib. IV. cap. 11. dub. 6. in fin. *Quod tamen ex ſententia Caietani, & Navarri limitaverim, habere locum, ſi ratione debilitatis naturæ, vel roborationis id conceſſum ſit; non tamen, ſi quia a piſcibus abhorret, vel putant nocere temperamento: tunc enim cauſa non ſubeſt cur gemina refectio concedatur.* Ceterum ex Theologis nemo unus antiquorum, qui revera Auctor gravis ſit, propugnavit, Chriſtianos ſanos diſpenſatos in eſu carnium ob id ſolum quod patiuntur incommodum in ciborum quadrageſimalium uſu, non teneri ad ieiunium. Pauci dumtaxat recentes, qui, ſalvo obſequio, laxiores opiniones paſſim ſeligunt, inquit Fagnanus, hanc defendunt opinionem. Diana coordinatus *Tom. I. tract.* vi.

M ij *reſ*

ref. 75. Leander de *præcep. Eccl. tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* XXXIII. Auctor iſte paſſim iactat ſe corrigere falſas aliorum Auctorum citationes. In controverſia autem, quam tractamus, tum *quæſt.* XXXII. tum *quæſt.* XXXIII. citata corrigit Bonacinam, alioſque Auctores, qui laudant Navarrum pro ſententia aſſerente diſpenſatum ab abſtinentia a carnibus obſtringi ad ieiunandum. *Navarrus* (inquit Leander quæſt. XXXII.) *nullo modo loquitur de illo qui eſt diſpenſatus in eſu carnium.* Subdit vero quæſt. XXXIII. *Unde male illum citat Bonacina pro ſua ſententia.* Hactenus emendator Leander. Videamus nunc, quam ſincerum, quamve exactum ſit illius criterium. En verba Navarri deſumpta ex Manuali *cap.* XXI. *numer.* 22. quem locum Bonacina laudat. *Notandum tamen* (inquit Navarrus) *ſecundum eumdem* (Caietanum) *quod diſpenſatus, ut comedat in die ieiunii pluries quam ſemel, non videtur diſpenſatus ut comedat carnes; neque diſpenſatus ut comedendo carnes poſſit ieiunare, videtur diſpenſatus ut bis poſſit eas comedere .... quia, ut ille ait, præceptum Eccleſiæ, licet in totum ſervari non poſſit, ſervandum tamen eſt quo ad illam partem quo ad quam ſervari poterit.* Eamdem doctrinam docet Tom. I. Conſil. conſ. 6. de obſervat. ieiun. *Ex quo ſequitur quod comedens tales cibos* (nempe carnes a Papa conceſſas ieiunii tempore) *non frangit ieiunium, & quod vere ieiunat: & conſequenter conſequeretur meritum ieiunii. Sicut credo quod conſequeretur ille qui, quia non poteſt habere panem, & cibos quadrageſimales, comederet ſemel tantum in die carnes, & ova, & lacticinia.* Aſſerit ergo Navarrus, quod diſpenſatus ut comedat carnes, non eſt diſpenſatus ut bis comedere poſſit. Qua proinde fronte Leander redarguere potuerit Bonacinam, alioſque Auctores, pro ſe citantes Navarrum, ceteri iudicent. Si per otium liceret, plures huius generis lapſus in Leandri criterio reperirem. Sed labor iſte non eſt operæ pretium. Illud eſt hic animadvertendum, Navarrum pro ſua ſententia laudare Caietanum, & ex Caietani doctrina ſtatuere, eos qui præceptum dividuum aliquod Eccleſiæ ſervare nequeunt in totum, teneri illud ſervare ex parte; & conſequenter qui non poteſt unicam refectionem, & abſtinentiam a carnibus ſimul obſervare, debere ſemel tantum, ſi poſſit, in die comedere, vel contra, pluries comedere, & abſtinere a carnibus: id quod nos ſupra in Caietano animadvertimus. Ut vero rem hanc breviter perſtringamus, pauci Caſuiſtæ recentiores, ut ſunt Ioannes de la Cruz in *Sum. I. Part. precep.* III. *art.* 4. *num.* 3. Trullenchus *Lib. III. in Decal. cap.* II. *dub.* 2. *num.* 7. Sancius in *ſelect. diſp.* II. *num.* 4. Ghetius *verb. Ieiun.* aliique ſimul accepti, pace eorum dixerim, nullius in hac materia ſunt auctoritatis. Quoniam principia, quibus ſuam conantur probare opinionem, ſunt apertiſſime falſa. Primum eorum fundamentum ab auctoritate petitum eſt. Allegant enim in ſuum præſidium Caietanum, Medinam, Azorium, Navarrum. Sed vidimus, Auctores iſtos vel contrarium docere, vel nihil ad eorum inſtitutum afferere. Ex hac ergo parte falſa eſt eorum opinio.

Digitized by Google

Rationes porro quas producunt, ſunt evidenter-falſæ. Potiſſima ſiquidem eorum ratio eſt, quod abſtinentia a carnibus ſit eſſentia ieiunii, & unica comeſtio pars ſubſtantialis minus principalis, quæ deſtruitur, ſublata parte principali. Quam aſſertionem in propoſitione de recitatione horarum damnatam eſſe ab Eccleſia, oſtenſum eſt. Quia, inquit P. Dominicus Viva ad prop. 54. Innocentii XI. num. 16. *Quando eadem ratio quæ militat pro theſi proſcripta, militat pro alia conſimili, hæc etiam implicite redditur improbabilis*. Præterquamquod alio ex capite, ex falſo nimirum ſuppoſito, quod abſtinentia a carnibus ſit eſſentia, ſeu principalis pars ieiunii eccleſiaſtici, improbabilis eſt opinio iſthæc.

XXV. Obiicies 1. Conſuetudo obtinet ut qui diſpenſatus eſt in eſu carnium, diſpenſatus quoque ſit a ieiunii lege. Item favores, & privilegia ſunt amplianda. Reſp. Conſuetudo, quæ obtruditur, putida eſt corruptela. Soli enim homines qui laxitatibus morem gerunt, qui gulæ exſaturandæ ſtudent, ieiunia frangunt, cum ea ſervare valeant. Privilegia ſunt amplianda, quoties non lædant ius commune, nec noceant ipſis qui privilegio donantur, nec rationi adverſentur. Porro quod diſpenſatus in carnium eſu ob ſolum faſtidium piſcium, ſit etiam diſpenſatus a lege ieiunii, iuri tum naturali, tum poſitivo repugnare oſtenſum eſt; ipſique privilegiato nocumentum inſert.

XXVI. Obicies. 2. D. Copellotti *pag*.49. auctoritatem Caietani, & Conſtantini Roncaglia refert, quorum primus 2. 2. *quæſt*.CXLVII. *art*. 8. hæc habet. *Conſuetudo eſt optima legum interpres, & communiter in populi chriſtiani obſervatione invenitur, quod diſpenſati ex impotentia evidenti ab abſtinentia carnium, ſunt totaliter abſoluti a præcepto ieiunii*. Secundus vero *tract*. (non V. ut ſcribit Copellotti) ſed IX *quæſt*. II. *cap*. I. poſtquam noſtram ſententiam propugnavit, hæc verba addit. *Dixi nihilominus, ſi conſuetudo non ſit in contrarium. Puto enim fere ubique invaluiſſe conſuetudinem, ut diſpenſatus a carnibus ſimul ſe putet diſpenſatum a ieiunio*.

XXVII. Reſp. Caietanus, ut iam probavimus, loquitur de infirmis, quorum impotentia ad ieiunium evidens eſt: deque iſtorum diſpenſatione talem conſuetudinem obtinere dicit. Diſſidium ſiquidem erat, quænam infirmitas eximeret a ieiunii lege. Ioannes Medina conſcientiam medicorum arguit, eo quod ſint nimis faciles in abſolvendis a ieiunio infirmis. Alii faciliores erant in diſpenſatione legis ob quamcumque infirmitatem. Caietanus, ſecuræ viæ inſiſtens, ſtatuit, conſuetudinem iam obtinere pro diſpenſatione, quando infirmitas reddit ad ieiunandum Chriſtianos *evidenter impotentes*: quæ ſola duo verba manifeſte confirmant reſponſionem. Nullibi Caietanus quæſtionem movet de Chriſtianis ſanis, & robuſtis, qui, ob nauſeam dumtaxat piſcium, edendarum carnium impetrant licentiam. Sed ſolum de infirmis ſermonem habet. Statuit autem infirmitatem, quæ gravis non

eſt, nec evidenter impotentes reddit Chriſtianos ad ieiunium, non liberare a ieiunii lege.

XXVIII. Conſtantinus Roncaglia *putat* eſſe eiuſmodi conſuetudinem; ſed falſiſſime id putat. Quoniam in primis, ſi ipſe putat, ego autem non puto; quin manifeſta experientia ſcio, contrariam obtinere conſuetudinem, ſi a corruptela conſuetudo diſtinguatur. Si de experientia ſermo ſit, in quaque fere civitate Italiæ, quam univerſam quaſi peragravi, Confeſſarios, & pœnitentes chriſtianos offendi, qui ieiunium cum eſu carnium coniungendum eſſe tenent, & occaſione data, opere id præſtant. Soli vero relaxati fideles, aut benigniorum Caſuiſtarum doctrina imbuti, ieiunium non ſervant. Iſti ne conſuetudinem conſtituunt? Quanam igitur, amabo te, fronte evulgari poteſt, conſuetudinem ubique invaluiſſe, ut diſpenſatus a carnibus, ſit itidem a ieiunio ſolutus? Si apud Indos, Garamanteſque hæc ſcriberentur, utcumque tolerari poſſent; in Italia vero, immo in Europa, nullo modo. Anne Romæ conſuetudo iſthæc viget, ſi tres Romani Pontifices oppoſitum ſtatuerunt, ſinguliſque annis decretum adverſus contrariam corruptelam civitati indicitur? An in Veneta civitate, ſi Synodus diœceſana ieiunium præcipit? An in ceteris civitatibus, in quibus Epiſcopi communiter idem ieiunium præſcribunt? An in Germania, an in Gallia, ubi pariter Epiſcopi carnes non concedunt, niſi conditione ieiunii impoſita?

XXIX. Obiicit 3. D. Copellotti. Plurimi Theologi, quin plures ſancti Patres, docent ieiunium cum eſu carnium pugnare. Ergo, ſin probabilior, ſaltem probabilis erit hæc opinio. Reſp. Quod ad Patres attinet, obiectio perridicula eſt omnibus iis qui vel a limine Patres ſalutarunt. Falſum quoque eſt plurimos Theologos talem docere opinionem, Pauci dumtaxat Caſuiſtæ recentes, & quidam Canoniſtæ expreſſe eam defendunt; & vix unus eorum pro dignitate eam verſavit; ſed alii poſt alios ivere. Omnes allegant Caietanum, Navarrum, Azorium, alioſque antiquos. At falſiſſimum cum ſit Theologos iſtos graviſſimos talem docuiſſe opinionem; conſequitur poſteriores Caſuiſtas eſſe veluti teſtes de falſo auditu, qui quamtumvis multiplicati, nullius ſunt auctoritatis. Illi vero Theologi qui inter antiquos recenteſque mediæ ſunt ætatis, quive hanc docuerunt opinionem, alteram quoque propugnarunt de exemptione a debito recitandi partem divini officii, quando omnes divinæ laudes celebrari nequeunt, eo quod maior pars trahat ad ſe minorem. Et ex hoc reprobato principio intulerunt, diſpenſatum a carnium abſtinentia, eſſe diſpenſatum ab unica comeſtura, quæ eſt pars iuxta illos minus principalis ieiunii. Quare neque iſti ſunt in hac materia alicuius auctoritatis. Denique alii, ut Ioannes la Cruz, ſimileſque, non diſtinguunt infirmos a ſanis. Et illi pauci qui clare hanc defendunt ſententiam, ſunt meri compilatores. Idcirco, ſi auctoritatem ſpectemus, hæc opinio omnino eſt improbabilis; ſi rationem, aperte falſa.

XXX.

Digitized by Google

XXX. Ultimo tandem D. Copellotti ſuum adverſarium increpat, quod Caſuiſtas traduxerit, tamquam Doctores capaces pronunciandi ſophiſmata, aut ſententias ineptas. In lectoris ſolamen pauca ex Copellotti iſthuc tranſcribam. *Pag.* 124. hæc habet. „ Tre coſe tra le altre mi ſono ſpiaciute, e credo ſaranno ſtate biaſimate „ da ogni perſona che profeſſi buono dettame di oneſtà. La prima ſi è quello „ ſconvenevole ſentimento di ſiſtema, ch'egli in più luoghi del ſuo dicimento ha „ manifeſtato contro i Profeſſori della morale Teologia, *figurandoſeli capaci di* „ *pronunciare ſofiſmi, ed inezie, per renderli in sì fatta maniera oggetti delle altrui* „ *dicerie, e dileggiamenti. Mette al libro delle loro opinioni, che il digiuno ſia un* „ *compoſto metafiſico* &c. " Multa alia refert Caſuiſtarum dignitati minus congrua, a ſuo adverſario prolata. Poſtea ſic concludit *pag.* 125. „ La morale Teologia non „ è un torbido torrente di oſcuri ſofiſmi: ella è una limpidiſſima fonte di que' „ chiari ſentimenti dell'animo che ci ſono di guida all'eterna felicità. I di lei „ Profeſſori, ſolo intenti a regolare le umane operazioni giuſta le leggi della „ criſtiana carità, non attendono a ſpiegare le coſe con metafiſiche ſpecolazio- „ ni: ed io, che, toltene le coſe ſpettanti alla ſtoria, ed al ius, ho eſaminata la „ preſente controverſia giuſta li princìpj dalli medeſimi appreſi, non mi ſono ac- „ coſtato, come veder potete, nè pur per ombra a ſimil ſorta d'inetto ragiona- „ mento. *Il digiuno non è un compoſto metafiſico, egli è un ente morale, non divi-* „ *devole nelle componenti ſue parti, atteſa la opinione e coſtumanza delle nazioni,* „ *ed atteſo altresì l'antico, invariato, univerſale inſtituto della cattolica Romana* „ *Chieſa.* " Quæ Romana Eccleſia trium ſummorum Pontificum decretis oppoſitum decernit; ut concedit in explicatione iſtorum decretorum vel ipſe Copellotti in toto hoc ſuo libello. Næ iſte egregius cenſor? Nec capacitatem habent Caſuiſtæ pronuntiandi ſophiſmata? Metaphyſicis ſpeculationibus non indulgent? Sed quid hæc miror? Sic ſcribere debebat D. Copellotti: quia revera in nullo Caſuiſtarum ſophiſmata tam prodigioſa, ut ſunt ea quæ ipſe in hac ſua Diatriba in lucem vulgavit, reperire licet. Nunc dicit, ieiunium eſſe *indiviſibile. Avendo io* (inquit pag. 119.) *a ſufficienza dimoſtrato il digiuno conſiſtere in un eſſere indiviſibile.* Hoc eſſe individuum eſt ne morale, phyſicum, aut metaphyſicum? Nunc morale, nunc phyſicum (& ideo individuum) appellat. Nunc (ut pag. 112. & 113.) ſic arguit. *Aliqua vota ſunt individua, aliqua dividua: ergo iuxta P. La Croix præceptum ieiunii eſt individuum.* Quam, non ſophiſticam (nimis enim craſſa eſt) ſed ſibi validam demonſtrationem repetit *pag.* 126. & alibi. Si omnes D. Copellotti contradictiones referre vellem, & omnia ſophiſmata, ac potiſſimum ea, quibus *pag.* 105. *& ſeq.* involvit propoſitionem damnatam ab Innocentio XI. de recitatione horarum canonicarum; deberem integram fere Diatribam exſcribere. Sed piget me tempus prodigere.

Digitized by Google

XXXI. Longius fortaſſe quam par fuerat, hanc tractavimus quæſtionem, & aliquantiſper plus iuſto acrius. Sed veniam ſane lector dabit, ſi ſerio reputaverit, his calamitoſis temporibus nihil fere tam laxum eſſe, quod a quibuſdam fuco probabilitatis non obtegatur. Et lectores, hac anticipatione præventi, dum legunt vel paucos Caſuiſtas aliquam docere opinionem, illico inſerunt, illam eſſe probabilem. Et, quod validius in errorem eos inducit, eſt, quod exiſtiment omnes Doctores, quos allegatos legunt, eam docere ſententiam pro qua laudantur; cum tamen ſæpius falſum ſit. Ut itaque a deceptione ſubducamus lectores, neceſſitas urget illos admonere, occaſione data, quod hæc, vel illa opinio improbabilis ſit, laxiſſima, & penitus reiicienda. Quibus phraſibus minime utimur, ut quidquam illius obſequii, quo Auctores omnes colimus, detrahamus; ſed ut in veritatis ſemitam, quoad fieri per nos poteſt, lectores noſtros revocemus. Verum in ſemitam revertamur. Concludamus ergo. Præcepta Eccleſiæ, poſitiva cum ſint, ſumma benignitate, non vero ſumma laxitate, interpretanda eſſe & ipſe conſentio. Laborantes gravi morbo & a ieiunio, & a carnium prohibitione liberi ſunt. Qui ſani cibos quadrageſimales nocuos ſibi experiuntur, lacticiniis, & ovis utantur, ac ieiunent. Si lacticinia, & ova faſtidiunt, carnes comedant; ſed, ſi valent, ieiunent. Quibus ſatis eſt unica comeſtio, bina non permittatur. Si virium debilitas eiuſmodi eſt, ut duplicem requirat refectionem, hæc concedatur; ſed, ſi cibi quadrageſimales ſufficiunt, non permittantur lacticinia; & quibus ſufficiunt lacticinia, non concedantur carnes. Quid benignius? Quid ſuavius? E contrario quid laxius, quid perniciosius, quam tantæ eccleſiaſticæ indulgentiæ abuſus? Quænam propriæ ſalutis æternæ manifeſtior contemptio quam neglectus remediorum quæ & a lege præcipiuntur, & ſine gravi incommodo executioni mandari poſſunt? Sed de hoc pluſquam ſatis, cum finita iam controverſia ſit. Duo ſiquidem diplomata pontificia quæ ſupra indicavi, ad ieiunandum fideles aſtringunt.

XXXII. Quæſt. I. *Quot peccata committat qui pluries die ieiunii carnes comedit?* Reſp. Toties peccat, quoties carnes comedit. Quoniam præceptum prohibens carnium eſum, negativum eſt, quod toto die obligat. Ergo in qualibet comeſtione infringitur. Hæc ſententia communis eſt. Quemadmodum communis eſt altera, quæ docet, eum qui ova, & lacticinia in ieiunio quadrageſimali comederet, peccatum perpetrare. Quin toties peccaret, quoties ova comederet. Quia præceptum iſtud, non ſecus ac alterum de carnium abſtinentia, negativum eſt, & ab eodem diſtinctum. Quatenus diſtinctum, illius violatio peccatum eſt; & prout negativum, multiplicationem infert peccatorum.

XXXIII. Quæſt. II. *An qui votum emiſit non comedendi tali die carnes, aut ova, toties peccet, quoties carnes comedit, vel ova?* Reſp. Communior opinio docet, hunc toties peccare, quoties carnes comedit: quia votum iſtud ſimile eſt omni-

omnino præcepto negativo. Quare, ſicut iſtius repetita tranſgreſſio multiplicat peccata; ita & voti non comedendi carnes, vel alios delectos cibos, violatio. Secus dicendum de eo qui ieiunium vovit tali die. Violato ſiquidem ieiunio per carnium comeſtionem, non poteſt amplius illo die ieiunium ſervare. Quoniam directe abſtinentia a carnibus non vovetur; ſed ſolum conſequenter ratione ieiunii. Peccaret igitur in prima comeſtione; non in ſecunda, & tertia. Ad ieiunandum tamen alio die obſtrictus eſſet. Et hinc patet diſcrimen inter obligatum vi voti, & obligatum vi præcepti eccleſiaſtici. Qui vi præcepti tenetur hac die ieiunare, ſi ieiunium frangat, non obſtringitur alio die ieiunare. Et in hoc ieiunio, ut dictum eſt, duo conſiderantur præcepta: quorum unum præcipit unicam comeſtionem, alterum abſtinentiam a carnibus. Violato primo, conſiſtit ſecundum. Hæc duo non diſtinguit vovens; ſed ieiunium per modum unius promittit tali die peragendum. Ideo ſemel tantum peccat in prima tranſgreſſione, minime in ſequentibus; ſed alio die implere debet votum ſuum.

XXXIV. Quæſt. III. *An in iis regionibus in quibus eſt penuria olei, licitum ſit uti ſagmine illis diebus quibus eſus carnium vetitus eſt?* Reſp. Quidam negant; ſed communior ſententia adfirmat. Ego vero cenſeo neceſſariam eſſe Superiorum, ad quos attinet, diſpenſationem. Neque cuiuſque eſt decernere, quando nec ne talis urgeat olei penuria, quæ ſufficiat pro licito uſu ſagminis, ſeu lardi.

CAPUT V.

De abſtinentia a lacticiniis. Licita ne ſunt in ieiunio quadrageſimali, aut extraquadrageſimali?

I. IN primitiva Eccleſia in uſu fuiſſe abſtinentiam a lacticiniis, manifeſtum eſt: quoniam, ut Tertullianus, aliique Patres narrant, primi Chriſtiani xerophagiis in quadrageſimali ieiunio veſcebantur, ideſt, cibis aridis, & exſiccatis. Hinc Concilium Laodicenum, celebratum anno 315. *can.* l. hoc edidit decretum. *Non oportet in Quadrageſimæ quinta feria ultimæ hebdomadæ ieiunium diſſolvi, & totam Quadrageſimam inhonorari; ſed per totos hos dies ieiunare, & eſcis abſtinentiæ convenientibus, ideſt aridioribus, uti.* Quam conſuetudinem, comedendi nimirum cibos aridos, & exſiccatos, uſque ad Gregorium Magnum obtinuiſſe, contendit Chriſtianus Lupus in notis ad *can.* lvi. Trullanum: vultque ab hoc Pontifice Romanam Eccleſiam indulgentiam accepiſſe veſcendi piſcibus, oleoque utendi diebus dumtaxat dominicis Quadrageſimæ, & in feſto Annuntiationis; ceteris autem Quadrageſimæ diebus xerophagias comediſſe. Verum, ad piſcium

Digitized by Google

ſcium uſum quod attinet, anteriorem ipſum fuiſſe Gregorio magno, colligitur ex cap. *Denique*, ubi hæc habentur. *Ceterum piſcium eſus ita Chriſtiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis ſolatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui carne abſtinent, nequaquam ſumptuoſiora marinarum belluarum convivia præparent.* Potiori itaque iure ab ovis, & lacticiniis abſtinebant. Quod conceptis verbis teſtatur Gregorius magnus in reſponſione data ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum: rationemque aſſignat, uti habetur *I. Par. Decr. diſt.* IV. cap. *Denique*, his verbis. *Par autem eſt ut nos qui his diebus a carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque quæ ſementinam carnis trahunt originem ieiunemus, a lacte videlicet, caſeo, & ovis.* Clarius colligitur eiuſmodi abſtinentia ex Synodo ſexta generali Conſtantinopolitana, ſub Imperatore Iuſtiniano celebrata, in qua *canone* LVI. hæc habentur. *Similiter accepimus, & in Armenorum regione, & in aliis locis, in ſabbatis, & dominicis ſanctæ Quadrageſimæ quoſdam ova, & caſeum comedere. Viſum eſt ergo & hoc, ut omnis Dei Eccleſia, quæ eſt in univerſo terrarum orbe, unum ordinem ſequens, ieiunium perficiat, & abſtineat, ſicut ab omni mactabili, ſic ab ovis, & caſeo, quæ quidem ſunt fructus, & fetus eorum a quibus abſtinemus. Si autem hoc non ſervaverint, ſi ſunt quidem Clerici, deponantur; ſi autem laici, ſegregentur.* Et quamquam eiuſmodi recitatus canon non ſit Concilii ſexti, ſed Concilii Trullani, quod Quiniſextum nuncupatur, & cum ſapientiſſimo Cano *Lib. V. de loc. theol. cap. ult.* concedamus, canones Trullenſes eccleſiaſticam non habere auctoritatem; nihilominus validi ſunt præfati canones ad manifeſtandam conſuetudinem quæ ſexto labente ſæculo obtinebat circa abſtinentiam a lacticiniis in quadrageſimali ieiunio. Et profecto, niſi in Eccleſia occidentali eiuſmodi abſtinentiæ uſus viguiſſet, Patres Trullani reprehendiſſent Eccleſiam Romanam; quemadmodum illi improperarunt *canone* LIV. quod in Quadrageſima die ſabbati ieiunaret. Denique Eccleſiam Romanam ſemper in ieiunio quadrageſimali abſtinuiſſe ab ovis, & lacticiniis, teſtatur etiam Nicolaus I. in epiſtola data adverſus Photium ad Michaelem Imperatorem. Siquidem, Photio calumniante Eccleſiam Latinam, quod in Quadrageſima lacticinia comederet, Imperatori reſpondit Pontifex Nicolaus: *Quod ſeptem ante Paſcha hebdomadibus, a caſeo, & ovorum eſu more ſuo non ceſſemus, calumnia eſt; cum in Italia numquam in uſu fuerit: Tranſmontes tamen id ex magna cauſa alicubi apparet conceſſum.* Numquam igitur, teſte Nicolao ſummo Pontifice, uſus fuit lacticiniorum in Italia; licet Tranſalpinis, quibuſdam graviſſimis de cauſſis, privilegium veſcendi iiſdem acticiniis conceſſum fuerit.

II. Iſtius conſuetudinis rationem aſſignat D. Thomas, inquiens, quod carnes & lacticinia magis nutriunt, & delectant, irritantque concupiſcentiam, cuius refrenationem ieiunium ſpectat. Et, poſtquam in corpore articuli ſtatuit, merito

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiam in ieiuniis iſtorum ciborum uſum prohibere , momenta poſtea explicat cur potiſſimum in Quadrageſima hanc præcipiat abſtinentiam , En illius verba 2. 2. quæſt. cxlvii. art. 8. ad 3. *Inter alia ieiunia ſolemnius eſt quadrageſimale ieiunium : tum quia obſervatur ad imitationem Chriſti ; tum etiam quia per ipſum diſponimur ad Redemptionis noſtræ myſteria devote celebranda . Et ideo in quolibet ieiunio interdicitur eſus carnium ; in ieiunio autem quadrageſimali interdicuntur univerſaliter etiam ova , & lacticinia ; circa quorum abſtinentiam in aliis ieiuniis diverſæ conſuetudines exiſtunt apud diverſos ; quas quiſque obſervare debet ſecundum morem eorum inter quos converſatur . Unde Hieronymus dicit de ieiuniis loquens : Unaquæque Provincia abundet in ſuo ſenſu , & præcepta maiorum leges apoſtolicas arbitretur .*

III. Quæſt. I. *An iure communi , & ſub gravi culpa lacticinia prohibita ſint in ieiunio eccleſiaſtico ?* Reſp. Peroptime S. Thomas loco laudato eccleſiaſticum ieiunium partitus eſt in quadrageſimale , & in ieiunium quod extra Quadrageſimam peragitur; ut ſunt ieiunia quatuor temporum , vigiliarum, & alia , Covarruvias *Lib. IV. var. Reſ. cap.* xx. *num.* 15. contendere videtur, in omnibus ieiuniis eccleſiaſticis lacticinia eſſe interdicta . Fagundez ex adverſo propugnat , in nullo eccleſiaſtico ieiunio ſub gravi culpa vetita eſſe lacticinia . Verum Catholici omnes nunc ſuſtinent ſententiam quam D. Thomas docuit , nempe lacticinia in quadrageſimali ieiunio ſub gravi culpa vetita eſſe . Quoniam id colligitur tum ex allegatis documentis, tum ex declaratione Eccleſiæ , quæ hanc damnavit propoſitionem , quæ ex proſcriptis ab Alexandro VII. eſt 32. *Non eſt evidens quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget*. Quod vero obligatio iſthæc ſit ſub culpa mortali , manifeſtum eſt tum ex decretis iuris communis : tum ex canone Concilii Trullani, quod, licet decennio poſt celebratam Synodum generalem ſextam habitum fuerit in palatio imperiali , *Trullum* nuncupato, a quibuſdam orientalibus Epiſcopis, & idcirco non polleat auctoritate eccleſiaſtica in omnibus ſuis decretis, quorum aliqua iniurioſa ſunt Romanæ Eccleſiæ ; nihilominus, ad hoc quod attinet, doctrinam univerſalem Eccleſiæ exponit, quam fideles omnes ſuſceperunt, & approbarunt, non quia in canone Concilii Trullani contenta, ſed quia a Patribus antiquitus tradita ; tum ex communi omnium Catholicorum conſenſu ; tum denique ex conditione materiæ , quæ gravis eſt. Conſuetudines autem eccleſiaſticæ in materia gravi graviter obligant . Cum ergo ex declaratione Eccleſiæ evidens ſit hanc conſuetudinem eſſe obligantem , evidens quoque eſt eam ſub gravi culpa obligare. Nec eſt cur in probanda veritate quam omnes Doctores nunc defendunt, diutius immoremur.

IV. Quæſt. II. *An diebus dominicis Quadrageſimæ eiuſmodi lacticinia ſub eadem gravi culpa vetita ſint ?* Reſp. Negant plures Caſuiſtæ ; ſed communiſſima ſen-

ten-

Digitized by Google

tentia docet, eamdem eſſe obligationem abſtinendi a lacticiniis diebus dominicis Quadrageſimæ, ac ceteris eiuſdem Quadrageſimæ diebus. In laudato ſiquidem cap. *Denique* abſolute in Quadrageſima lacticinia prohibentur. At dies dominici ſunt vere dies Quadrageſimæ: quapropter iiſdem diebus a carnibus fideles abſtinent. Ergo, ſi tum carnes, tum lacticinia in Quadrageſima prohibentur; ſicuti ab illis, ita ab iſtis abſtinendum eſt diebus dominicis. Diana coordinatus *tract.* VI. *reſol.* LIV. *num.* 2. refert, contrariam ſententiam, iubente tribunali ſupremæ, & univerſalis Inquiſitionis Romanæ, & ſacra Indicis Congregatione, expunctam fuiſſe ex libro cuiuſdam recentis Caſuiſtæ. Quare neque in hac refellenda opinione plus temporis terendum eſt.

V. Quæſt. III. *An in ieiuniis extra Quadrageſimam lacticinia, & ova vetita ſint?* Reſp. D. Thomas in allegata doctrina ſatis clare indicat, extra quadrageſimale ieiunium lacticinia communi aliquo iure haud eſſe prohibita: ſed quiſque, inquit ille, ſuæ patriæ conſuetudinem amplecti debet. Quoniam, ubi hæc conſuetudo obtinet, ſicuti in non paucis regionibus obtinere certum eſt a tempore immemorabili, obligat ſub gravi culpa. Et ſane in pluribus Italiæ provinciis, ubi hæc viget abſtinentiæ conſuetudo in ieiuniis extra Quadrageſimam, fideles ſibi gravi culpæ verterent, ſi lacticinia, vel ova præfatis diebus comederent. In propoſitione damnata ab Alexandro VII. ſolius quadrageſimalis conſuetudinis mentio fit, quia ſola conſuetudo Quadrageſimæ eſt univerſalis pro tota Eccleſia. Conſuetudo autem pro aliis ieiuniis non eſt univerſalis, ſed particularis: idcirco iſtius non meminit Pontifex ſummus; ſed cuique reliquit, ut peculiarem propriæ patriæ conſuetudinem obſervet.

VI. Quæſt. IV. *An Regulares ſubiecti ſint conſuetudinibus quæ in pluribus regionibus obligant ſæculares ad abſtinendum a lacticiniis in ieiuniis extra Quadrageſimam?* Reſp. Leander *tract.* V. *diſp.* III. *quæſt.* VII. docet, abſolute non eſſe ſubiectos, hac ratione quod Regulares ſint diverſi ſtatus a ſæcularibus; ac proinde eorum conſuetudinibus non ligantur. Leandri opinioni plures alii accedunt. Oppoſita opinio communior eſt. At, ſi variarum conſuetudinum genera diſtinguantur, pauci invicem diffidebunt. Aliæ namque ſunt conſuetudines univerſales pro tota Eccleſia, ad quas tum ſæculares, tum Religioſi omnes tenentur. Aliæ ſunt peculiares Clericorum, aliæ ſæcularium, aliæ Regularium. Hæ non obligant extra limites illius ſtatus in quo reperiuntur. Aliæ tandem ſunt conſuetudines provinciarum, quæ, nulla ſive ſæcularium, ſive Religioſorum diſtinctione facta, indiſcriminatim omnes obligant. His generalibus conſuetudinibus provinciarum, quæ communiter receptæ ſunt ab omnibus, tum Religioſis, tum laicis, obnoxios eſſe Regulares commorantes in dictis provinciis, ambigendum non eſt. Conſuetudo autem, quæ in pluribus regionibus viget, abſtinendi a lacticiniis in ieiuniis ex-

extra Quadrageſimam, eſt univerſaliter recepta ab omnibus, etiam ab ipſis Regularibus. Ergo eidem conſuetudini ipſi Regulares ſubiecti ſunt. Paucis: non ideo tali conſuetudini ipſi Regulares ſubiecti ſunt, quia a populo inducta eſt; ſed quia in eamdem ipſi Regulares conſenſerunt. Si enim ſub initium reſtitiſſent, liberi forent.

VII. Quæſt. V. *An pauperes, agricolæ, & iter agentes poſſint diebus Quadrageſimæ veſci lacticiniis, & ovis iis in locis in quibus piſces, & oleum deficiunt?* Reſp. Pauperes duplicis generis diſtinguo. Alii oſtiatim mendicant alimentum; alii in oppidis morantur, ubi piſces habere nequeunt. Quo in genere etiam ſunt agricolæ, & ruſtici in villis domicilium habentes, ubi piſces pariter, & pecuniæ quibus emantur, deficiunt. Omiſſis variis dicendi modis, in primis dicendum videtur, pauperes, oſtiatim mendicantes, ſi cibo quadrageſimali careant ſufficienti pro unica comeſtione, poſſe ova, & lacticinia comedere; ſecus, ſi cibos eſuriales habeant, qui pro unica congrua comeſtione ſufficiant. Siquidem quiſque tenetur ieiunium obſervare meliori quo valet modo; nimirum qui nequit illud ſervare integre, & adæquate, debet ipſum obſervare quo ad partes illas quas implere poteſt. Sic qui caret cibis quadrageſimalibus pro unica comeſtione, abundat vero lacticiniis, hæc comedere ſemel in die poterit; & hac via ſervare ieiunium ſecundum potiorem, potiſſimamque illius partem, quæ eſt unica comeſtio. Qui vero nec cibos eſuriales, nec lacticinia, quæ pro una ſufficiant comeſtione, habent, a ieiunio excuſantur. Sic docet Angelicus 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 4. ad 4. *Pauperes qui poſſunt ſufficienter habere quod eis ſufficiat ad unam comeſtionem, non excuſantur propter paupertatem a ieiuniis Eccleſiæ; a quibus tamen excuſari videntur illi qui fruſtatim eleemoſynas mendicant, qui non poſſunt ſimul habere quod eis ad victum ſufficiat.* Secundo dicendum eſt, agricolas, ruſticos, pauperesque in oppidis degentes, ubi deſunt piſces, ſolutos minime eſſe in Quadrageſima ab abſtinentia lacticiniorum ob hanc ſolam cauſſam, quia piſcibus carent. Quoniam, licet iſtius generis perſonæ piſcibus careant, poſſunt aliis cibis eſurialibus veſci. Ruſticorum ſiquidem, pauperumque, in oppidis, & montibus habitantium, ordinarium alimentum ex herbis conficitur, pane, leguminibus, & fructibus. Quid quod, ſi iſtis liceret manducare lacticinia, & ova, quia piſcibus, & oleo carent, id quoque licitum eſſet plebeiis plurimis in civitatibus degentibus, eo quod & iſti piſcibus careant ob defectum pecuniæ, qua poſſint eoſdem emere? Quid plura? Primi Chriſtiani, non modo ruſtici, & pauperes; ſed nobiles, diviteſque delicati, ſolis xerophagiis, ideſt cibis aridis, & exſiccatis, in Quadrageſima veſcebantur; quin a vino etiam, nedum ab oleo, abſtinebant. Et, tametſi mitior ſit recens diſciplina noſtra; non tamen eo uſque remiſſa eſt, ut quacumque ex cauſſa violari abſtinentiam quadrageſimalem permittat. Tertio iter agentes, ſi poſſint cibos habere qui

ad

ad unum congruum prandium, ſeu cœnam ſufficiant, licet deſint piſces, maxime, ſi iter ſit unius, vel alterius diei, nequeunt lacticinia comedere. Si vero & iſti cibi eſuriales deſint, veſci lacticiniis poſſunt, ita tamen ut ieiunent. Quia, ut ſæpius dictum eſt, ieiunium potiſſimum ſitum eſt in unica comeſtione, cui accedit delectus ciborum. Quare, quando utrumque ſervari nequit, relaxanda eſt abſtinentia a lacticiniis, &, ſi neceſſitas urgeat, etiam a carnibus, ut unica comeſtio obſervetur. De his omnibus tamen Epiſcopi, & locorum Parochi conſulendi ſunt. Hi ſoli poſſunt pro temporum, perſonarum, regionumque diverſitate, legis rigorem plus minuſve relaxare. Hi autem animadvertant velim, ut in hac lege interpretanda præ oculis habeant, non recentes quoſdam Caſuiſtas, qui nimium ieiuniorum legem extenuarunt, ac ferme in nihilum redegerunt; ſed primorum Chriſtianorum praxim, & Romanorum Pontificum decreta, & graviorum Theologorum ſenſa, ut utrumque extremum, laxitatis, & auſteritatis, evitare valeant.

VIII. Quæſt. VI. *An in ieiunio quadrageſimali licitum ſit edere farinam ſubactam, oviſque compactam, vulgo* ciambella? Reſp. Paſqualigus *dec.* lxxxv. *num.* 3. affirmative reſpondet: eo quod quantitas ovi quæ farinæ ſubactæ immiſcetur, licet abſolute ſeorſim accepta ſatis eſſet ad gravem ieiunii violationem; attamen farinæ immixta, ita in eiuſmodi compoſitione abſorbetur, ut nullo modo ſpira, ſeu panis ille cibus ex ovis cenſeatur. Sed hæc opinio improbabilis omnino eſt. Ideo communiter Theologi docent, neminem poſſe in ieiunio quadrageſimali tali uti cibo. Ova enim abſolute vetita ſunt. Falſum eſt autem quod, quando farinæ immiſcentur, diſperdantur. Et profecto ſi quis eiuſmodi cibum comedere in Quadrageſima poſſet, eadem ratione veſci ei liceret iſicio, ſeu artocreate, vulgo *polpetta*: quod nemo dixerit.

CAPUT VI.

De unica comeſtione, ad ieiunium eccleſiaſticum neceſſaria; & de eiuſdem comeſtionis hora, quæ fuit veſpertina uſque ad ſæculum XII.

I. EX iis quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt, ieiunium eccleſiaſticum unicam admittere comeſtionem. Quamvis enim diſſidium aliquod ſit, num hæc comeſtio ſit potiſſima ieiunii pars, eiuſdemque eſſentiam conſtituat; omnes tamen adfirmant, hanc unicam comeſtionem eſſe partem ſubſtantialem, licet minus principalem, ut quidam arbitrantur, ieiunii eccleſiaſtici. Cum vero dicimus, unicam comeſtionem neceſſariam eſſe ad ieiunium, non eſt ſenſus, quod ieiunantes

Digitized by Google

ex neceſſitate, & vi præcepti debeant comedere die ieiunii ſaltem ſemel: quoniam, ſi vires ſuppetant, & notabile ſanitatis detrimentum abſit, poſſunt unum aut duos, vel plures dies abſque omni cibo tranſigere; ut de primis Chriſtianis dictum eſt. Immo ex recentioribus etiam Chriſtianis plures Sanctos colimus, quorum alii integras hebdomadas, alii integras Quadrageſimas, ut de ſancta Catharina Senenſi ferunt, ab omni cibo abſtinuere. Senſus ergo eſt, eos qui die ieiunii comedere volunt, poſſe tantum ſemel comedere: neque de hoc difficultas eſt.

II. Hora iſtius unicæ comeſtionis primis Eccleſiæ ſæculis fuit veſpertina, ideſt poſt ſolis occaſum. Quæ hora videtur ieiunio congrua. Ieiunium enim, ut alias dictum eſt, inediam, ſeu abſtinentiam ab omni cibo importat. Ille itaque proprie integrum diem ieiunare dicitur qui per totum diem nihil cibi ſumit. Diei autem menſura eſt ab ortu ſolis uſque ad eiuſdem occaſum; quemadmodum contra noctis horæ numerantur ab occaſu ſolis uſque ad illius ortum die ſequenti. Ceterum abſtinentia ieiunii eccleſiaſtici nunc initium ducit immediate poſt mediam noctem; ita ut media nox quæ proxime ſolis occaſum conſequitur, ad diem præcedentem, & altera media nox quæ ſolis ortum præcedit, ad diem ſequentem pertineat. Ieiunium in veteri lege peragebatur unica comeſtione poſt ſolis occaſum. Eccleſia hoc ipſum ieiunium iuxta hanc formam adoptavit, ſublata ſuperſtitione Iudæorum, qui veſperis ſtellæ ortum, antequam ieiunium ſolverent, expectabant. Solum autem quadrageſimale ieiunium primi Chriſtiani uſque ad veſperam producebant. Alia enim ieiunia, ut feriæ IV. & VI. ſtationum, vigiliarumque, prout alibi dictum eſt, ad nonam ſolvebant. Heinc Tertullianus, Montaniſta factus, arguebat Catholicos, quod Montaniſtas novitatis poſtularent, eo quod ieiunia ſtationum ad veſperam producerent. Inquit enim Lib. de ieiunio cap. X. *Æque ſtationes noſtras, ut indignas, quaſdam vero & in ſerum conſtitutas, novitatis nomine incuſant.* Ieiunia vero Catholicorum ſemiieiunia appellabat, quod ad veſperam producta non eſſent. Itaque clarum eſt, ætate Tertulliani, nempe exeunte ſæculo II. & ineunte III. in Eccleſia viguiſſe diſciplinam ſolvendi ieiunium dumtaxat poſt ſolis occaſum. Hanc eamdem diſciplinam obtinuiſſe ſæculo IV. teſtatur D. Baſilius hom. I. de ieiunio. *Veſperam expectas ad ſumendum cibum; ſed diem in foro iudicii conſumis.*

III. Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus, qui ſæculo V. floruit, teſtatur ſuo tempore ieiunium quadrageſimale ad veſperam uſque conſueviſſe produci. Hæc enim ſcribit *epiſt. ad Amandum* de quodam hoſpite, tempore Quadrageſimæ a ſe ſuſcepto. *Quotidiana ieiunia non refugit, & pauperem menſulam veſpertinus conviva non horruit: &, quod magis mirum eſt, calicibus noſtris contentus fuit.* Theodulphus Aurelianenſis, qui claruit ſub finem ſæculi ſexti, in ſuo capitulari

ri *cap.* XXXIX. uſum præfatæ diſciplinæ confirmat his verbis. *Concurrendum eſt enim ad Miſſas, & auditis Miſſarum ſolemnibus, & veſpertinis officiis, largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, ut ad Miſſam venire non valeat, æſtimata veſpertina hora, completa oratione, ieiunium ſolvat.* Octavo currente Eccleſiæ ſæculo ieiunium productum fuiſſe ad veſperam uſque, colligitur ex Actis Caroli magni, in quibus illorum Scriptor, qui fuit Monachus S. Galli, narrat Imperatorem hunc fuiſſe reprehenſum ab Epiſcopo quodam, eo quod ieiunium quadrageſimale hora ſolviſſet octava. Sæculo nono exeunte eadem ieiunii diſciplina viguit, ut deducitur ex regula quæ nuncupatur Magiſtri, in qua *cap.* XLIV. hæc habentur. *Ieiunia Quadrageſimæ protrahantur in veſperam, ideſt poſt lucernaria.* Tempore illo veſpertinæ preces celebrabantur poſt ſolis occaſum lucernis accenſis. Micrologus libro de obſervationibus eccleſiaſticis *cap.* XLIX. teſtatur ſæculo undecimo, in quo claruit, eamdem fuiſſe diſciplinam quadrageſimalis ieiunii. *Quadrageſimaliter*, inquit, *ieiunare non cenſemus, ſi ante veſperam reficiamur . . . In hoc quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus.* Tandem D. Bernardus *ſerm.* V. de Quadrageſima, ſæculi XII, in quo floruit, diſciplinam in ieiunio ſervatam deſcribit; atque ieiunium monachale diſtinguit a ieiunio eccleſiaſtico, quod iſtud poſt veſperam, illud hora nona ſolvebatur. *Hactenus uſque ad nonam ieiunavimus ſoli; nunc uſque ad veſperam ieiunabunt nobiſcum univerſi Reges, & Principes, Clerus, & populus, nobiles, & ignobiles, ſimul in unum dives, & pauper.* Ut iam dictum eſt, ieiunia omnia extra Quadrageſimam vel ipſis primis Eccleſiæ ſæculis ſolvebantur hora nona. At uſque ad ſæculum XII. ieiunium quadrageſimale nonniſi ſub veſperam inclinata iam die ſolvebatur.

IV. Hæc quadrageſimalis ieiunii diſciplina, temporis decurſu, relaxari cœpit; & ieiunium quadrageſimale, quemadmodum cetera ieiunia, non ultra horam nonam produci in conſuetudinem venit. Quo præciſe tempore remiſſa hæc fuerit diſciplina ſolvendi ieiunium poſt veſperam, haud eſt facile deſignare. Illud unum ſcimus, quod ſæculo XIII. conſuetudo obtinebat ſolvendi ieiunium quadrageſimale hora nona. Id afferunt duo eiuſdem ſæculi celebres Scriptores, D. Thomas, & Alexander Alenſis, rationeſque promunt, cur conveniens ſit hora nona ieiunium ſolvere. Nam D. Thomas hæc ſcribit 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 7. *Ieiunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ. Unde oportet quod aliquid addat ſupra communem conſuetudinem; ita tamen quod per hoc non multum natura gravetur. Eſt autem debita, & communis conſuetudo comedendi hominibus circa horam ſextam: tum quia iam videtur eſſe completa digeſtio nocturno tempore naturali calore interius revocato propter frigus noctis circumſtans, & diffuſio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei uſque ad ſummum ſolis aſcenſum: tum etiam quia tunc præcipue*

Digitized by Google

natura corporis humani indiget iuvari contra exteriorem aeris calorem, ne humores interius adurantur. Et ideo, ut ieiunans aliquam afflictionem ſentiat pro culpæ ſatisfactione, conveniens hora comedendi taxatur ieiunantibus circa horam nonam. Convenit etiam iſta hora myſterio paſſionis Chriſti, quæ completa fuit hora nona, quando inclinato capite tradidit ſpiritum. Ieiunantes enim, dum ſuam carnem affligunt, paſſioni Chriſti conformantur. Hoc ipſum teſtatur Alexander Alenſis Sum. Theol. IV. P. quæſt. XXVIII. memb. 7. art. 2. *Quia afflictio in ieiunio debet eſſe tolerabilis, non corruptiva naturæ, debet etiam eſſe conformis afflictioni Chriſti in cruce: ac ideo magis conveniens ad reficiendum tempore ieiunii eſt hora nona.* Hæc, quæ pro ſolvendo ieiunio hora nona momenta afferunt D. Thomas, & Alexander Alenſis, piæ ſunt congruentiæ, non rationes, quæ neceſſitatem inferant ſic faciendi. Quoniam temporis decurſu ieiunium ſolvi cœptum eſt hora ſexta, quæ eſt hora meridiana. Quo præciſo tempore hæc ſecunda comeſtionis anticipatio contigerit, ignoramus. Tempore D. Antonini Archiepiſcopi Florentini, qui florebat ſæculo XV. & e vivis deceſſit anno 1459. adhuc vigebat conſuetudo non ſolvendi ieiunium ante horam nonam; ut colligitur ex eius Summa *II.P. tit.* VI. *cap.* 11. *§.* 10. Ad ſummum ergo labente ſæculo XV. & XVI. ineunte mutatio horæ nonæ in horam ſextam facta eſt. Primum itaque ieiunium ſolvebatur ſub veſperam, nempe poſt ſolis occaſum; deinde hora nona, quæ eſt tertia poſt meridiem; & tandem hora ſexta, quæ eſt hora meridiei. Ut tamen aliquod antiquæ conſuetudinis veſtigium ſuperſit, horæ veſpertinæ anticipantur: & cum olim ſub ſolis occaſum, accenſis lucernis, celebrarentur, nunc circiter meridiem perſolvuntur; ſolumque poſt horas veſpertinas celebratas, quadrageſimale ieiunium ſolvitur. Et hac ratione, quod poſt veſperam comeditur, hæc comeſtio, non prandium, ſed cœna nuncupatur.

V. Ex his viciſſitudinibus quibus hora ſolvendi ieiunium obnoxia fuit, compertum eſt, ad ſubſtantiam ieiunii parum referre tempus quo ſolvitur. Quamobrem ſine ullo fundamento Dallæus, Piceninus, aliique Reformati effutiunt, Catholicos nullum ſervare ieiunium, eo quod neque ad veſperam, neque ad nonam illud producant. Quandoquidem definitio temporis, quo ieiunium ſolvatur, ab Eccleſia pendet, quæ pro circumſtantiarum opportunitate tempus iſtius ſolutionis variare poteſt. Et, ſi intimam rationem ieiunii ſpectemus, æque corpus affligit, carnemque macerat qui ieiunium ſolvit hora ſexta quam qui ſolvit hora nona, aut veſpertina; dummodo unicam ſervet comeſtionem. Nam tantum temporis interfluit ab hora ſexta huius diei ad horam ſextam alterius diei, quantum interfluit ab hora ſive nona, ſive veſpertina hodierna uſque ad horam veſpertinam, vel nonam ſequentis diei. Non hinc tamen colligas velim, quemque poſſe ex arbitrio ieiunii horam antevertere. Quoniam hora ſolvendi ieiunium eccleſiaſticum ab

Digitized by Google

Eccleſiæ pendet voluntate. Cum itaque eccleſiaſtica conſuetudine ſtatuta ſit hora ſexta, ſeu meridiana pro ieiunii ſolutione, nemo poteſt privata auctoritate eiuſmodi horam anticipare; ſicuti quiſque poteſt, amota ſuperſtitione, eamdem prorogare. Quandoquidem Eccleſia non imperat, ſed tolerat, ut hora ſexta ſolvatur ieiunium; quemadmodum animadvertit Bellarminus *Lib. II. de bon. oper. cap.* 11. ubi inquit, *non deeſſe inter Catholicos qui unica omnino refectione contenti, nihil omnino cibi deguſtent, niſi vel hora nona, vel ſub veſperam. Neque enim ignorant, ieiunium tanto eſſe perfectius, quanto diutius refectio, ſive cœna differtur.* Siquidem privilegium, ſive indulgentia antevertendi tempus, in quo ieiunium ſolvatur, eſt in favorem, & levamen ieiunantium: qui peroptime poſſunt tali indulgentiæ cedere; & iuxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam ad horam nonam, aut veſpertinam ieiunium producere. Quapropter concludit Bellarminus loco laudato in fine capitis: *Sed quamvis hæc ita ſint, & probabilem cauſſam ſuæ conſuetudinis habeant, qui ieiunium ſolvunt hora ſexta; tamen fatendum eſt, melius illos facere qui more veteri non ante horam nonam, & in Quadrageſima non ante veſperam cibum capiunt.*

VI. Iſtius relaxatæ diſciplinæ originem in Monachos quidam refundunt; maxime ſi de horæ veſpertinæ in horam nonam mutatione ſermo ſit. Cum enim Monachi ſub mediam noctem nocturnas laudes perſolverent; incommodum non leve experiebantur, dum poſt ſolis occaſum cibum capiebant. Cibus enim ſerotinus minus ad vigilias preceſque nocturnas aptos illos reddebat. Hoc ſatis aperte indicat Caſſianus *coll.* 11. *cap.* XXVI. ubi inquit: *Recens eſcæ perceptio tam veſpertinis, quam nocturnis orationibus tenuem, levemque ſenſum non ſinit inveniri: ideoque commodum ſatis, & utile hora nona refectionis tempus indultum eſt: in quo reficiens Monachus, non ſolum in nocturnis vigiliis levis, & vacuus, verum etiam in ipſis veſpertinis ſolemnitatibus, digeſto iam cibo, invenitur aptiſſimus.* Duo hic prodit Caſſianus, & refectionem veſpertinam nocturnis orationibus incommodam; & indulgentiam, qua conceſſum, ſeu permiſſum fuit, hora nona eiuſmodi refectionem ſumere. Monachorum exemplum, temporis decurſu, ceteris Chriſtianis occaſioni fortaſſe fuit ut & ipſi horam ſolvendi ieiunium anticiparent. Nil tamen certi ſtatui poteſt; niſi quod hora ſumendi refectionem ad ieiunii ſubſtantiam non pertineat; dummodo ſemel in die comedatur. Ad horam vero quod attinet comedendi, ſtandum eſt conſuetudini ab Eccleſia approbatæ, ſive toleratæ: in idque potiſſimum fideles incumbere debent, ut vel in ipſa unica refectione temperantiæ, & ſobrietatis modum ſervent.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De collatione, ſeu refectiuncula ſerotina : & an integritati ieiunii eccleſiaſtici repugnet.

I. HOc nomen *collatio* variæ ſignificationi obnoxium eſt. Primum apud Monachos *collatio* dicta fuit ſacrorum librorum lectio, quæ ſtatis horis, maxime poſt cœnam, coram iis fiebat. Sic autem fuit dicta, quaſi *collocutio*, vel *confabulatio*, inquit apud Du Freſne in Gloſſario Smaragdus in regula *cap.* XLII. quod *de Scripturis divinis aliis conferentibus interrogationes conferunt alii congruas reſponſiones; & ſic quæ diu latuerant occulta, conferentibus pateſiunt perſpicua.* Regula ſancti Benedicti cap. XLII. *Mox ut ſurrexerint a cœna, ſedeant omnes in unum, & legat unus collationes, vel vitas Patrum, aut certe aliud quod ædificet audientes.* A collationibus monaſticis, quibus finitis ad bibendum ibatur, ſerotinæ refectiunculæ *collationum* appellationem ſortitæ ſunt. Poſt cœnam itaque una Monachi conveniebant, ſacros legebant codices, atque animæ, & ſpiritualis profectus negotia tractabant. Hoc ſacro perſoluto penſo, modo vinum, modo aquam bibebant, ut cœnæ, quam paullo ante ſumpſerant, digeſtionem adiuvarent, ſitimque extinguerent. Ab hoc Monachorum more ſuam agnoſcit originem refectio ſerotina ieiuniorum tempore, cuius nunc viget uſus.

II. Si temporis quæratur initium, quo primum iſtius refectiunculæ uſus obtinere cœperit; nil certi reponi valet. Sunt qui altius repetunt illius originem, eo quod in antiquis monumentis *collationis* nomen non raro uſurpari videant. Siquidem in capitularibus Ludovici Pii ſæculo IX. editis in *Addit.* I. *Lib. VII. cap.* LXX. legitur ſtatutum, *ut ad capitulum lectio tradatur, & collationem, ſi tempus fuerit opportunum* &c. Iſtius quoque collationis mentio fit in Concilio Nannetenſi, ex quo hunc canonem refert Ivo Carnotenſis Part. VI. cap. CLV. *Quando Presbyteri per calendas ſimul conveniunt, poſt peractum divinum myſterium, ad neceſſariam collationem, non quaſi ad plenam refectionem, ſed quaſi ad prandium, ibi ad tabulas reſideant, ne per talia inboneſta convivia ſe invicem gravent.* Si canon iſte genuinus eſſet, dubio procul validum præberet argumentum aſſerendi, fuiſſe in hoc Concilio collationem pro refectione acceptam. Sed canon iſte corruptus eſt, quem ſic reſtituit Buccardus Lib. II. cap. CLXIV. *Poſt peractum divinum myſterium, & neceſſariam collationem*, ideſt neceſſariam collocutionem, ſeu conferentiam : Miſſa ſiquidem peracta, & habita collocutione ſpirituali, quæ inter acta ſynodalia fieri conſueverat, ad menſam, ut ſe reficerent, ſedebant Patres. Cui expoſitioni congruit quod ſtatim in laudato canone ſubditur. *Sic & qui ad cœnam dominicam, ideſt col-*

Digitized by Google

lationem verbi, ſub occaſione conveniunt, & ex veritate, ventris cauſſa coniunguntur, reprehenſibiles coram Deo, & hominibus habentur. Satis aperte iſthic exprimitur, collationis nomine ſpirituale colloquium intelligendum. Quia vero in huiuſmodi colloquiis, quæ poſt ſacra peracta myſteria fieri ſolebant, abuſus irrepſerat opipara inſtruendi convivia; Patres laudati Concilii, ut huic malo proſpicerent, decreverunt ut poſt Miſſam, & ſpiritualem collationem, honeſtum, moderatumque prandium pararetur. In Regula Templariorum approbata in Synodo Trecenſi, ſub Honorio II. ſummo Pontifice celebrata, quamve divus Bernardus examinavit, videtur collatio pro refectiuncula accipi. Enimvero *cap.* XVI. hæc habentur. *Audito ſigno, ut eſt eius regionis conſuetudo, omnes ad completas oportet incedere vos; ac prius generalem collationem ſumere peroptamus. Hanc autem collationem in diſpoſitione, & arbitrio magiſtri ponimus; ut, quando voluerit, de aqua, & quando iubebit miſericorditer, ex vino temperato competenter recipiatur. Verum hoc non ad nimiam ſatietatem oportet fieri, ſed parcius: quia apoſtatare etiam ſapientes videmus*. Hic collationem pro potu, ſive aquæ, ſive vini, accipi compertum eſt. Nullius tamen fit mentio cibi.

III. Sæculo XIII. ineunte *collationem* pro ſola potus ſumptione acceptam fuiſſe, colligitur ex conſtitutionibus Ord. Præd. in quibus *diſt.* I. *cap.* VI. hæc habentur. *Tempore ieiunii hora competenti, ſacriſta ad collationem ſignum faciat; poſtea refectorarius cymbalum pulſet. Deinde Fratribus venientibus in refectorium legat lector... Infra vero lectionem bibere poterunt, facto ſigno a Prælato, & dicto (Benedicite) a lectore, dataque benedictione ab hebdomadario (Largitor omnium bonorum benedicat potum ſervorum ſuorum) finita lectione dicat qui præeſt: (Adiutorium noſtrum in nomine Domini) & tunc cum ſilentio intrent Fratres in Eccleſiam*. Nulla hic cibi mentio. D. Bonaventura eiuſdem tertiidecimi ſæculi Scriptor iſtius collationis, quatenus ſolam potus ſumptionem importat, meminit Part. I. ſpecul. diſcipl. cap. XXI. *Ad collationem tempore ieiunii faciendam duabus tantum, vel tribus, ſi indiges, bibere vicibus temperantiæ congruit honeſtati. Studet ſobrius quamdam temperantiæ legem in ipſis etiam neceſſariis obſervare*. Etiam hic altum de cibo ſilentium. Ut igitur ex plurium Scriptorum lectione colligere mihi licuit, dicendum videtur, numquam in hac ſerotina collatione quidquam cibi captum fuiſſe, quouſque conſuetudo obtinuit ſolvendi ieiunium hora tantum nona; tum vero cibum ſumere in collatione cœptum fuiſſe, cum ieiunium ſolvi cœpit hora ſexta. Et ſicut ſenſim ſine ſenſu mutatio horæ nonæ in horam ſextam facta eſt; ſic in hac collatione a potu ad cibum paullatim tranſitio contigit. Prima mutatio horæ veſpertinæ in horam nonam, pro comeſtione in die ieiunii deſignatam, ut indicatum eſt, a Monachis in ceteros fideles permanavit. Hæc ſecunda ex Summiſtarum diſputationibus originem duxit. Facta ſiquidem diei artificialis partitione in quatuor partes æquales, quarum duæ antecedunt, & appellantur tertia, & ſexta; & duæ conſequuntur meri-

Digitized by Google

meridiem, & appellantur nona, & duodecima, & quælibet trium horarum ſpatium complectitur: facta, inquam, hac diviſione, diſputari cœptum eſt, num ſolvendum ſit ieiunium hora nona completa, ideſt hora tertia elapſa poſt meridiem. Affirmabat Petrus de Palude in *IV. diſt.* xv. *quæſt.* III. ſi ſermo ſit de ieiunio quadrageſimali, quod iuxta omnes ceteris ieiuniis ſeverius eſt. Alii circiter horam nonam, ideſt intra illud ſpatium trium horarum quod horam nonam conſtituit, ſolvi poſſe ieiunium docebant. Hora enim nona, inquiebant, ſtatim poſt elapſam meridiem incipit. Ut ergo dicatur ſolvi ieiunium hora nona, ſatis eſt ut intra ſpatium trium horarum poſt meridiem comeſtio ſumatur. Hæ Summiſtarum diſputationes, quæ labente ſæculo xv. magno eſtu effervеſcebant, occaſio fuerunt ut ieiunium paullatim hora ſexta ſolveretur. Et eodem tempore quo ieiunium ſolvi cœpit hora ſexta, collatio, ſeu ſerotina refectiuncula, ultra potum aliquid, quamquam parum, cibi admittere conſuevit.

IV. Sæculo tandem ſexto decimo uſus communiter obtinebat capiendi præter potum aliquid cibi in præfata collatione. Id clare colligitur ex conſtitutionibus generalibus Clericorum Regularium Theatinorum, in quibus *Part. II. cap.* III. hæc habentur: *Ieiuniorum tempore ad ſerotinam cœnulam ſimul accedant, cibum ſedentes ſumant: ſpiritualis refectionis cibo reficiantur*. Hoc eodem ſæculo florebat S. Carolus Borromæus, qui iſtius refectiunculæ uſum indicavit, & præter vini poculum unciam panis cum dimidia manducari permiſit, ut habetur in Eccleſiæ Mediolanenſis actibus pag. 812. *Semel tantum in die poſt meridiem cibum capiant. Quod ſi aliquid alicui amplius opus erit, veſperi panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantum capere liceat*. Hactenus de origine, & progreſſu iſtius refectiunculæ ſerotinæ ieiuniorum tempore. Infra poſtea differemus, quomodo illius cibi quantitas temporis decurſu ab una, & altera uncia, ad octo uncias, vel ad quartam opiparæ cœnæ partem, gradum fecerit.

V. Hanc porro refectiunculam non adverſari eccleſiaſtici ieiunii integritati planum eſt. Quoniam ieiunium non alia ratione nuncupatur eccleſiaſticum, niſi quia ab Eccleſiæ auctoritate inſtitutum, & approbatum eſt, & iuxta formam ab eadem Eccleſia præſcriptam obſervari debet. Hanc autem formam Eccleſia pro temporum opportunitate variare poteſt, maxime ſi, ſalva ieiunii ſubſtantia, in accidentibus tantum mutatio contingat. Hinc horam ſolvendi ieiunium mutatam bis vidimus. Hac facta mutatione, altera ſucceſſit, nempe uſus quidquam cibi capiendi veſpere, ex quo comeſtio, qua ieiunium ſolvitur, nimium anticipata fuit, videlicet ad horam ſextam. Quemadmodum enim Eccleſia præſcripſit delectum ciborum; ita etiam valet, cum expediens iudicaverit, quidpiam rigoris in ieiunio relaxare. Quid ergo Kemnitius, Dallæus, Piceninus, & ceteri Calviniſtæ, ac Lutherani calumniantur Catholicos, quod ieiunium non obſervent, quia veſpere ali-

quid, parum licet, cibi capiunt; atque, ut illis invidiam conflent maiorem, hanc collationem cœnam compellant, effutientes Catholicos ieiuniorum tempore prandere ſimul, & cœnare? Hanc ſane calumniam univerſa Catholicorum vox, quin & factum ipſum, propulſat. Quem enim Catholicorum, ieiunii obſervatorem, cœnantem ſimul, & prandentem invenient Reformati? At quis hominum iſtorum effrenem calumniandi Romanam Eccleſiam licentiam mirari ſatis valet? Si Eccleſia unicæ ieiunii comeſtioni ſuperaddit abſtinentiam a carnibus, & lacticiniis; eam ſuperſtitionis, & tyrannidis poſtulant. Si aliquid rigoris remittit, ſi piſcibus aliquantulum delicatioribus veſci, ſi veſpere parum cibi ſumere permittit; laxitatis arguunt illam, & tamquam antiquæ diſciplinæ prævaricatricem traducunt. Paucis igitur, ſive mitem, ſive rigidam catholica Eccleſia diſciplinam præſcribat, numquam effugiet hæreticorum iacula, quæ in eam contorquere non ceſſant. Ceterum, ut evidentius pateat eorum iniuſtitia adverſus Catholicos, dicant velim Calviniſtæ, quis antiquorum præſcripſerit formam ieiunii, quam præſcribit eorum Patriarcha Calvinus? In tribus ille aſſerit ſitum eſſe ieiunium. Illius verba iſthuc tranſcribamus ex Lib. IV. Inſtitut. cap. XII. §. 18. *Ieiunium aliud temporale... hoc in tribus ſitum eſt, in tempore, in ciborum qualitate, in parſimonia. Tempus dico, ut ieiuni defungamur iis actionibus quarum cauſa inſtituitur ieiunium: quemadmodum, exempli cauſſa, ſi ob ſolemnem precationem quis ieiunet, ut eo impranſus accedat. Qualitas in eo ſita eſt, ut abſint omnes lautitiæ, ac plebeis, vilioribuſque cibis contenti palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ratio in hoc eſt, ut parcius ac levius ſolito veſcamur, tantum ad neceſſitatem, non ad voluptatem.* Eſt ne ieiunium iſtud Calvinianum ad amuſſim diſciplinæ apoſtolicæ? Quonam, quæſo, Eccleſiæ ſæculo iſthæc ieiunii forma obtinuit? In hoc ergo poſitum eſt Calviniſtarum ieiunium, ut ſcilicet, non ad voluptatem, Epicureorum more, comedant, neve ſe ſe in crapulam ingurgitent; ſed tantum ad neceſſitatem manducent? In hoc ergo dies ieiuniorum a ceteris diebus diſtinguentur, quod tempore ieiunii illicitum erit ad voluptatem veſci; licebit vero alio tempore? Verbo dicam, in ea temperantia, & ſobrietate ſitum eſt Calviniſticum ieiunium, quam quilibet homo, quia rationis compos, nedum quia Chriſtianus, in omni refectione ſervare debet. Denique, ſi Calvinus auſus eſt commentitium excogitare ieiunium, univerſæ antiquitati incognitum; non poterit Eccleſia catholica, ſalva apoſtolici ieiunii ſubſtantia, aliquam modo addere, modo auferre, pro temporum, perſonarumque diverſitate, circumſtantiam; & modo augere, modo remittere eiuſdem diſciplinæ rigorem? Id profecto ſoli Calviniſtæ, & Lutherani negabunt.

CA-

CAPUT VIII.

De ieiunii eccleſiaſtici tranſgreſſione ob violatam unius comeſtionis legem in ſumptione liquidorum.

I. EXplicatis ieiunii eccleſiaſtici natura, & conditionibus, nunc manifeſtandum reſtat, quid præfato ieiunio adverſetur, & quot modis violari poſſit, potiſſimum ob legem unicæ comeſtionis non ſervatam. Plura autem ſunt quæ iſtius unicæ comeſtionis integritati repugnant, quæve a Theologis in controverſiam vocantur. Idcirco ſingillatim per diſtincta quæſita omnia tractabimus. Hoc tamen in capite, & ſequenti de liquidis præcipue verba erunt.

II. Quæſt. I. *An qui pluries die ieiunii extra comeſtionem vinum bibit, frangat ieiunium?* Reſp. Non pauci ſupercilium extollunt, & frontem contrahunt ob hoc ſolum quod præſens difficultas proponatur; perinde ac ſi abſolute extra omnem controverſiam eſſet, quod vini potus ieiunium non frangat. Quæ ſane admiratio ex antiquæ diſciplinæ ignoratione ortum ducit. Siquidem certum eſt, antiquam Eccleſiæ diſciplinam abſtinentiam tum a carnibus, tum a vino præcepiſſe. Id ex omnibus fere Patribus colligitur. Chryſoſtomus *hom.* VI. *ad popul.* ait: *Adveniente ieiunio, & ſi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunii lege non conceſſum, guſtare; omnia quis mallet pati quam prohibitum tangere nutrimentum.* Idem tradit Auctor apoſtolic. Conſt. Lib. V. cap. XVII. *A vino, & carnibus abſtinete vos his diebus.* Cyrillus Hieroſolymitanus *catech.* IV. inquit: *Ieiunamus a vino, & carnibus abſtinentes.* Theophilus Alexandrinus *hom.* III. ait: *Nequaquam diebus Quadrageſimæ vini poculum ſuſtinemus.* Hæc diſciplina adhuc in pluribus Orientis regionibus obtinet. Eccleſia catholica diſciplinam abſtinendi a carnibus retinuit, ſecus abſtinentiam a vini potu. Nemo ergo in dubium revocat, utrum licitus nunc ſit potus vini tempore ieiunii intra ipſam comeſtionem ſumptus. Quin extra ipſam quoque refectionem conceſſum eſſe vini uſum ad ſedandam ſitim, communiter fatentur Theologi omnes. Et rationem prodit D. Thomas 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 6. ad 2. *Ieiunium Eccleſiæ non ſolvitur, niſi per ea quæ Eccleſia interdicere intendit inſtituendo ieiunium. Non autem intendit Eccleſia interdicere abſtinentiam* (lege ſumptionem) *potus; qui magis ſumitur ad alterationem corporis, & digeſtionem ciborum aſſumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat. Et ideo licet pluries ieiunantibus bibere.* In hunc exſcriptum textum mendum irrepſit, uti animadvertit Franciſcus Sylvius in commentariis ad hunc articulum: ubi legendum admonet, *non intendit Eccleſia interdicere ſumptionem potus*: aut, *non intendit indicere abſtinentiam potus*. Quare ridenda ſane

N iiij eſt

eſt thraſonica illa iactatio , qua Theologus Anonymus in epiſtola , italica lingua conſcripta , typiſque edita , dataque ad D. Petrum Ballerinum Presbyterum Veronenſem , virum perdoctum , ovans ac triumphans duplicem , quam ex Sylvio dedimus , quaſi a ſe inventam , offert laudati textus emendationem *pag.* 96. Deinde lapſus, contradictiones , paralogiſmoſque Natalis Alexandri, ubique gloriabundus , & ubique præter omnem modum inſultans, recenſet, commentatur, ſibique nimis pueriliter plaudit . Quæ omnia quam inepte obiiciantur , ſuo loco palam fiet. Nunc in ſemitam regrediamur. Ex D. Thoma igitur perſpicuum eſt, licitam eſſe ſumptionem potus tum intra , tum extra comeſtionem , ad concoctionem ciborum iuvandam , & ad ſitim ſedandam . Hoc vero quod ſequitur , difficultatem habet.

III. Quæſt. II. *An potus vini , ſi ſumatur extra refectionem ad ſedandam famem , ieiunii præceptum frangat?* Reſp. Non ſolum ex antiquis , ſed etiam ex neotericis, plures acriter defendunt , potum vini , extra refectionem ſumptum , non ad ſedandam ſitim , ſed ad expellendam famem , ieiunium violare . Ex antiquis quidem Richardus in *IV. diſt.* xv. *art.* 3. *quæſt.* VII. Gabriel in *IV. diſt.* XVI. *quæſt.* III. *art.* 3. D. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* §. 9. Sylveſter *verb.* Ieiunium *num.* 9. Ioannes Medina *cod. de ieiun. quæſt.* XI. *verſ. In his tamen* . Abulenſis *quæſt.* clxIV. *in cap.* VI. *Matth.* Roſella *verb.* Ieiun. *num.* 5. Tabiena *quæſt.* II. Leander *tract.* V *diſp.* V. *quæſt.* III. laudat etiam pro hac ſententia Sylvium 2. 2. *quæſt.* cxlVII. *art.* 6. & Azorium *Lib. VII. cap.* X. *quæſt.* VII. in fine . Sed hi duo Auctores oppoſitum aperte ſuſtinent, ſi ſermo ſit de ſimplici vino uſuali, non immixto cibo. Ex neotericis vero hanc defendunt opinionem Reginaldus *Tom. I. Lib. IV. cap.* XIII. *ſec.* I. *num.* 153. Thomas Hurtado in *diſp. mor. de chocolate num.* 21. Henricus a S. Ignatio *Lib. XI. cap.* III. *num.* 38. Natalis Alexander *Lib. IV. art.* 7. *reg.* 14. Cardinalis Cozza *Tom. de ieiun. part.* III. *art.* I. *dub.* I. *num.* 17. Diana coordinatus *Tom. IV. deciſ.* C. refert plures Auctores, qui hanc docent opinionem : *quam* (inquit Diana) *fateor eſſe probabilem.* Si vel per ipſum Dianam hæc ſententia probabilis eſt, quid inferendum ſit, aliorum iudicium eſto . Hanc ſane opinionem docet D. Thomas in IV. diſt. xv. quæſt. III. art. 4. quæſt. I. ad I. his verbis. *Dicendum, quod quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat ; tamen de ſe non ordinatur ad nutriendum, ſed magis ad diſpoſitionem bonam eorum quæ nutriunt , ut ſcilicet per membra deducantur, & in ſtomacho non comburantur : unde ſumptio potus manducatio non dicitur. Et ideo ille qui potat extra horam unicæ comeſtionis , non dicitur bis manducare ; & propter hoc nec ſtatutum Eccleſiæ frangit , niſi fraudem faciat : quia legem violat qui in fraudem legis aliquid facit .* His ultimis verbis aperte docet ſanctus Doctor , eum violare ieiunii legem qui potum ſumit , non per modum potus, ideſt ad ſitim extinguendam, & ad faciliorem cibi digeſtionem procurandam ; ſed

ad

Digitized by Google

ad ventris famem propulſandam. Et ſane principium cui innititur, communiter tum a Canoniſtis, tum a Theologis recipitur. Porro ille dicitur in fraudem legis facere qui, ſalvis legis verbis, eius ſententiam circumvenit: *ff. de legi. l. contra legem*. Fraus enim legi fit, cum id fit quod fieri noluit, fieri autem conceptis verbis non vetuit. Plura produci ſolent exempla. Accipe unum, vel alterum. Si Monachus, habitum ſuæ Religionis retinens, illum veſte clericali, vel laicali cooperiat; in fraudem legis agit, & canonis pœnæ obnoxius eſt iuxta communiorem ſententiam. Si tutor, cui prohibitum eſt rem pupilli emere, aliam ſubſtituat perſonam, ut pro ſe emat; in fraudem agit legis. Lex ieiunii unicam præcipit comeſtionem, & plures prohibet: quia per cibi ſubtractionem intendit corpus affligere, carnem ſpiritui ſubiicere, & concupiſcentiam cohibere. Si quis ergo cibo ordinario ſubſtituat potionem vini in tanta copia, quod valeat & famem abigere, & corpus nutrire; certe in fraudem legis agit, eamque circumvenit. Ex his omnibus colligere licet, opinionem hanc, tum ob Doctorum auctoritatem, tum ob vim rationis, probabiliſſimam eſſe.

IV. Contrariam ſententiam communiter ſuſtinent neoterici, quos recenſent, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 53. his rationibus innixi, quod nimirum Eccleſia id ſolum extra refectionem prohibeat quod cibi rationem habet. Vinum autem potus naturam habet, non cibi. Nec intentio ſumentis vinum ad expellendam famem variare poteſt illius naturam, quæ in potu, non in cibo, ſita eſt. Et tandem id ſentire videtur communis fidelium ſenſus.

V. Verum adductæ rationes ſuadent quidem, conceptis verbis potum vini, pluries ſumptum extra refectionem, a lege non prohiberi; minime vero evincunt, fraudem legi non fieri, ſi quis vinum ſumat, ut famem expellat, ut corpus nutriat, ut carnem impinguet, verbo dicam, ut legem in omnibus quæ præcipit, eludat, & fruſtretur. Utique verum eſt, intentionem ſumentis rerum naturas non variare. Sed licet vinum principaliter naturam habeat potus, quoties ſimul cum cibo ſumitur; aliquando tamen rationem & naturam cibi habere poteſt, & reipſa habet, quando eumdem, quem cibus, effectum producit. Producit autem ſæpius, ut experientia compertum eſt; potiſſimum cum vinum optimum eſt. Præterquamquod in chriſtiana Morali tractanda, non ad Metaphyſicæ, ſed ad prudentiæ regulas revocandæ difficultates ſunt.

VI. Ex adductis pro utraque opinione rationum momentis ſequitur, neutram, tamquam omnino certam defendi poſſe. Probabilior, & lumini naturali conformior prima videtur. Sed, contentioſa relicta diſputatione, quæ pro praxi tuta ſunt, exhibeo. In primis itaque omnes fatentur, eum qui vinum præter neceſſitatem die ieiunii ſumit, potatque, non ad cibum digerendum, non ad ſitim extinguendam, ſed ob ſolam voluptatem, peccare contra legem temperantiæ. Hanc ergo

ergo pro praxi ſtatuo regulam, quam veriſſimam cenſeo. Ii Chriſtiani qui ieiuniorum tempore quamlibet corporis mortificationem evitare ſtudent; qui licet concupiſcentiæ ſtimulis urgeantur, licet libidinis igne ardeant, & peccatorum ſordibus polluti ſint, nihiloſecius omni via ſtudent appetitionibus ſuis indulgere; quamdam ſolummodo ieiunii ſpeciem ſervant. Prandent enim ad ſatietatem; ſerotinam refectiunculam ad laxiorum opinionum excogitatas menſuras ſumunt; per totum vero diem, modo una, modo altera potione fauces recreant; verbo, nec minimam afflictionis, & pœnitentiæ, quam lex ieiunii præcipit, partem perferre volunt. Ego his omnibus abſolutionis beneficium differrem, donec veri chriſtiani ieiunii obſervantia, ceteriſque remediis, moderationis ſemper regulis ſervatis, paſſiones cohiberent, peccatorumque emendationem aſſequi eniterentur. Nam manifeſtum eſt eos nullo vero æternæ ſalutis deſiderio teneri; immo ſatis compertum eſt eoſdem ſuæ ſalutis remedia contemnere, dum præceptorum pondera excutere tentant, nihilque oneris, niſi ad ſpeciem quamdam, ſentire volunt. Sive ergo prima, ſive ſecunda opinio vera ſit, in praxi ſatis erit, ſi, attentis eiuſmodi circumſtantiis, poſſimus & debeamus præfatos Chriſtianos obligare ad obſervantiam illius veri ieiunii quod reipſa neceſſarium eſt ad perdomandos appetitus, ſubigendam concupiſcentiam, & Deo pro perpetratis criminibus quamdam ſaltem ſatisfactionem exhibendam. At, inquies, hoc eſt difficultatem evitare, non reſolvere. Et ego repono, hanc ſcribendi rationem eſſe animarum regimini ſummopere conſentaneam. Quæ enim diſputari in utramque partem poterant, in medium attulimus; quodque veroſimilius nobis viſum fuit, indicavimus. At, quia neutra opinio adeo clara nobis apparet, ut certum de alterutra proferamus iudicium; idcirco, utraque in ſuo relicta ſtatu, quod tutum in praxi, & extra diſputationem poſitum iudicavimus, amplectendum propoſuimus. Heinc non probabile, ſed improbabile prorſus cenſemus, quod ſcribit Tamburinus Lib. IV. cap. v. §. 2. *Probabile eſt* (inquit) *licere intra diem ieiunii bibere vinum, muſtum, cerviſiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino diſtillatas, etiam de mane, etiam ob ſolam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem ieiunii*. Non minus improbabile nobis videtur quod ſcribit P. Viva *Tom. I. part.* II. *quæſt.* x. *art.* I. *num.* 7. *pag. mihi* 108. „ Utrum autem peccet venialiter qui bibit, aut comedit „ ſolum ob delectationem? Ioan. Sanch. apud Dian. *Part. III. tract.* v. *reſolut.* 6. „ Martinus Perez, Eſcobar, & alii negant, ſi non noceat ſaluti; ſicut non pec„ cat qui videt res pulchras, & olfacit odores ſolum propter delectationem.. Ne„ que id damnatur ab Innoc. XI. Nam propoſitio damnata dicit: *Comedere, &* „ *bibere ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit vale*„ *tudini, quia licite poteſt appetitus ſuis actibus frui*. Quando enim ad ſatieta„ tem quis comedit, aut bibit ob meram voluptatem, facile limites temperantiæ

„ de-

„ debitæ prætergreditur; & ideo venialiter peccat; *quod non accidit, neque ſi co-„ medat aliquid, aut bibat propter voluptatem*, non tamen ad ſatietatem cum „ periculo intemperantiæ. “ Siccine ergo decreta pontificia eluduntur? Quod itaque homo chriſtianus comedat ob ſolam voluptatem, nullum peccatum committit? Tum ne ſolum peccat, quando ob ſolam voluptatem comedit uſque ad ſatietatem cum periculo intemperantiæ? Sed propoſitio damnata potiſſimum eſt ob hanc doctrinam: *Comedere, & bibere ob ſolam voluptatem non eſt peccatum .... quia licite poteſt appetitus naturalis* &c. Si quis poſtea aſſereret, licitam eſſe comeſturam ultra regulas temperantiæ, alius eſſet error iure proſcribendus. Ea porro comeſtura temperantiam violat quæ fit præter neceſſitatem alendæ vitæ. Et hæc comeſtura *obeſt valetudini*. Propoſitio autem damnata eam ſumptionem cibi, & potus licitam ſupponit quæ valetudini non officit. Ergo non ob id quod intemperantem comeſturam, ſed ob id quod ob ſolam voluptatem comedere permitteret, damnata fuit. Peccat homo chriſtianus, tum ſi ob ſolam voluptatem, tum ſi præter limites temperantiæ comedat.

VII. Quæſt. III. *An electuaria, extra refectionem ſumpta, frangant ieiunium?* Reſp. Ante omnia, quid electuarii nomine intelligatur, explicandum eſt. Iſidorus apud *Du Freſne* in Gloſſario, electuarium vocat, eo quod molle ſorbeatur. Ioannes de Ianna, *Electuarium*, inquit, *dicitur ab electione rerum, e quibus conficitur*. Brocardus in deſcriptione terræ ſanctæ apud eumdem Du Freſne, *Habent poma*, inquit, *citrina magna, ex quibus optima conficiunt electuaria*. Electuariorum alia ſunt dulcia, alia amara, alia acria iuxta varietatem rerum e quibus conficiuntur. Propoſita autem quæſtiuncula duplici in ſenſu tractari poteſt. In primis, an electuaria, ſumpta per modum medicinæ, ieiunium frangant? Deinde, an violent ieiunium, ſi ſumantur ad extinguendam famem, vel ob delectationem? Quibus prælibatis, dico primum, electuaria, ſumpta per modum medicinæ, nullo modo ieiunium frangere. Ita D. Thomas 2. 2. quæſt. cxlvii. art. 6. ad 3. *Dicendum, quod electuaria, etiamſi aliquo modo nutriant, non tamen principaliter aſſumuntur ad nutrimentum, ſed ad digeſtionem ciborum. Unde non ſolvunt ieiunium, ſicut nec aliarum medicinarum aſſumptio*. Hæc opinio communiſſima eſt.

VIII. Dicendum ſecundo eſt, electuaria, ſive ſumantur ad extinguendam famem, ſive ob ſolam delectationem, ieiunium frangere. Utraque pars eadem evincitur ratione. Electuaria, de quibus in præſenti ſermo eſt, quæ vulgo *conſerve* vocantur, ſunt de genere ciborum; & ſuapte natura nutriunt corpus. Solum ergo actualis infirmitas, quæ remedium poſtulet, electuariorum ſumptionem excuſare poteſt diebus ieiunii. Nec timor futuræ ægritudinis, niſi periculum proximum ſit, & imminens, ſatis eſt ad hoc, ut ea quæ ad genus cibi ſpectant, li-

Digitized by Google

licite ieiunii tempore ſumantur. Nec electuaria rationem medicinæ habere poſſunt reſpectu illius qui ſanus eadem ſumit. Habent ergo rationem cibi. Ergo extra refectionem ſumpta ieiunium frangunt. Solum ergo ad ſublevandam ſtomachi, vel capitis debilitatem, vel quamlibet aliam infirmitatem electuaria ſumi poſſunt; nullo vero modo vel ob ſolam delectationem, vel ad expellendam famem. Hanc opinionem defendunt, præter antiquos, Leander *tract.* v. *diſput.* v. *quæſt.* xvii. Cardinalis Cozza *III. Par. artic.* 1. *dub.* 2. *num.* 27. Henricus a S. Ignatio *Lib. XI. cap.* iii. Fagundez *Lib. I. de* 4. *præcep. Eccl. cap.* iv. *num.* 2. Diana coord. *tract.* vi. *reſol.* xcv. *num.* 2. ubi hæc habet: *Unde ex ſuperius dictis patet, refellendam eſſe opinionem D. Thomæ, D. Antonini, Gabrielis, & Richardi, quos citat, & ſequitur Sylveſter v. Ieiunium quæſt.* iii. *num.* 9. *aſſerentium, licitum eſſe ſumere in die ieiunii electuaria ex ſaccharo condita ob ſolam delectationem: quia hæc vere habent rationem cibi nutritivi*. Quis non miretur, Dianam ſeveriora docere præ ipſis ſanctis, & antiquis Doctoribus? Sed illud eſt maiori admiratione dignum, quod Diana D. Thomæ imponit opinionem, quam conceptis verbis S. Doctor refutat. Docet D. Thomas loco laudato a Diana, nempe 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *artic.* 6. *ad* 3. electuaria ſumpta per modum medicinæ non frangere ieiunium; ſecus vero, ſi per modum cibi, & propter delectationem, ſeu nutritionem ſumantur. Si enim, non per modum medicinæ, ſed per modum cibi capiuntur; profecto ob delectationem, & nutritionem manducantur. En verba D. Thomæ. „ Ad tertium dicendum, quod electuaria . . . . non ſolvunt ieiunium; „ ſicut nec aliarum *medicinarum aſſumptio; niſi forte aliquis in fraudem electuaria* „ *in magna quantitate aſſumat per modum cibi.* “ Confer hæc D. Thomæ verba cum verbis Dianæ; & ipſe ſententiam dicito.

IX. Ex his colliges, omnia ea licite ſumi poſſe die ieiunii quæ non ad delectationem, neque ad nutritionem, ſed ad ſolam actualem infirmitatem repellendam, per modum medicinæ, & iuxta menſuram indigentiæ ſumuntur. Heinc Concionatores eo die quo concionantur, ad vocem pro concione neceſſariam conſervandam, iuvandamque quidquam per modum medicinæ capere valent. Idem dic de cantoribus, qui chorum moderantur, quive hoc munus, alioquin neceſſarium, exercere minime poſſent, niſi vocem aliquo remedio adiuvarent. Horum omnium prudentia evangelica regula ſit oportet: atque pro maiori ſecuritate, & in legis obſequium, a Superiore, dum commode fieri poteſt, licentia obtineatur. Colliges quoque, non adverſari integritati ieiunii potionem aquæ, ſaccharo, cedro, balſamo, quæ vulgo dicitur *limonata*, conditæ, ad ſitim extinguendam ſumptam; dummodo parum horum condimentorum aquæ immiſceatur, ut ſcilicet ab illa cruditas auferatur, & ſtomacho aptetur: quamquam poſtea medicina ſit, quæ guſtui etiam apta & congrua eſt. Si vero in fraudem ieiunii rerum dicta-

ſtarum tanta quantitas immiſceretur aquæ, ut cibus potius quam potus fieret; tunc abſque dubio ieiunium frangeretur. De aliis liquidis, nempe lacte, iuſculo, & ſimilibus ſermo non fit: quia hæc rationem cibi habent, & ad nutritionem, non ad ſitim ſedandam ſumi ſolent: proindeque ieiunium ſolvunt, franguntque. Hæc omnia communia ſunt apud Doctores. Ex quibus inferes falſum abſolute eſſe illud axioma, *Liquida non frangunt:* quoniam aliqua iuxta omnes frangunt ieiunium, aliqua non frangunt.

CAPUT IX.

Origo potus chocolatis. An ieiunium frangat. Quænam opinio improbabilis, quæve probabilis, vera, & tuta dicenda ſit.

I. DIſputationem verſandam aggredior invidiæ plenam, eo quod divitum, & nobilium delicatis faucibus bellum intentet, uſumque apud illos ſatis univerſalem in diſcrimen adducat. Quare, ne uſus, ſive abuſus, qui a medio circiter ſæculo invaluit, veritati tenebras offundat, ea quæ penes omnes certa ſunt, ab iis quæ in controverſiam vocantur, ſecernenda diligenter ſunt, omniaque ſingillatim enucleanda. Si enim quæque ad ſua certa principia exigantur, ſpero fore ut veritas ſuo in loco conſiſtat, nullumque patiatur damnum ex pluribus ſophiſmatis, quibus implicari ſolet. Et, antequam ultra provehar, primum omnium de origine iſtius potus, ſeu ubi, & quando uſus eius cœperit, nonnulla perſtringam. In Indiis occidentalibus primum obtinuiſſe potionem iſtam, communiter Auctores teſtantur. Auguſtinus de Padilla Archiepiſcopus de la Eſpanola *Lib. II. hiſt. Prov. Mexican. cap.* lxxxiv. ſcribit, potum iſtum in provincia *de la Chiapa* ortum duxiſſe; cui aſſentiuntur ceteri Scriptores. Quo autem anno iſtius potus conſuetudo obtinuerit in hac provincia, non indicant. Id quod nobis coniectura aſſequi licet, eſt, medio circiter ſæculo poſt quintum decimum eius uſum invectum fuiſſe; ſeu verius, hoc circiter tempore Scriptores iſtius potus meminere. Ab Indis in Hiſpanos migravit. Nec tranſitus iſtius tempus deſignatum invenio. Ex Scriptorum Hiſpanorum teſtimonio eruitur, ante annum milleſimum ſexcenteſimum Hiſpanos potionem hanc ſuaviſſimam non deguſtaſſe. Ludovicus Lopez, qui in vivis erat anno 1592. in ſuo *Inſtructorio* edito Salmanticæ anno 1585. *cap.* cxii. ſcribit, apud Indos hunc potum in uſu fuiſſe; de Hiſpanis vero altum eſt apud illum ſilentium. Multo ſerius ad Italos pervenit potus iſte. Quoniam hæc ſcribit Thomas Tamburinus Lib. IV. in Decal. cap. v. §. 2. num. 9. *Cocholata Indis, Hiſpaniſque iamdiu, Italis vero dudum valde.* Tamburinus

nus obiit anno 1675. Fac ipſum viginti annos ante obitum librum ſuum edidiſſe, nempe anno 1650. Si hoc tempore ſcripſit ille, *dudum valde* præfatum potum Italis familiarem evaſiſſe; plus minuſve, ſimul ac uſus ſerpere in Hiſpania cœpit, bellum Theologos inter concitavit, aliis pro illo, aliis contra illum pugnantibus.

II. His delibatis, primum omnium, quid chocolates ſit, explicemus oportet. Porro chocolates eſt corpus ſolidum concretum ex materia comeſtibili, nempe ex cacao, cinnamomo, ſaccharo, & vaginula; quæ omnia ſuapte natura cibi nutrientis rationem habent. Quare, ſi quis quamlibet ex præfatis partibus, ex quibus componitur chocolates, magna in quantitate ſumeret, ieiunii legem violaret. Ex quo conſequitur, chocolatem in notabili quantitate ſumptum abſolute, & aquæ non immixtum, ieiunium frangere. Hæc extra diſputationis aleam ſunt poſita penes omnes Auctores. Et, ne rem ſummi momenti, a qua præſertim controverſiæ reſolutio pendet, gratis adfirmare videar, teſtes affero nulli exceptioni obnoxios. P. Thomas Hurtado, qui præ omnibus materiam hanc diſpexit *tract.* x. *cap.* I. hæc ſcribit num. 10. *Quarto conveniunt omnes, quod ſi ea materia quæ aqua diluta eſt, manducetur, frangit ieiunium: amittit enim formam potus.* Benigniſſimus Caſuiſta Leander *tract.* v. *diſp.* v. *quæſt.* v. hæc ſcribit: *Adverto, quod in præſentiarum non eſt difficultas inter Doctores, nec quæſtio, an videlicet ſumptio chocolatis in ſe, hoc eſt* en miga, paſta, o paſtillas, *ſit fractiva in ſe ieiunii: nam hoc apud omnes certum eſt, quod chocolates in ſe ſumptus ſit vere cibus; ſicut eſt ſaccharum, & huiuſmodi: unde ſumptus in magna quantitate franget ſine dubio ieiunium.* Nullum itaque diſſidium eſt de chocolate ſeparatim ab aqua ſumpto; ſed in hoc controverſiæ difficultas vertitur, num ſcilicet chocolates aqua dilutus, ſeu potus chocolatis ieiunium eccleſiaſticum frangat, ad libitum ſumptus. Nunc enim a materiæ parvitate, de qua infra, præſcindimus. Et inquirimus de potu chocolatis, ſumpto toties quoties cuique libuerit. Sed primum omnium cibi, potuſque notiones promendæ ſunt. *Cibus eſt ſubſtantia craſſa maſticatione, aut ſorbitione, aut aliqua linguæ & palati compreſſione indigens, ut deglutiatur, potens nutrire, & ad nutriendum ordinata.* Hanc definitionem tradit vel ipſe Hurtadus, eamque colligit ex Berchor. *Lib. III. Reduct. Moral. cap.* xv. Clemente Alexandrino *Lib. II. Pædag. cap.* I. Iſidoro *Lib. XX. cap.* II. In hac cibi finitione ea etiam comprehenduntur quæ ſorbilia ſunt: idque patet ex II. Reg. cap. XIII. *Thamar tollens farinam commiſcuit, & liquefaciens in oculis eius coxit ſorbitiunculas .... Tulit ergo Thamar ſorbitiunculas, quas fecerat, & intulit ad Amon fratrem ſuum in conclave. Cumque obtuliſſet ei cibum* &c. Nemo itaque in diſputationem vocat, quod liquida, & ſorbilia plura cibi naturam habeant. Potum definiunt ſic. *Subſtantia liquida, quæ ſine ſorbitione, aut lingua, & palati compreſſione, ſine morulis interruptis, ſed continuis hauſti-*

ſibus deglutitur, non ad nutritionem ordinata, ſed ad ſitim temperandam, & ad alimentum coquendum, & diſtribuendum. Triplex diſtinguitur potus, naturalis, artificialis, medicinalis. Potus naturalis, cuius finitionem dedi, a natura datus eſt. Artificialis, hominis arte fit in eumdem finem, & ad eoſdem effectus inducendos quos potus naturalis producit; immo ſæpius ars intendit non modo producere commoda, ſed etiam impedire nocumenta potus naturalis; ut dum aut vino, aut aquæ quidquam aromatum admiſcet. Potus medicinalis eo tendit, ut morbos pellat.

III. Illud autem ſummopere animadvertendum occurrit, potum artificialem fieri utique humano artificio; minime tamen ab hominis voluntate ita pendere, ut id potus evadat quod effectum potus parere nequit. Itaque, ut aliqua ſubſtantia, vi artis liquida effecta, recipiat ab hominum inſtitutione potus denominationem, neceſſe eſt qualitatem eius principem, & prævalentem, ſitim reſtinguere, ciboſque digerere, & diſtribuere; quamquam ſimul virtutem nutriendi, & alendi corpus habeat. Quapropter hominum inſtitutio nequit tribuere denominationem potus, atque inter liquores potabiles conſtituere ſubſtantiam, quantumlibet liquidam, quæ recenſitos naturalis potus effectus principaliter non producat. Doctrina hæc certa eſt, & manifeſta, quam nemo in contentionem adducit; ſed etiam adverſarii contra quos ſcripturi ſumus, illam approbant. Iuvat exſcribere verba Hurtadi, principalis patroni potionis chocolaticæ. Hæc autem habet tract. de pot. chocol. cap. IV. num. 55. *Quare, ſi ſubſtantia talis ſit, quod ſitim extinguere ex ſua natura non poſſit, homines non poſſunt illam potum per artem conſtituere; ſed ſemper cibus manebit. Ut homines potus artificiales conficiant, debet res quæ potus efficitur, & vim ſedandi ſitim, & vim ſedandi famem habere, ut homines inſtitutione ſua illam vim eligant quæ magis relucet; & hominum inſtitutio non dat rationem potus alicui ſubſtantiæ liquidæ.* Tunc autem dicitur liquida ſubſtantia ſitim extinguere, quando homines, urgente ſiti, eam bibunt ſine *morulis interruptis*; vel inſtructa menſa in prandio, & in cœna pro potu habent. Hæc omnia certa ſunt, & adverſariorum iudicio confirmata. Quibus poſitis ad controverſiæ deciſionem accedo.

IV. Dico, *potum chocolatis ieiunii eccleſiaſtici legem violare.* Ut initio lectoris animum aliquantulum excitem, atque commoveam, auctoritatem in medium adducere conſtitui viri ex una parte doctiſſimi, ex altera parte a nimii rigoris ſuſpicione omnino alieni. Is eſt *Vincentius Gravina*, qui in ſua *de repetendis fontibus doctrinarum oratione* circa medium hæc ſcribit. „ Ad quem animus ſola pœ„ nitentia comparatur, quæ ſubtrahendis rebus, ac ſenſibus atterendis vitam tra„ ducit ad conſuetudinem mortis: ut, quo pluribus viventes abſtinemus, eo mo„ rientes minus amittamus, minus contriſtemur: cum vivendo totidem gradus „ mortis ſuperaverimus, quot ſenſus nobis extinximus rerum humanarum. Unde, „ quod

„ quod voluptuoſis extremum eſt vitæ, id pœnitentibus extremum eſt mortis, & „ vitæ immortalis exordium.

„ Abeant igitur ſuæ cum doctrinæ blanditiis noſtrates magiſtri „ qui, ut ait „ Ennius, *ſui quæſtus cauſſa fictas ſuſcitant ſententias*, quique abſtinentiæ deſuetu- „ dine tenacius implicant animos rebus caducis, & negligentia pœnalium ope- „ rum in vita, difficultates omnes coacervant ad tempus mortis, ut, cum ho- „ minem tamdiu prodiderint cupiditatibus, cogant eum contra dominos, & diu- „ turnos ſuos poſſeſſores dimicare, poſtquam opes vireſque omnes longæva men- „ tis, & proxima corporis ægrotatione conſumſerit. Faceſſant a Chriſtianorum „ ſcholis fallaces illæ diſtinctiunculæ liquidorum, & ſolidorum, quibus ieiunium, „ reſtinguendarum cupiditatum remedium potentiſſimum, ſuſtulerunt, quibuſque, „ ut D. Hieronymi verbis utar, *abſtinentiæ nomen quæſivere deliciis*, ut audeant, „ o frontem hominum! præter horas cibo ſtatutas permittere ieiunantibus Indicas „ potiones, non modo contra ieiunii naturam, & legem triſtitiæ, nutrientes, ac „ ſenſus oblectantes; verum etiam contra commune fas hominum vetitas cupidi- „ nes incendentes.

„ Ultro a nobis abigamus fraudulentas illas honoris exæquationes cum vita, in „ quibus interpretes, privatam iniuriæ ultionem inter Chriſtianos inducentes, pa- „ tientiæ legem penitus evellerunt. Exulet etiam, & pontificiæ vocis imperium „ aliquando vereatur, opinio eorumdem illa quæ cum carnis uſu reliquam abſti- „ nentiæ obligationem exſolvebat.“ Sed evidenti ratione idipſum evinco. Chocolates ex rebus quæ corpus nutriunt, componitur; atque ſic concretus, ſuaque in ſpecie conſiſtens, cibus eſt ſubſtantialis, ſuaque natura multum roborans, & nutriens corpus. Hanc propoſitionem, ut teſtantur Leander, & Hurtadus, concedunt omnes. Et ſane ii omnes quos ego legi, id adfirmant. Quod ſi negarent, diuturna, & manifeſta experientia reclamaret. Non eſt ergo de prima propoſitione ambigendum. Atqui quæ ſuapte natura cibi nutrientis rationem habent, ſive liquata, ſive ſolida ſumantur, ieiunium violant. Quæ propoſitio, quo iure negari poſſit, ſane non teneo. Quid enim refert quod ea quæ vere comeſtibilia ſunt, ſumantur vel liquefacta, vel ſolida? Quandoquidem in hoc ſolum comeſtibilia liquata a ſolidis diſtinguuntur, quod illa minori labore, & incomodo deglutiantur; quin ad faciliorem digeſtionem, & meliorem nutritionem congrua ſint. Quot abſurda monſtroſa non conſequerentur, ſi quæ in ſua ſpecie, ſeu genere accepta, vere habent cibi nutrientis rationem, dicantur ieiunia tum non ſolvere, cum liquata per modum potus ſumuntur? Nonne, hoc admiſſo, conſequitur, pinguem caponem in iuſculum ſtillatum potari poſſe die ieiunii? Potus quoque lactis ſumi poſſet; quin potiori iure quam potio chocolatis: lac enim ſæpe ad ſitim extinguendam ſorbetur, ſecus chocolates. Atque hinc validius aſſertio noſtra firmatur. Quam-

Quamquam chocolates aqua diluatur, non ob id potus naturam induit. Siquidem potus ſuapte natura inſtitutus eſt ad ſitim extinguendam, ad corporis alterationem, ciborumque digeſtionem iuvandam. Potus eo natura ſua ſpectat, ut cibum in ventriculum invehat, ut alimentum, ſanguinemque per corpus diſtribuat, ut cibum rarefaciat, & ut rarefactus facilius coquatur. Niſi enim potus modum caloris in ſtomacho temperaret, cibi adurerentur, & forent ad digeſtionem minus apti. Quæ omnia, non ſolum cum D. Thoma Theologi, ſed & medici fatentur. Anne igitur chocolates ſumitur ad ſitim extinguendam? At huic officio potus frigidus communiter inſervit. An ad ciborum alterationem, facilioremque digeſtionem Nonne chocolates ſumitur valde mane, quando nec ſitis fauces cruciat, nec cibus ſtomachum gravat? Quid plura? Si quis ſiti laborat, nonne prius aquam ad ſatietatem bibit, ut fauces, & viſcera humectet, ac refrigeret; deinde potionem chocolatis ſuaviter ſorbillat, ut ſtomachum roboret, ut vires inſtauret, ut corpus alat? Ne multa: ut totum illud tempus quod meridiem, in quo prandendum, ſive cœnandum (ut nomina ſaltem retineamus) eſt, præcedit, abſque ieiunii incommodo, & moleſtia tranſigere poſſit. Ex quibus omnibus ſic inſtauro argumentationem. Chocolates, abſolute acceptus, ad genus pertinet ciborum nutrientium corpus, ut omnes fatentur. Quæ autem ſuapte natura in genere ciborum nutrientium conſtituta ſunt, quamvis aqua diluantur, naturam cibi nutrientis non amittunt; ut concors eſt Theologorum opinio. Ergo chocolates, etiam aqua liquatus, rationem cibi retinet nutrientis. Frangit ergo ieiunium. Quid quod etiamſi dici poſſet, aliquos cibos aqua liquatos in naturam potus tranſire; id tamen de chocolate nemo iure aſſerere audebit? Quoniam, ſi chocolates, aqua dilutus, veri potus rationem haberet; eoſdem effectus pareret quos potus aquæ, vel vini producit, & ad eoſdem uſus adhiberetur. Porro quis eſt, ut indicavimus, qui unum vel alterum vaſculum chocolatis ſumat ad ſitim extinguendam, ad aridas fauces refocillandas, ad calida viſcera refrigeranda? Quid reponis? Chocolates habet rationem potus. Cur ergo inter prandendum, vel cœnandum aliquando ſaltem non adhibetur? Quid garris? Quomodo potus naturam habere poteſt chocolates, ſi neque ad ſitim reſtinguendam, neque ut refectionem facilem reddas, neque ut alimentum digeras, illum ſorbes: quoniam vix umquam tempore ad hos effectus producendos apto illum ſumis? Enimvero, ſi ſtatim peracto prandio aliquando illum biberes ad fovendum calorem, digeſtionemque iuvandam, nemo dixerit te ieiunium frangere: quia potionem cum prandio coniungeres. Frangis vero dubio procul, dum per diem, vel ſummo mane illum ſumis; cum digeſtio iam peracta eſt, & ſtomachus omnino vacuus reperitur, cum nulla ſiti laboras, nulloque indiges potu pro iis uſibus ad quos producendos potus eſt inſtitutus. Evidens ergo eſt, chocolatem, quamvis aqua liquatum, rationem potus minime habe-

habere. Ergo, ſive dentibus abſque aquæ beneficio chocolates molatur, ſive aqua liquatus potetur, ieiunii legem infringit; quemadmodum certe ieiunium violat panis extra comeſtionem ſumptus, ſive dentibus conteratur, ſive comminutus, & aquæ immixtus ſorbeatur.

V. Si quod ſentio, proferre libere licet, nullum ſophiſma adeo putidum excogitari poteſt, quam ſi dicatur, panem, & chocolatem ieiunium frangere, in ſua ſpecie ſi manducentur; ſecus autem, ſi aqua diluantur. Et tamen omnes fatentur, tum panem, tum chocolatem frangere ieiunium, ſi in eorum natura comedantur. Secus vero, aliqui dicunt, ſi aqua liquefacta ſorbeantur. Dicas velim, quid ſubſtantiæ chocolates deperdit aquæ immixtus? Non modo nihil deperdit; ſed ſaporem redolet ſuaviorem, ſed palatum magis titillat, dulcius fauces demulcet, & ſtomachum magis roborat, famemque validius expellit. Quæ omnia manifeſta experientia comperta ſunt. Atque, ut hi effectus ſecurius habeantur, regulæ, quas ars liquandi chocolatem, illumque cum aqua componendi præſcribit, adamuſſim ſervantur. In primis aquæ quantitas reſpondere debet quantitati chocolatis. Deinde ligneo inſtrumento ad ignem calefacta mixtura taliter agitatur, ut pars in ſpumam condenſata, altera pars liquida, ſed ſpiſſa remaneat. Hic ne potus aptus ad extinguendam ſitim? Non modo ergo chocolates aqua dilutus ſubſtantiæ nihil amittit; ſed tum aqua, tum chocolates ſimul mixta, quemadmodum aliæ epulæ ex pluribus conflatæ, & magis ſubſtantialia, quia virtus unita fortior, & magis palato ſapida evadunt, atque veluti in tertiam ſubſtantiam tranſeunt. Aqua per ſe parum nutrit. At immixta ſubſtantiis nutrientibus totum conſtituit, quod ſecundum omnes ſuas partes revera nutrit, famemque repellit. Quid quod Theologi in collatione ſerotina panem in ſua natura manducari concedunt; comminutum vero, & in aqua coctum, quem pappariuṁ vocant, non adeo facile aliqui permittunt, quod ſic compoſitus magis nutriens efficitur? *Quia* (inquit Laymanus Lib. IV. tract. VIII. cap. 1. num. 9.) *negari non poteſt quin ignis concoctio plurimum mutet materiam ſubiectam, ut alium ex ea cibum faciat nutritioni magis inſervientem*. Si ergo adverſarii concedunt, chocolatem in ſua natura ſumptum frangere ieiunium; potiori iure fateri coguntur, chocolatem aquæ immixtum, & ad regulas artis iactatum, legem violare ieiunii. Hæc adeo vera ſunt, ut vel negare debeant, Chriſtianum qui ieiunii tempore fruſta chocolatis ad ſatietatem manducat, ieiunium frangere; vel affirmare, ſi illud negare non audent, ieiunium gravius violare illum qui chocolatem aquæ immixtum & coctum, atque adeo magis ſubſtantialem, & nutrientem, ſorbillat.

VI. Hæc, quam explicuimus, ratio adeo valida, & manifeſta eſt, ut ſolis cavillis eludi, non autem aliqua probabili reſponſione infirmari valeat. Quapropter ſententiam noſtram non modo antiqui, ſed & recentes Theologi communiter defen-

Digitized by Google

ſendunt. Non eſt quod antiquorum Doctorum cenſum texam; cum planum ſit illos hanc potionem velut ieiunio infenſam damnaſſe. Sed his omnibus exceptio datur, quod ad vetuſtæ ſeverioris diſciplinæ præſcriptum locuti fuerint. Omitto vel ipſum D. Thomam, qui tum 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 6. *ad* 3. tum in *IV. diſt.* xv. *quæſt.* iii. *art.* 4. *quæſtiun.* 1. *ad* 1. conceptis verbis docet, vel ipſa medicinalia electuaria ſumi haud poſſe ad extinguendam famem; ſed ſolum ratione infirmitatis actualis repellendæ. Idem docent D. Antoninus, Sylveſter, Ioannes Medina. His ergo omnibus miſſis, recentes in medium affero, & quidem vel ipſos benigniores Caſuiſtas, qui in hac controverſia gravioribus accedunt Theologis. Azorius *Tom. I. Lib. VII. cap.* x. *quæſt.* vii. Ioannes a ſancto Thoma in *explic. Doctr. chriſt. de* 4. *præcep. Eccleſ.* Sanchez in *conſil. tract.* v. *num.* 15. Franciſcus Sylvius 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 6. Villalobos in *Sum. I. P. tract.* xxviii. *difficul.* 8. *num.* 15. Diana coordinatus *Tom. IV. tract.* vi. *reſol.* 91. Trullenchus *Lib. III. Decal. cap.* ii. *dub.* 2. *num.* 15. Caſtropalaus *Tom. VII. tract.* 1. *diſp.* iii. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 4. Antonius de Leone *quæſt. de chocolate part.* iii. *num.* 20. Solorzanus in *Polit. Indiar. Lib. II. cap.* x. Pinellus *quæſt. de chocol.* Apud eumdem Franciſcus Corneo, quem ſapientiſſimum, & magiſtrorum magiſtrum vocat Hurtadus, Paſqualigus *tract. de ieiunio deciſ.* 141. *num.* 2. Leander de Murcia *quæſt.* xv. *in cap.* iii. *Reg. D. Franc.* Lezana *verb. Ieiun. & in Tom. Conſil. conſult.* 48. Turrianus in *Sum. I. Par. cap.* cclvi. *dub.* 24. *concl.* 4. *&* 7. Corella in *Pract. Confeſſ. tract.* iii. *cap.* iii. *num.* 30. Henricus a S. Ignatio *Lib. XI. cap.* iii. Natalis ab Alexandro *Lib. IV. reg.* 14. Eſcobarius *tract.* 1. *exam.* 13. *cap.* iii. Laymanus *Lib. IV. cap.* 2. VVigandt *tract.* v. *exam.* 4. *num.* 97. Ioannes Pontas *Tom. II. verb. Ieiun. caſ.* 14. Fagundez *de* 4. *præcep. Eccleſ. Lib. I. cap.* iv. *num.* 14. P. Carolus Billuart *Tom. V. diſſ.* ii. *ar.* 5. *§.* 5. Leander a SS. Sacramento *tract.* v. *diſp.* v. *quæſt.* v. ubi tamen mediam ſententiam invehere nititur. Aſſerit enim, quod, ſi potio chocolatica parum habeat admixtum ſacchari, amygdalarum, maizi, aliarumque ingredientium rerum, non frangat ieiunium; ſi vero talis potio multum habeat admixtum chocolatis, ita ut in quantitate multum excedat aquam, cui admiſcetur; tunc in natura ſua remanens frangit ieiunium, quia remanet ſimpliciter in ratione cibi. Ratio, inquit, huius reſponſionis eſt, quia mixtum ſeu compoſitum ex duobus ſemper a prædominante tale dicitur, ſeu denominatur; ut conſtat in mixto ex aqua & vino compoſito, ipſum namque ſemper remanet in ratione vini, quoaduſque ſuperetur ab aqua: quia tunc ratione aquæ prædominantis aquæ potus erit, & denominabitur. Sic ergo in propoſito. Mixtum ex materia chocolatis & aquæ & poteſt eſſe, ac denominari cibus, & poteſt eſſe, ac denominari potus: cibus quidem, ſi excedat in materia comeſtibili; potus vero, ſi excedat in materia potabili, hoc eſt in aqua. Si excedat in illo materia comeſtibilis; natura ſua, & ex ſe frangit ieiu-

nium, quoties ſumatur in magna quantitate. Si vero contra in illo mixto ſit maior materia potabilis, ſeu quantitas aquæ; *tunc non franget ieiunium*, *quamvis ſumatur in magna quantitate*, *& quoties libuerit : quia ex ſe eſt potus*, *cum remaneat in eſſe tali*. Hactenus Leander, cui adhæret Geribaldus *tract.* VIII. *cap.* III. *dub.* 5.

VII. Leandri ſententia evidenter falſa eſt, & iuxta ipſum Leandrum, & iuxta rationem. Primum Leander abſolute concedit, tum loco laudato, tum §. 1. eiuſdem quæſtionis, potionem chocolaticam ieiunium frangere. Deinde ſubdit, ieiunium non frangere, ſi chocolates ſuperetur ab aqua, cui miſcetur. At communiter in potione chocolatis aqua excedit chocolatem fere ultra medietatem. Delicati ſiquidem potatores, qui potionem hanc conficiunt peroptimam, duas uncias chocolatis immiſcent ſex unciis aquæ: ex qua mixtione impletur unus cyathus, ſeu unum vaſculum, quod ſorberi ſolet. Iſtius rei periculum ipſe feci: aquam ſcilicet ponderavi, & chocolatem, quæ miſceri ſolent ab iſtius rei peritis in coctione chocolatis. Ergo vel Leander admittere debet id quod negat, nempe chocolatis potionem communiter ſumptam non violare ieiunium; vel, ſi adfirmet violare ieiunium, revocare debet ſuam mediam ſententiam, cum reipſa nihil diſtet ab altera quam improbat. Ratio porro quam ipſe promit, eſt contra ſenſum communem, & manifeſtam experientiam. Inquit enim ille, quod, quando in mixto aqua excedit materiam comeſtibilem, mixtum eſt, & denominatur aqua. Hac ratione polenta, cibus ruſticis familiaris, deberet iuxta Leandrum eſſe, & denominari aqua: quoniam in hoc mixto cuilibet farinæ libræ reſpondent circiter tres libræ aquæ. Pulmentum ex oryza, adeo commune omnibus menſis, aqua per Leandrum nuncupari deberet: quia cuilibet unciæ oryzæ pluſquam ſex unciæ aquæ reſpondent. Alia mixta recenſere omitto, ne in re apertiſſima tempus prodigam. Sententia ergo Leandri, abſolute accepta, falſa eſt, & falſiſſimo innititur principio. Inſuper laxiſſima eſt, eo quod afferat, ex illo mixto in quo aqua excedit, poſſe ſumi & *in magna quantitate*, *& quoties libuerit*. Hinc enim ſequitur quemlibet poſſe ſumere die ieiunii mediam, quin integram, libram chocolatis; dummodo tribus vel quatuor libris aquæ eam immiſceat. Exemplum quod adducit de aqua roſacea, permixta aquæ naturali, ineptum omnino eſt quo ad rem qua de agimus. An poſtea unica uncia chocolatis, infuſa magno aquæ vaſi, ieiunium violet, infra ubi de parvitate materiæ ſermo erit, dicam.

VIII. Hanc noſtram ſententiam defendunt præter ſupra laudatos plures alii, quos ſilentio prætereo. Unum, vel alterum tantum recenſeo. Patres Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. *num.* 60. Quid plura? Pater Tamburinus *Lib. IV. in Decal. cap.* V. §. 2. *num.* 9. *& ſeq.* ubi inter alias rationes quas promit, ait: „ Chocolata fini Eccleſiæ ieiunium præcipientis omnino adverſatur: quia finis Ec-

„ cle-

Digitized by Google

„ cleſiæ eſt prohibere extra unicam refectionem cibos ex ſe nutritivos; ſolumque „ concedere veram potionem diſtributioni alimentorum ſervientem: at chocolata „ componitur ex cibis multum ſubſtantialibus, & nutritivis, nec per ſe ordinatis „ ad vehendum, diſtribuendumque per venas alimentum: nam propterea mane, „ & ſero, ieiuno ventriculo, ſumi conſuevit.“ Libuit referre ipſius Tamburini verba, quæ magnæ auctoritatis eſſe debent: quoniam Auctoris ſunt in ſummam benignitatem propenſi. La-Croix *Lib. III. part.* II. *cap.* III. *num.*1291. proponit quæſtionem hanc, & utriuſque partis recenſet Auctores; ac de more nihil de ſuo addens, lectori electionem relinquit. Sic tamen utramque partem proponit, ut opinionem faventem potioni, alteri præferre videatur. Quantum utilitatis hocce ſcribendi genus afferat, aliorum eſto iudicium.

IX. Pauci ſunt Auctores qui contrariam opinionem abſolute, & nulla limitatione adiecta, defendant. Nam plures ad materiæ parvitatem confugiunt. Aliqui tamen abſolute docent, chocolatem nullo modo ieiunii integritati adverſari; eumque ſumentes toties, quoties ſibi libuerit, ieiunium minime frangere. Ut ingenue fatear, quamquam in morum controverſiis difficilis ſim in ferendis iudiciis; attamen temperare mihi haud poſſum quin hanc opinionem, tamquam omnino falſam, & ſcandali plenam, reiiciam: quoniam tum extrinſecus Theologorum auctoritate, tum intrinſecus ratione deſtituta eſt. Et ut ab auctoritate auſpicemur, nullus Auctor vere gravis pro ea affertur. Nullum certe mihi legere licuit. In medium producunt Thomam Hurtadum, qui *Parte II. tract.* x. & in appendice ad illum *num.69.* refert quoſdam Patres Soc. Ieſu Univerſitatis Salmanticenſis pro opinione defendente potionem chocolatis: quos tamen Auctores nihil ſcriptis hac de re conſignaſſe perhibetur. Duo tandem Cardinales, nempe Brancatius, qui unam diſſertationem contexuit de potu chocolatis, & Cozza, defendunt potionem chocolatis (variis tamen limitationibus adiectis) non violare ieiunium. Primus in *laud. diſſert. de potu chocol.* Secundus in *Tom. de ieiunio part.* III. *art.* I. *dub. 9. num.* 109. ubi omnes rationes Brancatii, & aliorum, & quas ipſe excogitare potuit, promit in medium. Omnes ego ſincere mihi obiiciam, eaſque reſolvam, ut heinc evidentius colligat lector, quam verum ſit id quod ſcribit Lezana Auctor, ut ex pluribus eius operibus colligitur, ſane pius & doctus, & in Patrum lectione verſatus. Hic autem *Tom. de conſult. conſil.* XLVIII. *num.* 88. ait: *Sententia, quæ affirmat potionem illam ex Indiis Hiſpaniam advectam, vulgo chocolate, non frangere ieiunium (intellige, quando in aliqualiter notabili quantitate ſumitur) non videtur mihi probabilis, ſed potius falſa. Quod quidem, ſalva pace meorum Hiſpanorum quos valde veneror, dictum ſit.*

Digitized by Google

CAPUT X.

Contrariæ ſententiæ momenta omnia in examen adducuntur, & penitus confutantur: ac vera ſententia evidentior conſtituitur.

I. Brevi calamo veræ, communiſque ſententiæ rationes expoſui, ut fuſius confutare poſſem paradoxa, & ſophiſmata, quæ contra eamdem opponi ab adverſariis ſolent. Cum adverſa opinio falſa ſit, & communi ſenſui repugnans, ut ſub aliquo probabilitatis velamine appareat, multis eget pigmentis, fuciſque multis; atque, ut ſe tueatur, cavillandi arte, & *bliſtris* quibuſdam utatur neceſſe eſt. Quare, ſi prolixior ſuero, quam res ſuapte natura expoſcat, non mihi vitio vertatur, ſed adverſariis, qui cauſſam facilem, perſpicuamque nimium impeditam, & implexam effecere. Antequam vero argumenta Cardinalis Cozza, & Thomæ Hurtadi profero, non abs re cenſui exſcribere opinionem, quam ex laudato Brancatio docet P. Viva *quæſt.* VI. *art.* I. *num.* 8. his verbis. „ Verum, præciſa auctoritate extrinſeca, arridet mihi opinio Eminentiſſimi Brancatii cum Eſcob. quod ſcilicet, ſi ea utamur eo modo quo in Mexico eſt potus uſualis (ita videlicet ut ſeptem, vel octo unciis aquæ addatur una uncia chocolatæ, & media ſacchari) ieiunium non frangat; ſecus vero, ſi magna quantitas chocolatæ intermiſceatur aquæ, ita ut inducat rationem pulmenti, ut diximus de ſorbetta. „ Ratio non eſt, quia uncia eſt materia parva: nam ſic non poſſes illam pluries ſumere ſine mortali, nec ſemel ſine veniali: ſed quia in tanta quantitate eſt potus uſualis apud illas nationes, & ſic ubilibet tamquam potus uſualis ſumi poteſt.

„ Neque dicas primo, quod, quamvis talis potus ſit uſualis apud Indos, non eſt apud noſtrates uſualis. Nam, ſi alicubi eſt potus uſualis, iam natura ſua habet ſumi ad vehiculum cibi, & ad ſedandam ſitim. Quod autem natura ſua eſt tale, ubilibet eſt tale. Et hac de cauſa apud noſtrates cerviſia non frangit ieiunium, quamvis non ſit hic uſualis.

„ Neque dicas ſecundo, quod vere nutriat: nam idem dici poſſet de vino, & cerviſia; quæ tamen ieiunium non frangunt. “

II. Expediens viſum fuit propriis Auctoris verbis illius ſententiam tranſcribere. Quod in eadem primum omnium admirandum occurrit, eſt, ipſum Theologiam ſuam, pro tyronibus Europæis editam, ad Mexicanorum mores, tamquam ad regulam potus ſumendi in Chriſtianorum ieiuniis, revocare. Chocolates ergo potus uſualis eſt apud Mexicanos. Ergo etiam apud Chriſtianos. Cur? Quia id quod alicu-

Digitized by Google

alicubi eſt potus uſualis, iam natura ſua evadit talis. Papæ! Si alicubi ſumeretur lac, aut iuſculum pro potu uſuali; iam illud natura ſua fieret talis apud omnes Chriſtianos? Sed cur chocolates Mexicanis eſt potus uſualis? Quia componitur ex ſeptem vel octo unciis aquæ, & una uncia chocolatis cum dimidia ſacchari. Chocolatem igitur hoc modo mixtum ſumere poteſt Chriſtianus die ieiunii quoties ſibi placet? Quoniam non ideo illum ſumere poteſt, quod uncia cum dimidia ſit parvitas materiæ; ſed quia in tanta quantitate eſt potus uſualis apud Mexicanos. Quapropter iuxta hanc doctrinam *P. Viva* poterit Chriſtianus die ieiunii extra prandium ſumere decem, vel quindecim, vel viginti uncias chocolatis; dummodo quæque uncia cum dimidia, ſeptem, aut octo aquæ unciis immiſceatur. Alterum, quod mirari ſubit in hac ſcribendi ratione, eſt, *P. Viva* cum aliis recentioribus in id maxime incumbere, ut caſus reſolvat practicos, & præſentibus circumſtantiis accommodatos. Porro in hac quæſtione nec verbum facit de chocolate Italico, Hiſpanico &c. Ait ſolum, chocolatem, more Mexicanorum mixtum poſſe ſumi pluries in diem tempore ieiunii. Quid, ſi mixtus eſſet more Europæorum? Silentio hoc præterit. Ceterum diſcrimen inter chocolatem Mexicanum & Italicum non aliud eſt, niſi quod in illo uncia chocolatis cum dimidia ſacchari, miſcetur ſeptem, vel octo unciis aquæ; in iſto vero, ſeu Italico, & Europæo, una uncia chocolatis cum dimidia ſacchari miſcetur quatuor, ſeu quinque circiter unciis aquæ. Quærendum nunc eſſet, num varietas duarum unciarum aquæ efficere poſſit, quod chocolates evadat nec ne potus uſualis, aut potus principaliter nutriens. Sed de hoc pluſquam ſatis. Ex ſolutione ſiquidem obiectionum clarius apparebit falſitas recenſitæ opinionis, coloribus Mexicanis delibutæ. Addit tamen P. Viva, non eſſe laxandas hiſce opinionibus habenas, præſertim *a timoratis*, qui Chriſtum Dominum imitari, illique, non abdomini, inſervire ſatagunt. Hic etiam quærendum eſſet, utrum inter timoratos, qui Chriſtum imitari, illique, non abdomini inſervire debent, recenſendi ſint omnes Chriſtiani. Interim hæc opinio, quam P. Viva pia intentione reputavit probabilem, mihi non modo falſa eſt, ſed ſcandali plena, ut iam dixi ſupra: quia *toties quoties* libuerit, potum chocolatis concedit.

III. Obiicit ergo 1. Eminentiſſimus Cozza. Potus chocolatis non habet ex natura ſua rationem cibi; ſed naturam veri potus. At in omnium ſententia potus non adverſatur integritati ieiunii, niſi ſit extractus ex materia in diebus eſurialibus prohibita, ut ſunt iuſcula ex carne, & ſimilia. Ergo. Maiorem, inquit Cozza, probat Brancatius ex pluribus Auctoribus, qui in Indiarum partibus commorati ſunt, quique teſtantur, potum communem Indorum eſſe chocolatem. Adducit inter alios Ioannem a Coſta, hæc verba proferentem Lib. III. de proc. Ind. ſalut cap. XXII. *Robuſtam, & ſalubrem, & aſſuefactis non iniucundam eſſe ſiceram (ſic*

O iiij *enim*

enim iam dudum voco iſtam vulgarem Indorum potionem, ſive maicio, *ſive* cacao, *ſive quovis alio genere conſtet*) *nullo modo negare poſſunt quicumque iſtam experti ſunt*. Atqui ſicera, ſubdit Cozza, non eſt ex natura ſua cibus; ſed eſt mere potus aptus ad inebriandum. Quoniam Scriptura eodem modo de vino, ac de ſicera loquitur Deuter. xxix. *Panem non comediſtis, vinum, & ſiceram non bibiſtis*: & Lib. Iud. cap. xiii. *Cave ergo ne bibas vinum, ac ſiceram*. Alios Auctores refert pariter teſtantes, Indorum potum eſſe chocolatem.

IV. Utraſque ſyllogiſmi propoſitiones conſtat eſſe manifeſte falſas. Maiorem quidem, quæ naturam veri potus habere aſſerit chocolatem, ex dictis falſam eſſe patet. Nam verus potus inter prandendum, & ad ſitim reſtinguendam, vel cibum digerendum communiter adhibetur. Chocolates eſt mixtum quoddam, ex aqua, & ſubſtantia comeſtibili compoſitum, quod non eo, quo potus, nempe ad alterationem cibi, ad diſtributionem ſanguinis, ad extinctionem ſitis ſpectat; ſed ad vires inſtaurandas, famemque repellendam. Ceterum, ut magis magiſque pateat præfatæ propoſitionis falſitas, iſthuc tranſcribenda ſunt quæ, tamquam penes omnes certiſſima, in diſputationis limine loco laudato *num.* 101. præmittit ipſemet Eminentiſſimus Cozza. *Ad exactam*, inquit, *huius rei diſcuſſionem ſecernenda ſunt certa ab incertis, ut clarius procedatur. Et primo in hoc concordant omnes, quod chocolates in ſe, & ex natura ſua habet rationem cibi: nam componitur ex materia comeſtibili; componitur enim ex cacao, cinnamomo, ſaccharo, & vaginula, quæ omnia in ſe habent rationem cibi nutritivi*. Chocolates ergo eſt mixtum, concretum ex rebus comeſtibilibus; eſtque ſuapte natura cibus ſubſtantialis, ac nutriens: & hoc iuxta omnes. Tota ergo difficultas in minori, ſeu ſecunda propoſitione, vertitur. *Potus*, inquit præfatus Auctor, *in omnium ſententia non adverſatur integritati ieiunii, niſi ſit extractus ex materia in diebus eſurialibus prohibita, ut iuſcula ex carne, & ſimilia*. Hæc propoſitio in omnium ſententia eſt, debetque eſſe falſa. Nonne in ieiuniis extra Quadrageſimam licita ſunt lacticinia pluribus in regionibus? Licitus ergo erit potus lactis, quoniam materia prohibita non eſt? Ova quoque trita, & aqua diluta ſorberi poterunt? Quid plura? Non pauci in Quadrageſima privilegium habent comedendi carnes, hac unica ratione quod piſces nocui ſunt illorum ſtomacho. Iſti iuxta laudatum Auctorem ad ieiunium tenentur. Poterunt ergo iſti potare iuſculum ex carnibus; quod non ſit ex materia illis prohibita extractum. At, ut preſſius falſitatem propoſitionis manifeſtemus, exprimamus iuſculum ex materia in ipſo quadrageſimali ieiunio omnibus conceſſa. Comminuantur itaque acipenſeres, vulgo *ſtorione*, tructæ, aliique optimi piſces, ſaccharo, aliiſque aromatibus commiſceantur, & aqua liquati ad ignem iuxta regulas artis coquinariæ, quemadmodum chocolates, caleſiant. Hoc iuſculum optimum ſane erit, non minoris forte pretii ac ſaporis quam chocolates. Quid ais? Eſt ne

Theo-

Theologus qui audeat aſſerere, poſſe Chriſtianos ieiunantes potare præfatum iuſculum; ſeu, quod idem reipſa eſt, in ventrem ingerere, quoties per diem libuerit, præfatos piſces, ſive in propria natura comeſtos, ſive aqua liquatos? Quem, quæſo, non puderet id adfirmare? Sunt itaque ambæ propoſitiones præfati ſyllogiſmi evidentiſſime falſæ. Paucis autem verbis ſophiſma exploditur. Potus, ex rebus comeſtibilibus ſubſtantialibus & nutrientibus, atque ex aqua, vel alio liquore concretus, ieiunii tempore extra refectionem prohibitus eſt; & ieiunium frangit. Potus vero ſimplex, non immixtus rebus comeſtibilibus, cuiuſmodi eſt vinum, aqua, cerviſia, quæ reipſa ad extinguendam ſitim, ad cibi alterationem, & alimenti, ſanguiniſque per venas diſtributionem adhibetur, die ieiunii ad temperantiæ regulas licitus eſt. Quod poſtea ſubditur, Ioannem a Coſta vocare chocolatem *ſiceram*; & *ſiceram* iuxta ſacram Scripturam eſſe potum, non ſecus ac vinum, adeo lepidum, & feſtivum eſt, ut ſola admiratione præteriri debeat. An Indorum potus ſit chocolates, ut in Europa componitur, penes laudatos Auctores fides eſto. Nemo ſane in Europa, eorum ſaltem qui ſummo mane chocolatem dulciter ſorbillant, ad ſitim extinguendam, vel alios naturalis potus fines aſſequendos illum adhibet. Quid, ſi Indi in uſum haberent potandi iuſculum ex carnibus? Ideo ne Chriſtianis potus ille liceret ieiuniorum tempore? Quid ergo ineptius quam Chriſtianorum ieiunia exigere ad Indorum dubias conſuetudines, quæ, ſive veræ, ſive falſæ ſint, nihil ad rem qua de agimus pertinent? Forſitan Indi quidquam pulveris aquæ aſpergunt, ut eam palato ſapidam efficiant, ab eademque cruditatem amoveant; quemadmodum ſunt apud nos aquæ plures artificiales, quæ revera rationem potus habent, & ad extinguendam ſitim adhibentur, v. g. potiones citreæ, & potiones ex ſucco mali medici, vulgo *limonea*. Nunc autem ſermo eſt de chocolate ſpiſſo, craſſoque, qui in Europa ſorbetur, non ad ſitim extinguendam, ſed valde mane ad ventriculum, & vacuum ſtomachum roborandum.

V. Obiicit 2. Cerviſia ex hordeo, vel frumento, & vinum ex uvis, quæ comeſtibilia ſunt, exprimuntur, ac virtutem nutriendi habent; & tamen potus vini, ac cerviſiæ extra refectionem ſumptus ieiunium non frangit. Ergo idem de chocolate dicendum. Reſp. Etiam hæc obiectio purum eſt putumque ſophiſma. Enim vero, ſi quis ex hordeo, vel frumento comminuto, & trito, & ex aqua ſimul mixtis, pultem, vel rarius etiam mixtum, ſicuti eſt papparium, componeret, quemadmodum componitur potio chocolatica, poſſet ne aliquis tempore ieiunii illam pultem, ſive papparium ſumere? Aliud ergo eſt, ex re comeſtibili liquorem potabilem exprimere; & aliud longe diverſum, rem comeſtibilem cum liquore potabili miſcere, & mixtum conficere. Potio chocolatica eſt mixtum quoddam, ex re comeſtibili ſubſtantiali, & nutriente iuxta oppoſitorem, omneſ-

que

Digitized by Google

que adverſarios, & ex aqua concretum ; quemadmodum mixtum eſt puls, ſeu papparium, quæ procul dubio ieiunium frangunt. Cerviſia autem, & vinum liquores ſunt ſimplices, rebus comeſtibilibus minime immixti; licet ex rebus comeſtibilibus expreſſi: atque ſuapte natura adhibentur ad ſitim extinguendam, & alimentum, ſanguinemque per venas diſtribuendum. Idcirco iſti, ſimileſque liquores veri potus rationem habent in communi omnium exiſtimatione. Ut paritas apta eſſet, deberet uva ipſa cum cortice, vel ipſum triticum concuti, & aliis aromatibus, & aquæ immiſceri, & per calefactionem, ac concoctionem ita alterari, ut ſpiſſa aliqua ſorbitiuncula conſurgeret, quæ, ſicut chocolates, interruptis moralis ſorberetur. Sed tunc iſta, quemadmodum chocolates, ieiunium frangerent. Quamvis autem vinum, & cerviſia, quin & aqua, aliquo modo nutriant; quia tamen a natura inſtituta ſunt per ſe ad ſitim extinguendam, cibumque digerendum; idcirco ieiunium non frangunt. Quod ſi, non ad præſatos effectus, ſed in fraudem ieiunii, ad famem ſcilicet abigendam ſumerentur; iuxta omnes eſſet peccatum intemperantiæ: & iuxta fere omnes antiquos, tum Patres, tum Theologos, violaretur ieiunium. Chocolates vero, licet potetur, non ideo adhibetur, ut veri, & ſimplicis potus effectus habeantur; ſed, ſicuti ſæpius dictum eſt, ut fames pellatur, & ab incommodo, moleſtiaque quam ieiunium affert, corpus liberetur.

VI. Obiicit 3. Quando aqua excedit quantitatem ſubſtantiæ comeſtibilis, tunc mixtum ex aqua, & ſubſtantia comeſtibili rationem potus habet; ſicut e contrario, quando materia comeſtibilis, liquoris, cui infunditur, quantitatem ſuperat, mixtum quod componitur, non potus, ſed cibus nuncupatur. *Reſp.* Iam inter diſputandum paradoxon iſtud penitus profligatum fuit, pluribuſque exemplis illius falſitas comprobata. In maiorem tamen veritatis confirmationem regulam certiſſimam aſſigno diſcernendi, quodnam mixtum, licet potabile, ieiunium ſolvat eccleſiaſticum. Quando ſubſtantia rei comeſtibilis, in ſua ſpecie ſeu natura comeſta, eſt tantæ quantitatis, quæ ſatis ſit ad violandum ieiunium, ea etiam aquæ a ieiunante potandæ immixta, illud frangit. Contra vero, ſi res comeſtibilis foret quantitatis adeo modicæ, ut, licet in ſua natura manducaretur, non frangeret ieiunium, ea neque aquæ permixta illud infringit. Hoc mihi evidens, & manifeſtum eſt: nec percipio quomodo quiſquam ratione præditus præſatam regulam negare audeat. Solum addo, res comeſtibiles aquæ infectas aptiores evadere tum ad nutritionem, tum ad famis expulſionem. Quod ſi de quaque ſubſtantia comeſtibili verum eſt, ut ſupra ex Layman animadverti; potiori ſane iure hoc de chocolate adfirmare valemus. Nam, ſi unus unciam chocolatis in ſua ſpecie comederet; alter vero eamdem chocolatis unciam, quatuor unciis aquæ commixtam, revolveret, agitaretque, & per coctionem optime ad artis regulas compoſitam potaret: hic dubio procul maius quam primus ſtomacho ſuo præſi-

d:um

dium afferret, vacuum ventriculum magis impleret, & palato ac faucibus melius conſuleret. Ex quo conſequitur, quod, licet materia comeſtibilis, in ſe ſpectata, ſit quantitatis inſufficientis ad ieiunii violationem, mixtura tamen ex ea, & aqua poteſt eſſe ſufficiens ad eiuſdem ieiunii tranſgreſſionem. Itaque, ſi chocolates abſolute comeſtus ieiunio, ut fatentur omnes, adverſatur, gravius ieiunium violabit, ſi aqua dilutus potetur.

VII. Obiicies 4. Romani Pontifices declararunt, potum chocolatis ieiunium non frangere. Hoc integro capite evincere conatur Thomas Hurtado in ſuo *de potione chocolatica tract. x. cap. III.* Parcat benignus lector, ſi paullulum prolixior quam par ſit, fuerim, ut cavillos, impoſturaſque, quibus obduci veritas ab adverſariis pertentatur, penitus convellam. Scito igitur, præfatum Thomam Hurtadum duos integros tractatus elucubraſſe, ut ſuavem chocolatis potum diebus ieiunii licitum propugnaret. Auctor eſt non indoctus, pluraque laude digna edidit; ſed plura quoque laxitatis plena evulgavit; ut data opportunitate fiet palam. Et, ne extra limites excurram diſputationis, aliqua indicabo, quæ noſtram ſpectant quæſtionem. Igitur laudato capite, ut viam paret ad ſuam firmandam aſſertionem, proponit argumentum ab auctoritate ſummorum Pontificum petitum. Antequam vero illud promat, hoc ſtatuit principium, quod, inquit, *valeat, ſi non ut teſtamentum, ſaltem ut codicillum*. Næ argutum effatum? Sed aperiamus hoc, ſive *codicillum*, ſive *teſtamentum*. „ Quando (inquit) fideles maxime inclinantur ad operandum quod videtur eſſe contra aliquam legem poſitivam humanam, a qua inclinatione difficile avertuntur; Doctoribus, præcipue Theologis, qui forum conſcientiæ reſpiciunt, incumbit illa declarare, eiuſque obligationem aperire, quantum fieri poteſt, in conſcientiæ favorem, & quietem, ut ſic peccata mortalia evitentur. Etenim, ut aliqua lex humana non obſervetur; ſat eſt ratio probabilis. ET NON SOLUM PROBABILIS, SED QUOD PROBABILIS APPREHENDATUR A VIRIS DOCTIS, & TIMORATIS. Sic defendunt Theologi, & Iuriſperiti, dum agunt de obligatione legum eccleſiaſticarum, & de cauſis hanc obligationem excuſantibus. Quare *CONANDUM eſt, rationes adducere auctoritate Doctorum nitentes, quæ cuivis cordato probabiles apparebunt, ad oſtendendum, potionem de chocolato ieiunium non frangere.* “

VIII. Hæc præmittere volui, ut, quo ſpectet ſimilium Auctorum intentio, clarius percipias. Audiſti, non ſolum veram probabilitatem, ſed apparentiam ipſam probabilitatis eximere a legis obligatione? Ut autem laxitatis horrorem melius deprehendas, advertas velim, ſermonem eſſe de legibus eccleſiaſticis, quæ determinant, definiunt, explicantque obligationem genericam legis naturalis, & divinæ; ut eſt hæc, quam explicamus de ieiunio. Plurima alia ridicularia, laxa,

xa, & falſa, quæ in his ſolis duobus tractatibus congerit, efferre poſſem; quæ tamen brevitatis gratia prætereo.

IX. Itaque, ut apparenter probabilem ſuam conſtituat opinionem; conatur afferre auctoritatem ſummorum Pontificum, nempe S. Pii V. Gregorii XIII. Pauli V. & Gregorii XV. Probat vero, S. Pium V. declaraſſe chocolatem ieiunium non frangere, ſequenti documento, quod refert *loc. cit. cap. xv.* „ P. Raphael de „ Luxan, Provincialis provinciæ S. Vincentii Ordinis Prædicatorum, ſub iuramen„ to adteſtatur, P. F. Hieronymum a S. Vincentio eiuſdem provinciæ Provincia„ lem, virum religioſum &c. ſingularis virtutis, ſibi dixiſſe, hunc caſum ſe, „ dum eſſet Romæ tempore Pii V. motum ſancto zelo, ſuam Sanctitatem bonæ „ memoriæ Pium V. conſuluiſſe, ipſumque informando de ingredientibus hanc „ potionem, habuiſſe reſponſum: *Potus non frangit ieiunium*. " Adducit ibidem alios Auctores Hiſpanos, qui teſtantur, Gregorium XIII. Paulum V. & Gregorium XV. itidem declaraſſe, chocolatem ieiunium non frangere.

X. Reſp. Hæc omnia pura putaque ſunt commenta, & fabellæ aniles. Hoc autem evinco omnibus illis rationibus quibus evincitur falſitas alicuius facti, quod numquam fuit: cuius propterea reperiri non poteſt teſtis, qui illud aperte neget. Et ut a levioribus incipiam. I. Pontifices ſummi, nec ullus Princeps, vel Legislator in colloquiis privatis leges univerſales Eccleſiæ interpretantur. II. Etiamſi in privatis colloquiis propriam dicerent ſententiam; nequaquam hæc, tamquam authentica interpretatio, adduci in forum poſſet; ut docent Covarruvias *in IV. Decret. par.* II. *cap.* VII. *§. 3. num.* 7. Canus *de locis theolog. Lib. VI. cap.* VIII. Suarez *Lib. IV. de legibus cap.* XIV. *num.* VI. Sanchez *Lib. II. de matrimon. diſp.* XIV. *num.* 4. & communiter alii. III. Reſponſio ipſa, quæ data a Pontifice aſſeritur, ſui ipſius falſitatem prodit. *Potus non frangit ieiunium*, dixit S. Pius V. Hæc propoſitio, ſi cuiuſque liquidi potum comprehendat, laxa, & falſa eſt: nam potus lactis, iuſculi, & ſimilium, ieiunia frangit, nemine repugnante. Quid, ſi Frater ille Hieronymus Pontifici repræſentaſſet, in præfata provincia chocolatem eſſe potum uſualem, qui in prandio, & in cœna, & extra comeſturam adhibetur? Optime reſpondiſſet Pontifex, potum ieiunium non frangere. Nemo quippe pronuntiaverit, chocolatem taliter compactum, ut ad extinguendam ſitim, & ad cibos digerendos ſumatur, frangere ieiunium: quia tunc aqua erit, parva chocolatici pulveris quantitate reſperſa; ut aqua ſic temperata gratior faucibus, & innoxia ſtomacho evadat. At poſitio iſthæc nihil ad quæſtionem noſtram pertineret. Nunc enim ſermo eſt de chocolate qui non ſit potus uſualis ad ſitim extinguendam, ciboſque digerendos adhibitus; ſed de eo chocolate nobis ſermo eſt qui mane ſumitur ad ſtomachum roborandum, & cuius uſus eſt ad alios effectus, præterquam ad ſitim extinguendam, & concoctionem ciborum.

IV.

Digitized by Google

IV. Præfatum reſponſum, & integra illa narratio omnes prodit meræ impoſturæ characteres. Primo tempore Pii V. uſus chocolatis Romæ, & in Italia minime obtinebat. Et certe ſanctus Pontifex, ut ex illius actis colligitur, chocolate numquam uſus fuit; ac proinde ſententiam dicere haud poterat in rem minime cognitam. Secundo Doctor Navarrus, Pio V. ceteriſque laudatis Pontificibus percarus & familiaris, Romæ ſcribebat ſuum manuale, octogeſimum annum agens, in quo *cap.* XXI. *num.* 13. diſputans, num potus aquæ, vel vini mane, ſive poſt prandium ſumptus frangat ieiunium, negative reſpondet, auctoritate nixus D. Thomæ. Cur non adduxit recens oraculum S. Pii V. dicentis, *Potus non frangit ieiunium*, relaturus dubio procul, ſi fuiſſet? eo magis quod loco laudato *num.* 15. conceptis verbis loquitur de conſuetudine ieiuniorum, quæ tum obtinebat in *novo orbe, & terris nove repertis*. Quid quod nemo vel Romanorum, vel ex univerſa Italia, ſive Iuriſprudentum, ſive Canoniſtarum, ſive Theologorum, pontificium iſtud oraculum ſcriptis prodidit? Solis Indis, & Hiſpanis oracula, quæ Romæ Pontifices edunt, comperta ſunt? V. Denique, quod rem conficit, eſt auctoritas Eminentiſſimi Cardinalis Brancatii, qui, quamquam licitum ieiunii tempore chocolatis uſum defendat, candide tamen fatetur, ſibi non conſtare de laudatis pontificiis oraculis: additque, numquam ſe audiviſſe quidquam de his oraculis a viris quorum cognitionem illa fugere minime poterant. Ne gratis hæc dicere videar, verba Brancatii ex diſſertatione ſua tranſcribo. *Non aſciſcam mihi hac aſſertione præſidium ex aſſertis ſummorum Pontificum Pii V. Gregorii XIII. Pauli V. Gregorii XV. declarationibus relatis poſt ceteros ab Hurtado, aut ex Bulla felicis memoriæ Urbani VIII. cuius meminit Henricus Stubeus, & prius Pellicer, ab Hurtado relatus, negativam noſtram ſententiam confirmantibus. De his enim mihi legitime non conſtat. Neque illos vidi, neque id a viris quorum certe cognitionem fugere non poterant, audivi. Immo, cum plerumque coram Pontifice in Epiſcoporum examine, me præſente, hæc controverſia fuerit propoſita, nulla de aſſertis Bullis mentio facta eſt.* VI. Hinc collige ex multitudine Pontificum, qui allegantur in præſidium chocolatis, novum, validumque putidæ impoſturæ argumentum. Eſt ne veriſimile (dicam fortius) fieri ne potuit ut tot Pontifices oracula ediderint, & declarationes, bullaſque pro licito chocolatis potu ieiunii tempore; & ſolis Indis, ac Hiſpanis eiuſmodi pontificia documenta nota fuerint; & nemo illorum qui in Italia, qui Romæ degebant, eadem agnoverit: quorum tamen, teſte Cardinali Brancatio, cognitionem fugere minime potuiſſent? Nonne ob recurrentes frequentiſſimas occaſiones multorum interfuiſſet eiuſmodi documenta caute ſervare, & efferre, ut ſuavem, & ex alia parte in contentionem, diſcrimenque adductum, chocolatis potum propugnarent? VII. Familiare quibuſdam Caſuiſtis eſt ſimilia comminiſci, ſi veræ probationes deficiant. Nam, ut ceteros

ſi-

ſileam, Pater Hieronymus Lamas, tamquam certum, ſcriptis prodidit oraculum; quo laudatus S. Pius V. exemit ſexagenarios a ieiunii quadrageſimalis præcepto; ut infra *cap.* XIX. videbimus. Et tamen evidenter palam fiet, merum illud, nimiumque pingue commentum eſſe. VIII. Si eiuſmodi coniecturæ ſimul accipiantur, ut convenit iſtius generis argumentationibus, luce clarius compertum efficitur, omnia quæ ex recenſitis Pontificibus obtruduntur, nihil aliud eſſe quam fabellas totidem fide indignas.

XI. Obiicies 5. Citatus P. Hurtado opponit conſilium D. Martini Navarri, quod deſcribit in calce ſui tractatus x. in defenſionem potus chocolatis. Conſilium *iſtud* Romæ ſcriptum aſſeritur ad petitionem P. Sebaſtiani de Oviedo Dominicani Provinciæ Guatimalæ; & ex originali in civitate de Chiapa tranſcriptum eſſe teſtatur P. Franciſcus de Olmo Superior Conventus S. Dominici anno 1577. *Reſp. Iſtud* quoque conſilium commentum ſapit. Navarrus ſcribebat Romæ octogenarius ſuum manuale, in quo ſatis veriſimile eſt illum talis ſententiæ meminiſſe, ut ſupra indicatum fuit. Accedit Navarrum ſua conſilia typis edidiſſe. Cur autem, amabo te, iſtud neglexit? Cur repetitis tot editionibus in tenebris ſemper delituit? Romæ Navarrus ſcripſit ſex conſilia de ieiunio, quæ habentur *Tom. I. Lib. III. pag.* 771. Aliqua ſunt levioris momenti, & aliqua etiam mutila, quia, ut inquit ille *conſil.* IV. propter occupationes non potuit illa perficere. Dic, ſodes, ſi Navarrus omnia ſua conſilia, immo vel ipſa fragmenta conſiliorum edidit, numquid conſilium omiſiſſet ſummi momenti, conſilium, inquam, datum ad petitionem integræ civitatis de Chiapa? Quid quod conſilium iſtud, etiamſi verum eſſet, nihil faveret contrariæ opinioni; ſed potius illam labefactaret? In eo dicitur: *Naturales illius terræ* (Chiapæ Indiarum) *cum ſola frequentatione iſtius potus laborare conſueſcunt ſine eo quod ſumant alium cibum uſque ad noctem*. Si per totum diem hoc ſolo potu nutriunt corpus inter ipſos labores Indi illi; quis dixerit, potum iſtum cibi nutrientis, & conſervantis corpora naturam non habere? Quis dixerit eum nutriendi vim non habere, ſi vel inter labores vires reficere potis eſt? Verum de hoc infra iterum ſermo recurret.

XII. Lubet alium conatum iſtius P. Hurtadi lectori indicare meo, ut pauliſper illius animum tædio, quod prolixitas ingerit, ſubducam. Lepida quippe ſunt, & feſtiva quæ ex hoc Hurtado adiecturus ſum. Perge porro. Hic invehitur in P. Zachariam Paſqualigum, ſcriptorem alioquin in laxandis ieiunii regulis nemini ſecundum. Cur ergo ab Hurtado laxitatis patronus vapulat? Quod ſcripſerit, chocolatis potum ieiunium frangere: quod, cum rationes excogitaverit, quibus cuiuſque fere ſtatus homines ab ieiunii lege eximeret, tanti non fuerit, ut quidpiam inveniret, quo probabilitatis fuco licitum efficeret chocolatis potum. Hæc ſunt quæ Hurtadum in admirationem pertrahunt, atque adverſus Paſqualigum com-

Digitized by Google

commovent & inflammant. Iuvat eiuſdem verba iſthuc afferre. Sic ergo in Appendice ad tractatum de potione chocolatica *cap.* IX. *num.* 134. loquitur Hurtadus. *Et in primis miror Zachariam Paſqualigum, qui, cum in Tomo prægrandi iam citato vix ſit ſtatus hominum in Eccleſia, quem ab obligatione ieiunii non excludat, dicat, quod potus iſte ieiunium frangat, nixus frivolis argumentis; cum alias ea quæ ſunt pro noſtra ſententia, valde urgentia ſint.* Næ illi iuſta improperandi Paſqualigo cauſſa? Fuit in omnibus fere aliis de ieiunio ſententiis laxus; & in hac de chocolate ſeverus eſt. Tolerari ne iſtud immoto animo valet ab iis quorum eſt Ethicam evangelicam ſuavem efficere? Ne vero gratis ſuccenſere Paſqualigo Hurtadus videatur, ſynopſim laxarum opinionum, quas de ieiunio Paſqualigus docuit, lectorum oculis ſubiicit, quas & ego tranſcribere non inutile reputavi. Sunt autem ſequentes.

„ Deciſione 275. excuſat pauperes. 276. ſervos, quibus parum cibi miniſtra-
„ tur. 277. iter agentes, qui non inveniunt ſufficiens viaticum. 278. illos qui
„ ordinario pane, & aliis ſuſtentantur. 279. uxoratos, qui, ſi ieiunant, non poſ-
„ ſunt reddere debitum. 280. feminam, quæ, ſi ieiunat, colores perdit, quibus
„ grata redditur marito. 281. & 285. virginem ſponſam, vel de ſponſalitio tra-
„ ctans, ſi ieiunans pulchritudinem amittat. 287. omnes illos qui exercent artes,
„ vel officia laborioſa; etiamſi alias divites ſint. 290. & 291. etiamſi dies feſtivi
„ ſint, in quibus non laborant. 293. portantes onera. 295. ſutores. 296. coquos,
„ qui condiunt cibos. 297. fornarios. 298. textores. 299. molendinarios aſſiſtentes
„ per diem molis. 300. eos qui circa pelles curandas laborant. 301. argentarios,
„ & aurifices. 302. qui vendunt per vicos, & plateas per diem integrum. 304.
„ mulieres lavatrices, etiam poſtquam extendunt, & duplicant pannos. Sarto-
„ res, & barbitonſores non excuſat; ſed illos eximunt Diana, & Fagundez. 305.
„ pictores, & ſculptores. 307. & 308. typographos, qui typis adſtant. 309. ma-
„ rinarios. 310. milites præſtantes. 311. qui templa adornant. 312. iter facientes
„ pedites. 313. etiamſi iter voluntarium ſit. 314. iter facientes caballis curren-
„ do. 315. qui iter faciunt mulabus de Aquiler, 316. ludentes pila, vel alio lu-
„ do nimis laborioſo. 318. qui debiles facti ſunt ex nimio inhoneſto coitu, 319.
„ Prædicatores, etiamſi tribus tantum diebus ſeptimanæ ſermonem habeant, ce-
„ teris diebus eximuntur. 326. Lectores, & Cathedratici cuiuſcumque facultatis
„ eximuntur. 327. illi qui oſtentationis gratia legunt ad opinionem acquirendam.
„ 328. ſtudentes, qui concluſiones defendunt, aut lectionem oppoſitionis faciunt.
„ Confeſſores nimium confeſſionibus aſſiſtentes, etiamſi id faciant voluntarie. 331.
„ etiamſi lucri gratia. 332. ſtudentes continuo. 333. advocatos, procuratores, iu-
„ dices, nimium laborantes, 334. ſcribas, ſi maiori parte diei laborant, & ſecre-
„ tarios Principum diebus quibus nimium laborant, 335. Epiſcopos in diebus or-
„ di-

„ dinum, aut quibus exercitia laborioſa exercent. 337. infirmarios, qui multis in-
„ firmis aſſiſtunt. 339. illos qui in ſeptimana ſancta flagellantur, etiamſi flagel-
„ latio voluntaria ſit. 340. peregrinos ad loca ſancta. 341. eos qui nimium vo-
„ racem habent calorem ſtomachi. 343. *num.* 5. Catholicos qui infidelibus inſer-
„ viunt. 349. eum cui advenit Princeps hoſpes, ut illi in menſa aſſiſtat, poteſt
„ frangere ieiunium: & deciſ. 325. dicit, quod labor ingenii, & nimiæ attentionis
„ excuſat ab obligatione ieiunii. "

XIII. Hæc ex Paſqualigo tranſcripſit Hurtadus, qui ſibi plaudit, quod, antequam legeret Auctorem iſtum, excuſaverit a ieiunio præſides conſiliorum, & viros conſiliarios his verbis. „ Si enim Lectores, & Prædicatores deobligantur a ie-
„ iunio propter unam lectionem, aut ſermonem unius horæ ſpatio durantem:
„ cum iſti miniſtri ſpatio quinque, vel trium horarum aſſiſtant, tractantes nego-
„ tia difficilia, & diverſa, obligati ad ſtudendum, ut recte decidant cauſas, mul-
„ to magis excuſabuntur, non ſolum diebus conſilii, ſed etiam diebus feſtis &
„ feriatis. *Ita reſpondi interrogatus, antequam viderem Auctorem iſtum. Qui cum*
„ *rationes probabiles inveniret ad omnes relatos excuſandos, miratus ſum, non ſibi*
„ *occurriſſe ad dicendum, quod chocolate non frangit ieiunium; niſi forſitan hoc di-*
„ *cat pro Italia, & aliis regionibus, in quibus conſuetudo ipſum bibendi non inva-*
„ *luit, ſicut invaluit in Indiis, & in Hiſpania.* "

XIV. Hæc, licet valde prolixa, operæ pretium duxi proferre, ut colligeres; iuxta iſtorum iuniorum opinationes exoleviſſe a Catholicorum cœtu ieiunia eccleſiaſtica; cum ad ſolos Chriſtianos otio diffluentes atque deſidia torpentes ieiunia coarctaverint. Commovetur, & admiratione ſuſpenſus Hurtadus hæret, quod Paſqualigus aliis ſuis laxitatibus non addiderit laxitatem potus chocolatici. Sed nos, chriſtiane lector, expergiſcamur, ut ex aliorum aberrationibus proventum capiamus. Opus haud eſt ut evincam, nihil eiuſmodi Scriptorum auctoritati deferendum eſſe. Conſtat enim nonnullos, pia quidem intentione, eo conſilia & ſcriptiones ſuas collineaſſe, ut leges, & præcepta humanis deſideriis, & appetitionibus accommodarent. Plura dicenda forent adverſus hunc Auctorem; ſed alibi ſermo erit. Id tantum in præſenti ſufficiat indicaſſe, eum nullius videlicet eſſe in hac quæſtione auctoritatis: quoniam patet, nimio affectu, & impotenti anticipatione eum ferri in defenſionem laxæ opinionis, quam, ut invitis etiam ſuperis propugnaret, commentitia oracula Pontificum allegavit, erronea principia adduxit, & Doctores per ſummam, ac minime ferendam falſitatem ſibi faventes laudavit. Audi quæ *cit. cap. num.* 133. ſcribit: *Sed quamvis Auctor iſte* (Paſqualigus) *gravis ſit pro hac ſententia; pro mea habeo Auctorem non minus gravem, tum religione, tum ſcientia, tum reſolutione in re morali P. M. Lezana Regentem ſtudiorum in Romano Conventu, in ſua Summ. verb. Ieiunium.* Hæc autem ſunt omnia

Digitized by Google

omnia verba Lezanæ loco citato hac de re. *Potus autem lactis, & iuris, aut ſimilium ieiunium frangit: quia huiuſmodi liquida ſunt vere cibus . . . . Idem videtur dicendum de potu vulgo* chocolate; *licet aliqui apud Dianam oppoſitum exiſtiment pro Hiſpania, ubi pro potu uſuali aliquando ſumitur*. Favet ne tuæ ſententiæ ſapientiſſimus iſte magiſter tuus? Si quis evidentius deprehendere falſitatem cupit, legat textum *Lezanæ*, quem dedimus *cap.* IX. *num.* 6. Non multum diſſimilis falſitatis reus eſt, dum pro ſuo opinione allegat *cap.* III. *num.* 65. ſapientiſſimum magiſtrum Lopez *Tom. II. Inſtruct. cap.* CXII. ubi ſcribit, chocolatem ſumptum ab Indis non frangere ieiunium, quia parum maſſæ chocolatis Indi admiſcent aquæ potandæ. Frangere vero ieiunium ſubdit, ſi tantum chocolatis aquæ miſceatur, ut ſpiſſus potus fiat. En illius verba: *De potionibus uſus eſt apud Indos, quæ chocolate dicuntur, & fit ex fructibus arboris, qui dicitur checa, qui fit ex grano maiz (alias frumento Indico) commolitis, & commaſſatis. Dubitari hic merito poterit, an frangat ieiunium. Et reſpondetur, quod regulariter per huiuſmodi potiones non ſolvitur ieiunium: quia potius ſumitur per modum potus, quam cibi, & quia parva materia maſſæ, ſive formulæ admiſcetur ibi cum aqua, unde quaſi liquidus potus manet. Si tamen tanta miſceretur maſſa, aut materia, quod ille potus ſpiſſus redderetur, quod ſufficeret ad ſuſtentationem, ieiunium diſſolvere videretur*. Hinc patet, tempore Lopez, nempe circiter annum 1594. hunc potum uſui non fuiſſe Hiſpanis, ſed Indis tantum. Porro Lopez ſcribit, non frangere ieiunium hanc potionem, prout ab Indis ſumitur, quod parum paſtæ admiſceatur aquæ; formamque & rationem potus uſualis in illis regionibus habeat. Ceterum prudenter addit, quod, ſi potus ita ſpiſſus fieret, ut ſufficeret ad ſuſtentationem, ſicuti revera fit in Europa, in qua nullibi ſumitur chocolates ad ſitim extinguendam, atque adeo rationem potus non habet, frangeret ieiunium. Quare tota noſtra quæſtio eſt de chocolate, quod ſumitur in Europa, non in menſa, vel urgente, & urente calore ſitis, ſed ſummo mane ad reficiendum vacuum ſtomachum. Morum quæſtiones ad bonæ fidei tribunal, non ad cavillandi artem, deducendæ ſunt.

XV. Obiicit 6. Conſuetudo in materia ieiunii, cuius lex poſitiva eſt, plurimum valet. At conſuetudo obtinet potandi valde mane, & interdiu chocolatem: ſumitur enim eiuſmodi potus ab ipſis Prælatis, Cardinalibus, quin a Religioſis ipſis ſeverioris inſtituti, a viris doctis, & piis, ſcientibus ac tolerantibus Epiſcopis, & Pontificibus ſummis. Quemadmodum ergo ſola conſuetudine refectio ſerotina introducta eſt, qua priſcæ ætatis Chriſtiani non utebantur; ſic conſuetudine licitus reddi valet potus chocolatis. Reſp. Nihil facilius eſt quam ſub conſuetudinis larva abuſus, & corruptelas obtrudere. Et primum omnium quæro, an chocolates cibus ſit, vel potus. Si potus; illius uſus conſuetudine approbante & permittente non eget. Nam potus, inſtitutus natura ſui ad ſitim extinguendam, abſolute &

ſemper licitus eſt omnibus. Si cibus chocolates dicatur; illius uſus corruptela eſt, non conſuetudo. Quippe, admiſſa triplici refectione in diem; matutina, meridiana, & ſerotina ſeu nocturna, futilis foret ieiunii lex, & ridicula. Tunc enim Ieiunium Chriſtianorum ad ſolum delectum ciborum coarctaretur. Quod de viris doctis innuitur, ſolvitur facile, dicendo, ad ſummum viros doctos ſemel in die chocolatem ſumere, ſibi blandientes, quod materiæ parvitas excuſet. Ceterum falſum prorſus eſt conſuetudinem vigere ſumendi chocolatem toties quoties libuerit; ſeu falſum eſt conſuetudine introductum eſſe potum chocolatis, tamquam licitum, & ieiunio non repugnantem. Concedo, refectiunculam ſerotinam ſola conſuetudine invectam eſſe. Verum abs te quæro, an præſumi rationabiliter poſſit, quod Eccleſia approbatura ſit alteram conſuetudinem ſumendi matutinam refectiunculam. Collatio ſerotina quadam tolerantia approbata, ſive permiſſa fuit pro univerſis Catholicis ad naturæ debilitatem ſublevandam. Semel tum in die comedebatur circiter meridiem. Ad ſomnum capiendum, & naturæ imbecillitati ſubveniendum, conceſſum fuit, quidquam cibi ſero ſumi poſſe. Poſtquam ergo Eccleſia antiquam ieiunii ſeveritatem remiſit, tolerans refectiunculam ſerotinam, an etiam matutinam collationem conceſſura erit? Quidni & poſt meridianam? Quidni toties quoties cuique libuerit? Nonne erroneum eſt id ſuſpicari? Et tamen iſthuc tendit obiecta pro chocolatica potione conſuetudo. Accedit, adverſus ſerotinæ collationis conſuetudinem neminem Theologorum reclamaſſe umquam; ſed bona fide, & nemine repugnante eam invectam fuiſſe. E contrario adverſus potum chocolatis Theologi & Probabiliſtæ, & Antiprobabiliſtæ communiter reclamant; & hanc conſuetudinem, ut corruptelam, improbant. Sed ultra progrediamur, & notiones veræ conſuetudinis exhibeamus. Ut conſuetudo aliqua adverſus legem obtineat, rationabilis ſit oportet; bonum commune promovere debet, vel ſaltem eidem non repugnare; conſenſus maioris partis populi requiritur, & *legislatoris* ſaltem tacitus. Harum nulla fruitur potus chocolatis ieiunii tempore. Et primum quod non ſit conſentaneus rationi, lumine evangelicæ legis illuſtratæ, quæ ieiunii tempore carnis macerationem, & caſtigationem ſenſuum, quæ denique carnem pœnitentiæ cruciatibus ſubigere, corpuſque conflictare iubet, evidens eſt. Rationi ne congruit, urgente ieiunii lege, ſtatim ac e culcitra ſurrexiſti, ventri indulgere, famem ſuaviſſima potione recreare, vacuumque ſtomachum opplere, & ventriculi pungentes ſtimulos retundere, ut, ad prandium meridianum uſque, ieiunii nullum incommodum perſentias? Anne bono communi chriſtianæ Reipublicæ congruit potus iſte? Quodnam eſt bonum quod lex evangelica ſpectat? Chriſtianorum ſanctitas, morum integritas, vitiorum exterminatio: Preſſius. Quo tendit ieiunii lex? Ut Deo ob perpetrata flagitia homines laborioſa pœnitentiæ opera offerant, ut divinam vindictam avertant, iuſtitiamque propitiam

tiam

tiam reddant, ut concupiſcentiam cohibeant; verbo, ne in peccata prolabantur. Quid, quæſo, huic fini tam repugnans quam ſuaviſſimus iſte potus? Reponis fortaſſe, ob adductas rationes neque ientaculum ſerotinum, quatuor abhinc ſæculis invectum, his duabus recenſitis conſuetudinis prærogativis frui? Verum abludis a vero. Siquidem, deducto ad meridiem prandio, homines noctu vix capere ſomnum poterant; & natura nimium torquebatur. Ut pœnitentiæ afflictio tolerabilior fieret, vini potus, & fruſtulum panis, aut aliquid fructuum conceſſum eſt. Nihil iſthic quod delicias redoleat, quod concupiſcentiam inflammet, quod fauces titillet. Hæc conceſſio unice ſpectat naturæ conſervationem. Tandem poſtrema & potiſſima conditio conſuetudinis, maior ſcilicet pars populi, & legislatoris conſentientis, prorſus deeſt. Nam, ſi totam catholicam Europam ſpectemus, nec centeſima pars Chriſtianorum utitur chocolate, intra, vel extra tempus ieiunii. Idem de quolibet regno, & de qualibet provincia verum habet. Sed civitates, in quibus maxime uſus iſtius potus obtinet, in examen veniant. Quis dixerit, Venetiis, Mediolani, Ianuæ, Florentiæ, Romæ, Neapoli maiorem Catholicorum partem chocolatem in Quadrageſima epotare? Conſtat namque falſum id eſſe. Huic evidentiſſimo argumento reſpondet P. Hurtadus *app. cap.* VI. *num.* 107. ſuum ſapientiſſimum magiſtrum Ludovicum de Monteſinos docere, a minori ſeniorum, prudentiorum, ac præcipuorum civium parte invehi conſuetudinem poſſe. Cumque tot Religioſi graviſſimi, tot magnates, & viri divites timoratæ conſcientiæ ſumant hunc potum in Quadrageſima, putantes non frangere ieiunium; ab illis introducta eſt conſuetudo legem ieiunii mitigans. Quod enim homines infimæ notæ, & plebeii talem potum non ſumant, non derogat huic conſuetudini. Hactenus Hurtado.

XVI. Reſp. Audiſtin'? Potentes, magnates, virique divites, qui phialis, & poculis indulgent, qui ſelectioribus epulis veſcuntur, qui magnis impenſis gulæ inſerviunt: iſti ne, inquam, legis eccleſiaſticæ arbitri erunt? Iſti in cauſſa propria, gulæ & ventri favente, tanta prudentia, ſapientia, & auctoritate pollent, ut conſuetudinem derogantem legi eccleſiaſticæ, quæ ius naturale, & divinum determinat, invehere poſſint? Chriſtiani ergo qui exacte ieiuniorum legem ſervant, qui carnem, & concupiſcentiam pœnitentiæ freno coercent, & in ſervitutem redigunt, qui proinde abundantiore ſupremi Numinis lumine perfuſi ſunt, Deoque cariores, Chriſtiani iſti inferioris notæ, vileſque plebeii per noſtrum Theologum ſunt; atque adeo inepti ad ius conſuetudinis inducendum? Ludovicus de Monteſinos non favet laxitati P. Hurtadi. Quia Monteſinus fuſe evincit *loc. cit.* maioris partis conſenſum neceſſarium eſſe: & deinde, in examen vocato, num ad hanc maiorem partem conflandam numerari debeant pueri, mulieres, ac hebetes homines, decernit, minorem partem ſeniorum, prudentum, ſapientumque, com-

 pa-

parate ad indoctos, mulierculas, & pueros, invehere conſuetudinem poſſe : *quia* (en eius verba) *quamvis ſit a minori ſecundum numerum, eſt tamen a maiori ſecundum qualitatem*. Ita concludit Monteſinus. Sed urget P. Hurtadus, Religioſos graviſſimos ſorbillare chocolatem. Qui ſint, Hurtado iudice, Religioſi iſti *graviſſimi*, profecto non aſſequor. Religioſos viros illos ego voco qui ad amuſſim Regulam ſuam, & ieiunia tum eccleſiaſtica, tum monaſtica ſervant, votaque omnia promiſſa implent. Ex his neminem chocolate diebus eſurialibus uti certo ſcio, niſi aut peculiaris infirmitas, ant ingraveſcens ætas, aut neceſſarii ſtudii labor impellat. Optime enim norunt, ſe non ieiunii tantum lege, verum etiam monaſticæ paupertatis voto a potione non infimi pretii prohiberi, niſi iuſta adſit cauſſa. Si qui vero ſint qui nulla ducti neceſſitate, ſed tantummodo ad removenda ieiunii incommoda, chocolatem ſumant, hos non conſuetudinem, ſed abuſum invehere indubie pronuntio. Deeſt ergo, ſive in Religioſis, ſive in ſæcularibus, conſenſus maioris partis. Deeſt conſenſus maioris partis Theologorum, doctiorum, prudentum, & ſanctorum. Deeſt Pontificum conſenſus. CLEMENS PAPA XI. qui ſanctitatis, doctrinæ, & eloquentiæ antiquorum Pontificum imaginem retulit, tempore ieiunii nec ipſe ſumebat, nec in ſuo procœtone ſumi ab aliis chocolatem permittebat, ut teſtatur Eminentiſſimus Cardinalis Rufus, qui præfato Pontifici, ut Prælatus domeſticus, inſerviebat. At Pontifices vident, ſciuntque chocolatem potari; nec vetant. Verum habet. At numquid ſciunt Pontifices, quinam ſint illi qui ob ſolam voluptatem, firmioremque corporis habitudinem, & abſque ulla vera neceſſitate hoc potu utuntur; & quinam contra illi ſint qui, urgente tantum cauſſa iuſta, hunc potum adhibent? Univerſalior eſt uſus carnis in Quadrageſima quam chocolatis in permultis civitatibus. Plures iuſtam ob cauſſam diſpenſantur. Verum maior, & maxima pars abſque ulla vera, & legitima cauſſa carnibus veſcitur. Id compertum Epiſcopis, & Pontificibus eſt. At, quia nequeunt legitime diſpenſatos ab aliis invalide diſpenſatis diſtinguere, illorum tolerantia nequit reputari ut tacitus conſenſus, qui in nullo legiſlatore præſumi poteſt, niſi ſit rationabilis, & bono communi conſentaneus, aut ſaltem non repugnans. Deeſt ergo maioris partis Catholicorum cuiuſque provinciæ, & civitatis conſenſus; deeſt conſenſus Eccleſiæ. Ergo futilis eſt, ac commentitia conſuetudo, quæ obtruditur adverſus communem Theologorum ſententiam. Exiguus ne decem Caſuiſtarum manipulus adverſus ingens ceterorum Theologorum agmen conſuetudinis larva induere apertiſſimam corruptelam poterit? Ut ergo efficacius ſpectrum iſtud conſuetudinis contererem, fuſius laxam oppugnare volui opinionem. Nulla umquam in Eccleſia invecta conſuetudo fuit, repugnante graviorum Theologorum choro. Quandonam tranquillam poſſeſſionem abuſus iſte obtinuit? An non ſemper graviores, & numeroſiores Theologi reclamarunt contra abuſum iſtum, ſane ſcandali plenum?

XVII.

Digitized by Google

XVII. Obiicit 7. Pater Hurtadus *loc. cit. num.* 108. ubi, ut hanc obiectæ conſuetudinis larvam tueatur, ſic inſtaurat ſuam argumentationem. A tempore Pii V. & Gregorii XIII. introductus eſt uſus probabilis opinionis, cuius probabilitas in dies vires accipit, & incrementum: quia [ſubdo ego] illius mater concupiſcentia, ſeu intemperantia in dies fecundior evadit. Quod ſi quis (perſequitur ille) titulo uſus opinionis probabilis non velit hac potione uti; utatur, ſi velit, titulo declarationis pontificiæ. Quod ſi hoc contentus non ſit, utatur titulo conſuetudinis derogantis. Ad quam conſuetudinem introducendam ſufficit longævus uſus opinionis probabilis. Hactenus Hurtado.

XVIII. Reſp. Hæc omnia ſophiſmata ſunt adeo craſſa, ut vel ipſe Hurtadus eorum vanitatem agnoverit. Quapropter modo ad pontificiam declarationem ſe recipit; modo ad conſuetudinis ſpectrum confugit; modo tandem ad probabilitatis aſylum recurrit: quia nullibi ſolum reperit ubi pedem figat. Oracula pontificia pura putaque commenta eſſe, iam ſupra oſtenſum fuit; ubi etiam indicavimus, ignotum omnino fuiſſe chocolatis potum Europæis temporibus Pii V. & Gregorii XIII. Diximus quoque, iſtorum oraculorum papalium ſolos Hurtadum allegare Americanos, Mexicanoſque teſtes abſque ullo documento legitimo. Siquidem non affertur authentica, & ſincera expoſitio facta S. Pio V. ſuper qualitate, & mixtura chocolatis, quæ ab Indis ſorbetur: quod de aliis pontificiis oraculis, nempe Gregorii XV. & Pauli V. ſatis ſuperque dictum eſt ſupra.

XIX. Verum, ut ſumma, quæ in quæſtionibus morum, & facti haberi ac deſiderari poteſt, evidentia oſtendamus quam falſa ſint documenta quæ iactantur, animum intendat lector velim ad ea quæ ex eodem Hurtado adiicere nunc placet. Narrat Hurtadus *cap.* 111. *num.* 71. *ſui tract.* Auguſtinum de Padilla Archiepiſcopum de la Eſpanola teſtari, ſe vidiſſe conſilium Navarri, qui ad petitionem Provinciæ de la *Chiapa* ſuper hoc potu, in die ieiunii ſumendo, conſuluit Gregorium XIII. En verba Padillæ Lib. II. hiſtor. Provinciæ Chiapæ cap. xl. *Yo ho viſto la conſulta, que ſe hizo al Papa Gregorio decimotercio por mano del Doctor Aſpilcueta Navarro a inſtancia de la Provincia de Chiapa, donde ſe començo eſta bibida, y conſer la relacion harto encarecida, reſpondio el Papa por dos vezes que no quebrantava el ayuno.* Tanti facit hoc teſtimonium Hurtadus, ut neglectis omnibus aliis momentis, hoc ſolum ſatis eſſe velit pro legitima conſuetudine: ſic enim loquitur cap. IV. num. 96. *Quæ quidem conſuetudo introducta eſt in regionibus Indiarum, ſed etiam in noſtra Hiſpania; licet hic cum aliqua FORMIDINE, QUAE ABIGI DEBET; cum ſat ſit teſtimonium Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Padilla, quod ſummus Pontifex declaraverit, potum chocolati non frangere ieiunium. Etſi enim declarationem fecerit ad inſtantiam unius provinciæ; tamen declaratio ipſa catholica fuit, & univerſalis.*

XX. Nonnulla hic per tranſennam animadvertas velim. Primo dicit conſuetudinem obtinere etiam in Hiſpania; ſed cum formidine, quæ *abigi debet:* quia Theologorum eſt, ait ille, conari legem humanam auferre, ſeu ſic interpretari, ne obliget, ut peccata vitentur. Secundo contendit Pontificis declarationem, licet ad inſtantiam unius provinciæ factam, catholicam eſſe, & univerſalem. Quod quam falſum ſit, nemo non videt. Potus quippe iſte in illa tantum erat provincia uſualis; nec, Gregorio XIII. vivente, potus iſte in Europa obtinebat. Quid quod nec in præſentia rationem potus uſualis obtinet, ut compertiſſimum eſt? Et Caſuiſtæ, qui oppoſitum docent, vulgus decipiunt, bonamque fidem violant; cum nemo in Europa chocolatem ſumat ad ſitim extinguendam, aut in prandio, vel cœna loco communis potus. Tertio aſſerit, Gregorium XIII. declaraſſe bis in diem, *dos vezes*, licere chocolatem ſumere: quod communiori vel benigniorum Probabiliſtarum opinioni nimis laxum videtur. Chriſtiani ipſi qui hoc potu utuntur, religioni ſibi ducunt pluſquam ſemel illum ſumere. Verum, ut ad id quod caput eſt, accedam, dico, atteſtationem Auguſtini Padillæ arbitrarium commentum eſſe. Idque evinco, non alio teſtimonio quam ipſius Hurtadi, qui conſultationem Navarri, laudatam a Padilla, integram refert in calce ſui tractatus, illamque extractam fuiſſe aſſerit ex originali, quod aſſervatur in civitate de Chiapa. *Conſilium hoc* (inquit Hurtadus cap. v. num. 98.) *ad finem huius diſputationis ad verbum referam: quod fideliter translatum fuiſſe a ſuo originali in civitate de Chiapa, teſtantur Fr. Franciſcus de Olmo die 22. Aprilis anno 1577. Gabriel de Morales, Nurena, Salzedo.*

XXI. Audi nunc manifeſtam impoſturam. In hoc conſilio nec verbum habet Navarrus confictus de Gregorio XIII. vel de ſermone cum eo habito. Padilla autem ſcribit, ſe vidiſſe conſultationem, factam ad petitionem Provinciæ de Chiapa per Navarrum cum Gregorio XIII. Hanc ipſam conſultationem typis edidit Hurtadus. Ergo, ſi in hoc conſilio nec verbum de Gregorio Pontifice ſummo habetur, evidens eſt & conſilium ſuppoſititium eſſe, & relationem Padillæ falſam. Quod porro in conficto Navarri conſilio nec verbum habeatur de Gregorio, factum eſt manifeſtum: atque ad liberandam fidem meam integrum ipſum ſtatim tranſcribo.

Conſilium ſuppoſitum Navarro ſuper potu chocolatis.

„ Suppoſito quod in aliquibus partibus Indiarum de more habeant potum conficere ex ſubſtantia frumenti terræ illius, vulgariter nuncupati *maiz*, quæ quidem frumento molito mittitur in aquam, quæ colata, ſicut aqua, quam noſtra-
„ tes

„ tes exprimunt ex amygdalis ad condiendum obrizum, & inſuper huic aquæ, ut „ dulcior, & ſuavior ſit, ſuperadditur ſpuma, quæ fit ex maſſa ſacta ex quibuſ- „ dam granis, quæ vulgo dicuntur *cacao*, qui potus videtur afficere ſtomachum „ etiam ieiunum, & *naturales terræ* illius cum ſola frequentatione iſtius potus la- „ borare conſueſcunt ſine eo quod ſumant alium cibum uſque ad noctem. Dubi- „ tatur, an ab his qui tenentur ieiunare ex præcepto Eccleſiæ, ſeu alias, poſſit „ ante, & poſt prandium ſumi dictus potus ſine fractione ieiunii Eccleſiæ? Item „ & ſimile dubium. Itinerantes conſueſcunt miſcere aquam cum pulvere, vel fa- „ rina facta ex dicto frumento de Maiz ex his dictis granis, quæ vulgariter *Ca-* „ *cao pinol*.

„ Reſpondeo, quod per huiuſmodi potum non frangitur ieiunium ſtatutum ab „ Eccleſia, quod appellatur ieiunium Ieiunantis: quia tale ieiunium ſolum indu- „ cit neceſſitatem abſtinendi ab eſu amplius quam ſemel in die, & non a potu; „ ut tradit D. Thomas receptus 2. 2. quæſt. cxlvii. art. 6. in cor. quæſt. & ad 2. „ Et aqua confecta modo prædicto, & propoſito eſt potus, & *habetur ab omnibus* „ *pro potu*. Ergo non eſt illa interdicta in die ieiunii: tum quia in Germania, „ Belgio, Gallia, & aliis multis chriſtiani orbis regionibus utuntur Chriſtiani ce- „ reviſia in die ieiunii, quæ eodem ferme modo componitur quo poſita aqua, „ perinde ac in eiſdem, & in aliis vino mero; tum quia vinum; præſertim gene- „ roſum, longe magis nutrit quam poſita aqua de chilate, ut ſatis colligitur ex „ D. Thoma, ut ſupra, & conſtat experientia. Attamen, quia ſumitur ut potus, „ & potius ad alterandum, quam ad nutriendum, non interdicitur huius uſus in „ die ieiunii: ergo nec a fortiori uſus aquæ prædictæ, quæ ſumitur ut potus ad „ alterandum potius quam ad nutriendum. “

Hactenus videtur locutus fuiſſe Navarrus: &, quæ ſequuntur, ex modo lo- quendi ab Hurtado adiecta apparent. Illa tamen exſcribo, ne vel verbum omit- tam.

„ Nec obſtat quod ait, quod Indi aliquando a mane uſque ad noctem laboran- „ tes, ſuſtentantur potu illo de chilate: quia multi ſolo vino etiam ſuſtentantur „ iter facientes. Tum quia ſatis eſt propoſito noſtro, quod Eccleſia non interdi- „ cat potum, ſed eſum; & quod propoſita aqua habetur *pro potu in illis regioni-* „ *bus Indiarum*, ſicut vinum, & cereviſia multorum generum in toto orbe chri- „ ſtiano: quod longe magis nutrit, quam propoſita aqua. Salva, quæ iuſtior „ fuerit, ſententia. “

Martinus Doctor Azpilcueta Navarrus.

XXII. Manifeſtum itaque eſt, in hoc conſilio Navarri, a Padilla laudato, nul- lam Gregorii XIII. mentionem fieri. Falſum ergo eſt teſtimonium Padillæ, cui

P iiij unice

unice ſuperſtruit Hurtadus iactatæ conſuetudinis ſpectrum. Ultimum paragraphum, ut indicavi, lacinia videtur, ab Hurtado commentitio conſilio adiecta: & nihilominus eam nullo ſigno a conſilio diſtinguit; immo totam præmittit ſubſcriptioni Doctoris Navarri. Padilla non aliud laudat conſilium præter illud quod in civitate de Chiapa ſervatur. Hoc ipſum eſt quod ex autographo Chiapenſi deſcriptum effert Hurtadus. Non eſt ergo de ſuppoſitione Navarrici conſilii, nec de falſitate oraculorum papalium ambigendum. Ergo nec titulo conſuetudinis, nec titulo pontificiæ declarationis licitus eſt ieiunii tempore potus chocolatis. Multo vero minus licitus dici poteſt titulo opinionis probabilis, ut argutatur Hurtadus: quod ſic evidenter oſtendo.

XXIII. Lex ieiunii certa eſt: ergo nec dubia, nec probabili conſuetudine auferri poteſt. Omnes quippe Probabiliſtæ docent, legem certam, & quæ eſt, ut aiunt, in poſſeſſione, antiquari, & abrogari non poſſe per conſuetudinem dubiam, aut probabilem: quia, dicunt, melior eſt conditio poſſidentis. Quod clarius ita explicari valet. Opinio tantum probabilis nequit inducere conſuetudinem quæ legem certam abroget. Poſita ergo certitudine legis ieiunii, evaneſcit probabilitas conſuetudinis contrariæ. Verum id habet, inquit Hurtado, ſi ſermo ſit de conſuetudine quæ legem invehat obligantem ad culpam gravem. Hæc utique per probabilem opinionem invehi nequit. Falſum contra eſt, ſi conſuetudo introducenda derogatoria tantum ſit. Quoniam eo ipſo quod ſit probabilis, ab obligatione legis eximit. Quid? Opinio probabilis nequit inducere legem quæ obliget; & valet abrogare legem iam conſtitutam, & ſæculorum vetuſtate firmatam, & diuturna obſervatione munitam? Unde, quæſo, probabiliſtica opinio fortitudinem tam variam, vireſque adeo contrarias collegit, ut nequeat novam invehere, valeatque veterem antiquare legem? Sin maiora, æqualia ſaltem momenta dubio procul neceſſaria ſunt tum in inſtitutione, tum in abrogatione cuiuſque legis. Et, ſi aliqua eſſe diverſitas poteſt, plus ad deturbandam e iure poſſeſſionis legem obtinentem requiritur quam ad novam invehendam.

XXIV. Sub alio tamen aſpectu larvam obiectæ conſuetudinis expono; atque penitus repello. Si id quod ſuapte natura cibus eſt, ut eſt chocolatis maſſa ſeiunctim ab aqua, fatente Hurtado, omnibuſque adverſariis, comminuatur, & aqua diluatur, valet vi conſuetudinis, aut opinionis probabilis fieri licitus potus in die ieiunii: quæro, utrum hæc conſuetudo faveat ſolis divitibus, & nobilibus; an univerſalis pro omnibus Catholicis ſit? Si dicas, conſuetudinem hanc ſolis divitibus favere, & nobilibus: non una ergo eſt omnium Catholicorum lex, & conſuetudo; ſicuti una eſt fides, unumque baptiſma? Quod delirium nemo adhuc excogitavit. Collatio ſerotina univerſalis eſt. Ergo univerſalis ſit neceſſum eſt & collatio matutina, facta poſitione quod liceat. Porro, ſi conſuetudo iſtius matutinæ potie-

Digitized by Google

potionis univerſalis eſt, quid peraget maxima Chriſtianorum pars? Iſti tanti non ſunt, ut medium iulium, ſeu decem ſolidos Venetos expendant pro uno chocolatis cyatho, ſeu pro uno hauſtu. Poterunt ergo minoris pretii pultem aliquam, ſeu mixtum compingere quod minoris valoris ſit ac potio chocolatica. Quid ergo Theologis aqua hæret, utrum Catholici ſummo ieiunii mane licite poſſint bolum panis comedere ad ſtomachi debilitatem reparandam? Non debiles modo, ſed omnes indiſcriminatim, accipiant panis unciam, illum terant, & in pulverem comminuant: quinque aut ſex aquæ unciis miſceant: ſaccharum, & aromata adiiciant: volvant, revolvantque ad ignem, donec ad modum chocolatis ſpiſſum pultem coxerint. Deinde unum, & alterum cyathum mane, quin per totum diem, quoties placuerit, ſorbillent. Quid reponis? Conſuetudinem chocolatis potandi vigere, ſecus alterius potionis? Reſponſum iſtud nimium ſane craſſum eſſet, ac ſuperſtitionem redoleret. Cedo. Cur paſta frumenti Indici, ſeu granorum *cacao*, aliorumque aromatum aqua diluta potus licitus evadere Catholicis vi conſuetudinis potuit; ſecus vero paſta frumenti Italici, aut granulorum caſtanearum, & aromatum, ſi eodem modo in formam potus redigatur? Diſcriminis rationem aſſigna. Hæccine diſpar ratio, quod potus iſte Italicus minoris pretii ſit? Quod minus nutriat? Quod concupiſcentiam minus inflammet? Quod palatum & fauces minus titillet? Ageſis. Aliquid reſponſi, quod bonis auribus quadret, exhibe. Nonne dementiæ reus haberetur ille qui aſſereret, cereviſiam confectam ex hordeo, aut tritico licitam eſſe Germanis; ſecus vero, ſi ex ſiligine exprimeretur? Velis ergo, nolis, ſi divitibus, & nobilibus concedis refectionem potabilem matutinam; eamdem, vel ſimilem, ſi fieri poſſit, aut ſaltem inferioris pretii, ſaporis, & nutritionis, omnibus Chriſtianis permittas oportet.

XXV. Obiicit 8. Hurtadus argumentum quod vocat validiſſimum, murumque fortiſſimum, atque *inexpugnabilem*, ut illius utar verbis. Illud autem arceſſit a ſumptione electuariorum. Electuaria olim licite ſumebantur ieiunii tempore; tametſi ex rebus quæ cibi rationem habebant, compingerentur. Cur ergo licitum non erit ſumere chocolatem, quamquam ex iis componatur quæ manducari poſſunt?

XXVI. Reſp. Hoc argumentum, quod fuſe Hurtadus verſat tum *cap.* VII. *in append.* tum *cap.* II. *tract.* confutatur ab eodem Hurtado tum *cap. ult. append.* tum *cit. cap.* II. *num.* 50. *& ſeq.* ut iam iam indicaturus ſum. De electuariis dictum eſt ſupra *cap.* VIII. *quæſt.* III. Ut, quam futile ſit oppoſitum argumentum, appareat, id in memoriam revocandum eſt, antiquos Doctores, qui electuariorum meminere, ut D. Thomas, Alexander Alenſis, Durandus, aliique, docuiſſe, licitum eſſe illorum uſum medicinæ tantum cauſſa, videlicet ſi ſumerentur ad iuvandam digeſtionem. Tum enim ſub veſperam ieiunium ſolvebatur; &, ne cœna

indi-

indigeſta ſomnum impediret, moleſtumve redderet, qui minus calore fervebant; electuariis utebantur ad cibos facilius digerendos. Accedit quod tum collatio ſerotina invecta nondum erat, quia declinante die ieiunantes reficiebantur. Quare ex inconſiderantia antiqui ieiunii ſcribit Hurtadus cap. XXI. *Cur ergo loco electuariorum noſtro tempore ſubſtitui non poteſt abſque fractione ieiunii potio ex chocolate confecta?* Quia ſumptioni electuariorum ſucceſſit collatio ſerotina. Sic reponere poſſem. Verum, ne quis benigna interpretatione anſam abutendi arriperet, confeſtim addiderunt præfati Doctores, eiuſmodi electuaria frangere ieiunium, ſi in fraudem legis ad nutriendum corpus, extinguendamque famem aſſumantur. Unum pro omnibus referre ſatis ſit D. Thomam in IV. diſt. XV. quæſt. III. art. 4. quæſt. I. ad 3. *Dicendum, quod electuaria, etſi aliquo modo nutriant, non tamen hic eſt principalis uſus eorum: unde nec loco manducationis ſumi conſueverunt. Et ideo talis ſumptio ieiunium Eccleſiæ non ſolvit; quamvis homo poſſit totaliter, vel in parte ex hoc meritum ieiunii perdere, vel etiam mortaliter peccare, ſi ſit immoderata libido: non tamen eſt tranſgreſſio præcepti Eccleſiæ, NISI IN FRAUDEM ſumeret, & eis, quaſi aliis cibis, uteretur ad famem extinguendam.* Idem docent D. Thomæ ſectatores, Paludanus, Tabiena, Samuel Lumblinenſis, Sylveſter, D. Antoninus, Sylvius, aliique communiter.

XXVII. Sed aures nunc adhibeas lector velim, ut auſcultes P. Thomam Hurtadum manibus, pedibuſque in noſtram concedere ſententiam. Ille namque & *cap. 11. tract.* & in *append. cap. ult.* fuſe, efficaciterque probat, chocolatem frangere ieiunium, ſi, ut nutriat, ſumatur. Tria ille promit argumenta in ſuæ, noſtræque ſententiæ confirmationem, quæ, paucis demptis, totidem fere verbis iſthuc tranſcribo. *Latiſſime*, inquit, *probavi, quod, ſi vinum, & chocolate ſumantur ea intentione ut nutriant, frangunt ieiunium... Hæc tamen doctrina, quæ OMNIUM FERE ANTIQUORUM EST, aliquibus modernis dura viſa eſt.. Mihi tamen veriſſima apparet, ad quod ſufficit quod eam tradat D. Thomas, quem ſecuti ſunt duodecim Auctores graviſſimi, quibus addo Archidiaconum, Abulenſem, Ludovicum Lopez, Medinam, Alenſem, Azorium, Lumblinum, Leſſium, Dianam..* „ Primum fundamentum eſt, quia tam vinum quam potus de chocolate vere nutriunt. Et „ quis hoc negat? cum experientia id doceat. Ergo, ſi quis ea ſumat intentione, „ ut nutriant, & famem extinguant; peccat contra præceptum ieiunii, & reipſa „ ipſum frangit.

„ Secundum fundamentum. Ex communi Doctorum ſententia tunc fit fraus „ contra legem, quando fit contra id quod lege vetatur. Quæ doctrina veriſſima „ eſt, ut ait Gloſſa in *cap.* Conſtitutus *de conceſſione præbendæ verbo In fraudem*. „ Cum ergo Eccleſia in præcepto ieiunii prohibeat ſubminiſtrare pabulum nutritivæ potentiæ, niſi unica comeſtione in die facta: ſi quis, facta hac unica

comeſ-

„ comeſtione, vel ante ipſam, intentione ſe nutriendi ſumat electuaria, vel po-
„ tionem vini, aut chocolate in magna quantitate, frangit ieiunium: quia fraus
„ nulli debet patrocinari.

„ Tertium fundamentum ſit, quia, ut notat Gloſſa in *cap.* Quanto *de privile-*
„ *giis*, tunc fit aliquid in fraudem legis, cum quis, ſalvis illius verbis, ſenten-
„ tiam eius circumvenit; ut patet in Religioſo qui, non dimittens habitum reli-
„ gioſum, ſupra ipſum induitur habitu ſæculari: iſte enim etſi non dimittat ha-
„ bitum occulte, ſi tamen divagetur extra clauſtra, omnes conveniunt ipſum ta-
„ lem eſſe Apoſtatam, & incurrere cenſuras. Ergo, ſi quis bibat vinum, aut choco-
„ latem animo ſe ſuſtentandi, & nutriendi, cum iſtæ potiones vere nutriant, quam-
„ vis ad hoc non ſint inſtitutæ, etſi ore non comedat, ſed bibat, & ſic ſalvet
„ verba legis; tamen eius ſententiam circumvenit, & vere ex intentione, & *ex*
„ *opere operato pluries cibatur, & ieiunium frangit.* "

XXVIII. Accipe nunc evidentem demonſtrationem, ex verbis eiuſdem Hurtadi formatam. Omnes qui ſorbent chocolatem animo ſe nutriendi, famiſque extinguendæ, frangunt præceptum ieiunii: quia *chocolate vere nutrit*. Quis hoc negat? Sed omnes qui mane potum accipiunt chocolatis, illum ſumunt animo ſe nutriendi, famem extinguendi, & ſtomachi corroborandi. *Quis hoc neget, cum experientia id doceat?* Ergo omnes qui mane ſumunt chocolatem, frangunt ieiunium & *ex intentione*, nempe ex *opere operantis*, & facto, videlicet *ex opere operato*. Hoc eſt ratiocinium ex Hurtado collectum. Secunda propoſitio, quæ in diſcrimen adduci poſſet, evidentior aliis duabus eſt; & quiſque chocolatem adhibens mane ieiunii, iſtius veritatis teſtis eſt. Cum enim tempore ieiunii incœnati omnes ieiunantes dormitum pergant; mane vacuum ſtomachum, & ventriculi pungentes aculeos ſentiunt: quos ut retundant, ut ſtomachum corroborent, vireſque reficiant, chocolatem epotant. Hoc ſane nemo negare audebit, niſi bonæ fidei, & intimo ſenſui, quem omnes experimur, renuntiare velit. Quis audebit umquam aſſerere, ſe mane ieiunii chocolatem ſumere ad ſitim extinguendam, ad cibos concoquendos, ad digeſtionem iuvandam? Is ſane ſibilis & cachinnis ſe ſe exponeret. Quare merito Hurtadus ſcribit, hanc doctrinam eſſe *fere omnium antiquorum*.

XXIX. Hurtadus ergo, inquis, noſtram propugnat ſententiam; & potum chocolatis tempore ieiunii improbat? Nonne is eſt qui prolixum tractatum cum appendice non minus longa in defenſionem chocolatis edidit: quem recentiores chocolatis patroni, tamquam propriæ ſententiæ principem, ſtrenuumque ducem, laudant, opponuntque? Verum habet. Sed ea eſt veritatis vis, ut, inde altius aſſurgat unde fortius impetitur. Hurtadus, ut vidimus, oracula pontificia apocrypha, ſuppoſititia, & aperte falſa in medium adduxit: teſtes minus dignos, & Theolo-
gos

gos ſibi faventes allegavit, qui ei aperte repugnant: rationes etiam præ ceteris excogitavit, & acumine ingenii, quo pollebat, omni probabilitatis fuco delibutas exhibuit. At, utpote vir acris ingenii, ſenſit rationum ſuarum imbecillitatem: & idcirco ad aſylum *intentionis* ſe ſe recepit, autumans ibidem ſe tuto conſiſtere poſſe. Verum, ut cuique malam agenti cauſſam accidit, ubi ſecuritatem ſe nactum eſſe putavit, ibi certius iacturam paſſus eſt. Id in præſentia faciendum eſt palam.

XXX. Sententia ergo Hurtadi eſt, chocolatem ieiunium frangere, ſi animo corporis nutriendi ſumatur; ſecus, ſi intentione extinguendæ ſitis potum illum quis bibat. Quæ ſane opinio ridicula eſt. Ea ſiquidem ab intentione actus formam, ſeu ſpeciem capiunt, quæ ſuapte natura adiaphora ſunt, & indifferentia; quæ vero e contrario per ſe ſuum determinatum effectum pariunt, externa intentione impediri nequeunt. Paſta chocolatis ſuapte natura ab aqua ſeiuncta non alium effectum parit, niſi nutritionem, omnibus adverſariis ſatentibus, & potiſſimum Hurtado. Sed dum etiam aquæ admiſcetur, eumdem omnino effectum producit. Quin, cum in tertiam ſubſtantiam tunc tranſeat, magis nutrit ob additionem maioris ſaporis, & ſuavitatis, quæ ex calore, mixtura, & concoctione conſurgunt. Potus iſte, quæcumque ſuperveniat intentio, omnem alium effectum præter ſitis extinctionem producit: quin ſitim acuit, fauces adurit, ſanguinem inflammat. Et ſane tantum abeſt ut ad ſitim reſtinguendam chocolates adhibeatur, ut potius plurimi, antequam chocolatem ſumant, aquam epotent, plures alii ſumpto chocolate, & alii inter ipſam ſumptionem. Quare neſcio, qua fronte, quo auſu, qua bona fide valeant Neoterici garrire, chocolatem potus rationem habere. Ut ſine pudore hæc ſcribere, & loqui publice poſſent, deberent ipſi hanc ſpiſſam pultem adhibere in menſa, vel extra menſam, dum ardenti torquentur ſiti. Intentio ergo ſumentis inanis eſt, & nugatoria.

XXXI. Exemplum vini, quod adducit Hurtadus, noſtram firmat ſententiam. Vinum ſuapte natura ad ſitim pellendam, ciboſque digerendos inſervit. Et, quia ſecundario nutrit, poteſt in fraudem ieiunii per pravam intentionem ad famem propulſandam epotari. Non ſic chocolates, qui numquam ab aliquo in menſa adhibetur, vel extra menſam ad ſitim ſedandam. Idcirco nequit ieiunans efficere, ut effectum quem chocolates parere vi ſua non poteſt, pariat vi ſuæ intentionis. Quod ſi adeo parva quantitas paſtæ chocolatis aquæ immiſceretur, ut aqua illa veram potus naturam haberet, potuſque uſualis, quemadmodum vinum, cereviſia, & ſimilia, pro menſa, pro ſiti pellenda, pro ciborum digeſtione evaderet; tunc ſi quis illam ſumeret aquam, ſive in menſa prandens, ſive extra ſiti laborans, nequaquam ieiunium frangeret. Sermo itaque eſt in præſentia de ſpiſſo illo chocolate, qui ſorbillatur ſummo mane in Europa, nulla ſiti urgente,

nul-

nullaque ſtructa menſa. Itaque ex conditione potus, ex temporis, quo ſumitur, circumſtantia ita ad nutritionem, & voluptatem, & ventriculum implendum reſtringitur potus iſte, ut nulla intentio valeat hos impedire effectus, nullaque intentio efficere poſſit ut chocolates ſummo mane ſitim extinguat, & ciborum iuvet concoctionem; ſi nulla tunc temporis eſt in ſumente ſitis extinguenda, nulla eſt ciborum iuvanda digeſtio. Perfugium ergo intentionis inane, ac futile eſt; non minus quam cetera omnia producta hactenus argumenta.

XXXII. Obiicies 9. P. Cæſar Calinus *in III. Par. prim. Conc. ſui Quadrag.* docet, chocolatem non infringere ieiunii præceptum ob peculiarem rationem quam proprio marte ipſe excogitavit. Nam dialogum inſtituit inter Silvium & Lucretium, eorumque ore rationes communes Theologorum in examen adducit, & tamquam vanas reiicit. Silvius, audiens magiſtrum ſuum chocolati faventes rationes impugnantem, perterrefactus (valde quippe eum potus iſte delectabat) exclamavit. *Ergo tu, Pater, officere chocolatem ieiunio decernis? Haudquaquam; Domine mi. Sed aliis utor rationibus. Speculationi inſiſtens dico, potum iſtum nec ad ſitim reſtinguendam, nec ad famem tollendam inſtitutum eſſe; ſed ad caput, & ſtomachum confortandum. Ergo proprie nec cibus eſt, nec potus, ſed medicina potabilis.* Næ egregie! En verba Italica. *Silvius.* „ Dunque voi, o Padre, giudi„ cherete, che il cioccolate ſia contrario al digiuno? *Præd.* Non mio Signore; „ ma mi ſervo d'altri principj. Tal bevanda non è ordinata ad eſtinguer la ſe„ te, non a toglier la fame, ma a confortare il capo, e lo ſtomaco. Dunque „ non è propriamente nè cibo, nè bevanda uſuale, ma medicamento preſo in „ bevanda. " Ratiocinium iſtud valde arridet Lucretio alteri interlocutori. Et, ut altius menti illius imprimatur, Concionator illud conſuetudine Romanæ Curiæ roborat. Romæ, inquit, videntibus, & minime repugnantibus Prælatis, ac Pontificibus, chocolates ſorbillatur. Ergo, ſive cibus ſit, ſive potus, ſive nutriat, ſive non, hodie ieiunio non repugnat. Uſus Romæ obtinet: & hoc ſatis ſuperque ſit, ut liceat.

XXXIII. Argumentum iſtud referre volui, tum ut nihil diſſimularem eorum quæ opponi ſolent; tum ut ſolarer aliquantulum lectoris animum. Nil quippe præter leporem præfert; ſi lepor tamen appellandus ſit qui eo tendit, ut Eccleſiæ præcepta infringat. Reſpondemus ergo, expoſitam argumentationem feſtivam eſſe, quæ impugnatione non eget. Quid? Nec cibus eſt, nec potus chocolates? Quid, ſi paſta manducetur? An neque tum cibus erit? Si aqua ergo diluatur, cibus erit potabilis. Conſuetudo Romanæ Curiæ inepte opponitur. Maior Romanæ gentis pars chocolatem ieiunii tempore non ſumit. Plures illum bibunt, iuſta urgente cauſſa. Aliqui voluptate ſola impellente id faciunt; ideoque peccant. Uſus qui ob plures rationes licitus eſſe poteſt, nec a Romanis Pontifici-

bus,

bus, nec a legiſlatoribus ullis improbari facile ſolet, Nec tamen iſtius uſus tolerantia conſenſum indicat Principis. Sed de hoc dictum eſt ſupra.

XXXIV. Eiuſmodi ſunt obiecta quæ in chocolatis defenſionem adduci ſolent. Omnia referre, nihilque diſſimulare volui. Non dubito fore ut, quemadmodum mihi, ita tibi ineptæ nugæ videantur, amice lector. Libere loquor, non ut cuiquam inſultem; ſed ut imperitos, omneſque qui contrariæ opinionis ſuco præventi ſunt, errori, quoad fieri poteſt, ſubducam. Ex his enim quæ latius diſputata ſunt, ſpero fore ut quiſque qui mente præiudiciorum vacua utriuſque partis momenta libraverit, tamquam improbabilem reiiciat opinionem quam impugnavimus. Nulla quippe ſolida fulcitur ratione. Quandoquidem adverſarii ipſi, licet ſibi conſtent in propugnando tamquam licito chocolatis potu ieiunii tempore; mutuo tamen pugnant, cum rationes, quæ ſententiam ſuam firment, promere debent. Ratio quæ uni eſt probabilis, alteri falſa eſt. Alii ad intentionem, alii ad materiæ parvitatem confugiunt. Alii ſub medicinæ potabilis, alii ſub cibi non nutrientis, ſed ſpiritus alterantis vaniſſimis coloribus opinionis probabilitatem defendere adnituntur. Alii conſuetudinis larvam, alii oraculorum papalium figmenta iactant. Alii unum, & alterum poculum ieiunii tempore licitum volunt; alii toties, quoties libuerit, bibi poſſe contendunt. Vix duo Auctores ſibi conſtant in aſſignanda propriæ opinionis ratione. Hoc apertum illorum diſſidium aliud eſt argumentum quod falſam eſſe illorum opinionem, & veram noſtram evincit. Auctoritas quoque extrinſeca deeſt, cum pauci ſint talis opinionis patroni comparate ad noſtros. Quid, ſi illorum plures cauſſam propriam perorarent? Habendi ne eſſent tamquam legitimi iudices? Nihil ne verendum eſſet, ne ſtudium propriæ commoditatis mentem hebetaret? Sane magnopere timeo ne verum ſit quod ſcribit Tamburinus *Lib. IV. cap.* v. *§.* 2. *num.* 13. ubi, poſtquam efficaciter propugnavit potionem chocolaticam ieiunium violare, hæc ſubdit. „ Enarravit mihi vir noſtræ Societatis, omni fide dignus, Eminentiſſimum Ioannem de Lugo, antequam ad ſacram purpuram eſſet aſcitus, dum ſcilicet in Romano Collegio Theologiam profiteretur, ita facete reſpondiſſe cuidam Sacerdoti, eum ſciſcitanti, an chocolata ieiunium frangeret. *Qui eam uſurpant nequaquam frangere aſſerunt; frangere contendunt qui ab ea continent. Ego vero inter uſurpantes ſum: neutiquam violare ieiunium pronuntio.* " Similes viri, qui litterarum eruditione, dignitatum ſplendoribus emicant, in exemplum frequenter adduci ſolent imitationis; ac ſi omnia eorum acta ſanctitatem redolerent. Sed Auguſtinus, ut alias dixi, nos admonet, non omnia, vel ſanctorum hominum, facta immunia eſſe a crimine. Nigricant & in Sanctis ſui nævi: quia nemo, niſi Deus, mundus a ſorde. Quid ergo de illis dicendum qui inter Sanctos non coluntur? Dico ego. Si eorum geſta agnoſcimus legi conſentanea, imitari enita-

Digitized by Google

tamur; ſi contraria legi nobis videntur quæ illi faciunt, vitanda ſunt. Fortaſſe illi vel infirmitate, vel quadam peculiari neceſſitate cogente, ſic agunt. Innumeris illi virtutibus ſplendent; ſed in hoc, aut in illo forte deficiunt. Quid, ſi nos, relictis virtutibus, eorum defectus imitemur? Ad legem ergo, quam nobis Eccleſia proponit, exigere actiones noſtras debemus. Quæ aut evidenti, aut veriſimiliori ratione huic legi adverſa cognoſcimus, ab eiſdem cavere debemus: nullaque hominum auctoritas a legis obſervantia ſeiungere nos debet. *Nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint:* I. Ioan. IV. 1. Concludamus ergo; opinionem, defendentem potum chocolatis non violare ieiunium, eſſe omnino improbabilem, viamque aperire laxiſſimam ad delendam veram ieiuniorum imaginem. Concludamus, omnes viros qui ut Sancti coluntur, præfatam opinionem verbo, & opere reprobare; nec verum, immo falſiſſimum eſſe, Regulares ſui inſtituti obſervatores, nulla impellente indigentia peculiari, diebus ieiunii chocolatem potare.

CAPUT XI.

An ratione parvitatis materiæ licitus ſit potus chocolatis: quæve quantitas chocolatis loco parvitatis materiæ habenda ſit.

I. OMnes unanimi aſſenſione fatentur, chocolatem eſſe ſuapte natura cibum valde ſubſtantialem, & nutrientem. Plures Theologi docent, chocolatem, pluſquam pinguiores carnes, ſubſtantialem eſſe, & corpus nutrire; immo vim quamdam veluti prodigioſam in ſe habere. Factum exſcribo ex Tamburino Lib. IV. cap. V. §. 2. num. 10. *Semel ego virum nobilem, mihi familiaritate coniunctum, conveni mane diluculo, cum eo negotia quædam collaturus. Cumque primo ingreſſu obſervaſſem eius vultum inſolenti pallore ſuffuſum, macilentum, cadaverique perſimilem, interrogavi, ut ſit, de eius valetudine. Is infirme ſatis ſe habere ſubtremula voce reſpondit, meque peramanter rogavit ut poſt mediam horam reverterer. Parui, ivi, redivi: Mirum. Adverti eius faciem priſtino colori reſtitutam, oculos hilares, vocem validam; ex morte in vitam rediiſſe non gratis dixiſſes. Quare me cohibere non potui, quominus exclamarem, Deo ſuperiſque ſint gratiæ! Bene, immo optime valere gratulor dominationem veſtram. Undenam tam ſubita, & tanta virium refectio? Subridens reſpondit amicus: Ne mirere, Pater amantiſſime: modo enim cocholatæ potionem aſſumpſi, quæ miraculi inſtar colorem, vires, vitam fere in inſtanti mihi parere conſuevit. Deus immortalis!* [Tamburinus eſt qui inclamat] *hanc meram potionem, non vero validam comeſtionem, ieiunii fini ex diametro*

tro oppoſitam, appellaveris! Hæc peculiaris virtus nutriendi, vires reparandi, ſtomachum corroborandi, quam in chocolate communiter omnes admittunt, attendenda eſt in conſtituenda menſura illius parvitatis. Quoniam non ſola quantitas materialis, ſed virtutis potiſſimum quantitas conſideranda eſt in cibo corpus nutriente.

II. Theologorum nemo unus negat, dari parvitatem materiæ in potu chocolatis, ſicut & in aliis cibis. Ex quo conſequitur, potionem chocolatis ob materiæ parvitatem non violare ieiunium. In hoc tota vertitur difficultas, quænam videlicet quantitas paſtæ chocolatis ſit intra limites parvitatis materiæ. Plures hac de re ſunt Auctorum opiniones. Communiter enim vel ii pauci qui laxam opinionem propugnant, tandem ſe recipiunt ad materiæ parvitatem. Hinc eam paſtæ quantitatem, vel eam potionem infra limites parvæ materiæ conſtituunt; quam reputant ſufficientem congruæ matutinæ refectioni, Cardinalis Cozza loco ſupra laudato inquit, unam unciam, vel ad ſummum duas uncias chocolatis eſſe materiam parvam. Cardinalis Brancatius in laudata diſſertatione ita ſtatuit. *Hæc valde mihi arridet concluſio, quod ſcilicet chocolatis potio, unius unciæ non excedens quantitatem, cum quinque unciis ſimplicis aut ſtillatæ aquæ, non inferat ieiunio iniuriam*. P. Viva, ut vidimus, addit duas uncias aquæ, & mediam ſacchari ſimul cum uncia chocolatis: &, hac aquæ additione facta, ſtatuit te poſſe ad libitum bibere ex tali potu *pluries* in diem. Leander, ut ſupra vidimus, nimis laxam reputavit ſententiam, aſſerentem potionem chocolaticam non frangere ieiunium. Idcirco ab ea receſſit, ſeu recedere ſibi blanditus eſt; mediamque opinionem excogitavit, quæ, ut demonſtratum eſt, non minus laxa eſt ac altera quam improbavit. Nunc autem in definienda menſura parvitatis materiæ ſtatuit, duas uncias paſtæ chocolatis eſſe materiam parvam. Deinde addit, quempiam poſſe toties quoties ſibi placuerit, potare cyathos iſtius chocolatis liquati, in quo duæ unciæ paſtæ tantum, & aqua proportionata reperiatur. Nec Hurtadus, nec Brancatius, nec Cozza, chocolatis patroni, adeo laxant ieiunii legem. Leander vero, qui media via ſe incedere gloriatur, laxiſſimam docet opinionem, quæ, tamquam improbabilis, reiicienda eſt. Eſcobarius *in exam. Conf. tract.* III. *cap.* V. aſſignat unam unciam. Alii unciam cum dimidia. Paſqualigus (de quo Leander in proœmio ad tractatum de ieiunio hæc habet: *Zacharias Paſqualigus per integrum Tomum . . . de hac materia docte, & late (utinam non tam laxe) agit:*) Paſqualigus, inquam, iſte, qui per Leandrum nimis laxe de ieiunio ſcripſit, docet dimidiam unciam chocolatis eſſe materiam gravem ſufficientem ad ieiunii tranſgreſſionem. Lubet iſtius Auctoris, qui inter laxos computatur, verba tranſcribere. *Solum parvitas materiæ* (inquit deciſ. CXLI. num. 5.) *poſſet excuſare a mortali. Sed difficultas eſt quænam cenſenda ſit parva materia. Cum enim ta-*

Digitized by Google

talis potio adeo nutriat, & corroboret; diverſa eſt ratio de ipſa, ac de ceteris cibis. Antonius de Lon loc. cit. putat, dimidium unciæ chocolatis poſſe in potione miſceri, tamquam parvam materiam. Sed ego hoc nimium exiſtimo: quia proportionaliter loquendo uncia dimidia chocolatis plus nutrit, & corroborat quam ſex unciæ alterius cibi valde nutritivi. Unde, cum in hoc attendenda ſit quantitas formalis, nempe virtus nutritiva, utpote quia in ieiunio præcipitur abſtinentia a cibo, tamquam a nutritivo, illa habenda eſt pro parva materia quæ parum nutrire poteſt. Unde puto, non poſſe excedere octavam partem unciæ, aut ad ſummum ſextam partem; alioquin ſemper afferet notabilem nutritionem. At ſane ratio quam prodit Paſqualigus ad evincendum, mediam chocolatis unciam eſſe materiam gravem in die ieiunii, ut pro mea ingenuitate loquar, non mihi probatur. Difficile enim creditu eſt, quin contra manifeſtam experientiam videtur, dimidiam unciam chocolatis plus nutrire quam ſex uncias alterius cibi, etiam *ſubſtantialiſſimi*, puta pinguium, optimarumque carnium.

III. Relatis Auctorum variis opinionibus, reliquum nunc eſt ut quid ipſe ſentio, promam. Fateor mihi aquam hærere. Siquidem, quemadmodum in iis quæ mihi manifeſta videntur, libere profero ſententiam meam; ſic in iis quæ ſubobſcura ſunt, quæve ad certa principia revocari nequeunt, caute, & circumſpecte procedere ſoleo. Audi tamen quæ dicturus ſum. Libere pronuntiavi, potionem chocolaticam ieiunium frangere: quia evidenter demonſtravi, eoſdem, quos cibus ſolidus, parere effectus. Admitto, dari parvitatem materiæ. Quænam ſit præciſa menſura iſtius parvitatis, ignoro. Addo, eum qui abſque iuſta cauſſa vel peculiaris debilitatis, vel infirmitatis, ſumit chocolaticam potionem, etiam in materia parva, peccare venialiter ieiuniorum tempore. Subdo, opinionem quæ afferit, unciam chocolatis, quinque, vel quatuor unciis aquæ immixtam, & per coctionem compoſitam, licite ſumi poſſe die ieiunii, mihi non probari. Quin abſolute eam reiicio. Cur? Quia intimo ſenſu experior, me illo die quo unciam optimi chocolatis, quatuor, vel quinque aquæ unciis iniecti, & ad ignem revoluti, agitatique, ex qua mixtura oppletur unus ex conſuetis cyathis, nullam moleſtiam famis ſentire uſque ad prandium. Quapropter, ſi ieiunii tempore hanc ſumerem potionem, nullum ſane incommodum ieiunium mihi adferret: ideoque graviter dubio procul me peccaturum exiſtimarem. Et tamen mei corporis conſtitutio haud eſt valde robuſta, ſicut nec imbecilla; ſed mediocris. Eumdem ergo effectum præfata potio in aliis, ac in meo ſtomacho, pariet. Quid reponis? Repono ego, opinionem quæ ſuſtinet ſumi poſſe unum cyathum chocolatis, modo dicto concreti ex aqua, approbare communem uſum chocolatis etiam in diebus ieiunii. Communiter enim non immiſcetur aquæ niſi uncia chocolatis, vel circiter, pro ſingulis cyathis: nec ſolent ſobrii homines pluſquam ſemel in die com-

muniter chocolatem bibere, tum quod ſaluti, tum quod crumenæ officiat. Quare aſſerere, quod licitum ſit ſumere unciam, vel unciam cum dimidia chocolatis die ieiunii, nihil aliud eſt quam dicere, uſum communem potionis chocolaticæ licitum eſſe etiam ieiuniorum tempore. Plus minuſve iſthuc reipſa recidit hæc opinio. Præterquamquod, admiſſa hac opinione, quidni, ut iam indicatum eſt, licebit communiter fidelibus unam vel duas uncias panis (nec enim eſt adeo ſubſtantialis ut chocolates) aquæ immiſcere cum ſaccharo, & aromatibus, ac optimam liquatam pultem ſorbere, quæ minoris ſit pretii quam chocolates. Eadem eſt omnium lex: eadem igitur privilegia. Quæ omnia ſic intelligas velim, ut indigentiam perſonalem excipias.

IV. Ex dictis duo colligenda ſubiicio, tamquam certa. Primum eſt, venialiter peccare eum qui, ſublata rationabili cauſſa, vel in parva quantitate chocolatem potat in die ieiunii. Secundum eſt, dubium grave, ut minus, eſſe, num una uncia chocolatis ſit nec ne materia parva. Id patet tum auctoritate benigniorum Caſuiſtarum, tum ratione a me allata: cui addo, quod alias indicavi, chocolatem immixtum aquæ, ſeu mixturam ex aqua & chocolate, plus nutrire quam nutriat ſolus chocolates abſolute comeſtus. Ex quo conſequitur quod, licet unica paſtæ chocolatis uncia eſſet materia levis, mixtura tamen ex illa uncia, & ex quatuor unciis aquæ evadit materia gravis. Ut ergo conſcientiæ tuæ conſulas, abſtine ieiuniorum tempore ab eiuſmodi potu. Hæc eſt noſtra ſententia: quam ſi amplexus fueris, legem ieiunii implebis: ſi ſecus, vel eam infringes, vel periculo eam infringendi te committes: quia dubium ſeu periculum peccandi adverſus legem per contrariam probabilitatem non aufertur. Enimvero nulla vere probabilis ratio adduci poteſt, quæ oſtendat, mixtum quinque unciarum eſſe materiam parvam. Debes inſuper abſtinere, ne uſus iſte, ſeu verius abuſus, occaſionem ingerat ceteris Chriſtianis, qui chocolatem emere nequeunt, excogitandi, & ſorbillandi aliam ſimilem mixturam minoris pretii, & eiuſdem virtutis ad corroborandum ſtomachum, & extinguendam famem. Tandem ſcandalum quod populo chriſtiano uſus iſte ingerit, ſpectandum eſt. Dum Chriſtiani vident viros probos, ſanos alioquin, & robuſtos, chocolatem potare, nil conſiderant, num in parva, aut magna quantitate ab illis ſumatur; ſed factum ſpectant, & inde chocolatis potum licitum eſſe concludunt. Quare in diſcrimen adducitur ſacra ieiunii obſervantia: cuius lex licet, ad temporis definitionem quod attinet, ſit poſitiva; abſolute tamen & naturalis, & divini iuris eſt. Hæc ſi ſeria mente, relictis quorumdam Caſuiſtarum ſophiſmatis, expenderis, atque veram ieiunii formam ob oculos tibi propoſueris, non dubito quin ieiunii tempore abſtinueris a præfata potione. Nec mihi in votis eſt antiquam ieiunii diſciplinam renovare, nec *rigoriſmi* ut aiunt, regulas venditare; ſed eo dumtaxat ſtudia mea ſpectant, ut novis, &

in diem gliſcentibus abuſibus aggerem pro modulo meo opponam. Nollem ieiunium, iam per Eccleſiæ benignam clementiam corporum imbecillitati ſatis accommodatum, novis refectionum inventis ita relaxari, ut nullam veri ieiunii ſpeciem ſervaret.

V. Quid, ſi octavam, vel ſextam unciæ partem chocolatis quis infunderet aquæ, ut Paſqualigus ait? Reſp. Si quid pulveris chocolatis aquæ ita temperate adſpergatur, ut aqua ſapida efficiatur, utque cruditas ab ea auſeratur, & ſtomacho attemperetur, & alioquin aqua naturam aquæ, & rationem veri potus retineat, ac reipſa ad extinguendam ſitim adhibeatur; quemadmodum aqua, cui commiſcetur quidquam ſucci expreſſi ex malo medico, & aliquid ſacchari, vulgo *limonea*; hoc modo ieiunium non frangitur. Et hic fortaſſis erit Indorum uſus. Sed quis in Europa chocolatem ſic ſumit?

VI. Si quis ſtomachi, vel capitis incommodo laboret, ſi ad aliquod onus, officiumque exercendum, cui ex debito obnoxius eſt, viribus deſtitutus reperiatur; chocolatem per modum medicinæ ſumere poteſt; ſicuti olim electuaria per modum medicinæ ſumebantur; non in fraudem ieiunii ad expellendam famem, ut inquit D. Thomas. Qui ob alios fines chocolatem ſumit, ſemper iniuriam ieiunio irrogat, levem, vel gravem. Et cum limites iſtius gravis, vel levis malitiæ certi, & manifeſti non ſint; tu ab hac in die ieiunii potione abſtine, ne in gravem labaris culpam, dum levem tantum te perpetrare autumas.

VII. Ultimo loco perpendas velim, univerſam Eccleſiam Gallicanam, tamquam putidam corruptelam, hanc improbare ieiunii tempore potionem. Scandalum ingereret grave, ſi quis Gallorum aut biberet, aut licitum doceret eiuſmodi potum. Et nos, qui religionis centro propius iuncti ſumus, talem uſum propugnabimus? Quid, ſi Scripturarum divinarum principia in medium afferrem, ex quibus evidenti conſecutione abuſus iſte improbatur? Ab omni ſpecie mali cavendum eſſe, S. Paulus docet. An non ſpeciem mali abuſus iſte præfert?

§. UNICUS.

Diluitur obiectiuncula ab auctoritate Ludovici della Fabra *Phyſico-Medici repetita.*

I. POſtquam diſputationi finem impoſueram, manumque ex hac tabula ſubduxeram, ad me epiſtola pervenit Italica lingua exarata: quam, ne deprehendi Auctor poſſit, latine ſincere verto. „ P. Concina, qui in hac ſua de chocolatis potu epiſtola teſtatur, ſe gerere hiſtorici perſonam velle circa licitum, aut „ illicitum eiuſdem uſum ieiunii tempore, irruere maiori impetu, ne dicam furo-

Digitized by Google

„ re, in eos qui licitum uſum propugnant, haudquaquam poterat. Hiſtoriam ne „ texat, an bellum denuntiet, nemo eſt qui non videat. Potiſſimum illius hoc in „ certamine principium eo pertinet, ut dicat, quin tamen demonſtret, chocola- „ tem vi nutriendi præditam eſſe, atque adeo ieiunium frangere. Si doctus Phy- „ ſico-Medicus eidem e manu ſcutum iſtud ſurriperet, evinceretque chocolatem „ nutriendi facultate carere, concertatio omnis ceſſaret. Heinc ille inter illos „ ſtultos annumerandus merito eſſet *qui vident vana, & divinant mendacium*; ut „ de eiſdem loquitur Ezechiel *cap.* XIII. Sed ecce doctum Phyſico-Medicum *Lu-* „ *dovicum della Fabra* Univerſitatis Ferrarienſis Profeſſorem primarium, Auctorem „ Patri Concina ignotum (cuius ſaltem numquam meminit) qui in illo ſuo ope- „ re inſcripto *Diſſertationes Phyſico-medicæ* typis editæ an. 1712. pag. 433. & ſeqq. „ demonſtrat chocolatem nutriendi virtute deſtitutum eſſe: & en cauſſam fini- „ tam. Et *pro bono pacis* detorquere prætermittamus Ezechielis obiurgationem in „ Patrem Concina. *Duo ſunt officia medicinæ: unum quo ſanatur infirmitas; alte-* „ *rum quo ſanitas cuſtoditur:* inquit S. Auguſtinus *epiſ.* XLVIII. Hos duos me- „ dicinales effectus nemo eſt qui chocolati non adſcribat. Quare quemadmodum „ medicinæ, etiamſi aliquantulum nutriant, illicita tamen non eſt ieiunii tem- „ pore earumdem ſumptio; ita neque medicinalis chocolates illicitus eſt eum in „ finem ſorbillatus, ut aut ſanetur infirmitas, aut ſaltem conſervetur, & cuſto- „ diatur ſanitas; quamvis non eſſet, ſicut reipſa eſt, qui demonſtrat, chocolatem „ vi nutriendi haudquaquam pollere. “

II. Huiuſce epiſtolæ Auctor de vultu mihi ignotus eſt; ſed ab amicis fide di- gniſſimis intellexi, virum eſſe morum integritate, eruditione, pluribuſque titulis clarum. Quamobrem flammis epiſtolam deſtinaveram, idque reipſa præſtitiſſem, ſi me dumtaxat miſellum homunculum contumeliis laceſſitum ſenſiſſem. Conce- ptum exequi conſilium urgebat epiſtola ad amicum ſecreto, illaque familiaritate quæ amicos inter intercedere ſolet, data. Verum, cum ſerio mecum animo ne- gotium reputarem, eruditum, probumque Cenſorem benignioris quam par eſt Mo- ralis lue inquinatum, aliorumque quos aut voce, aut ſcripto alloquitur amicos inficientem deprehendi. Mihi videre viſus ſum hominem, doctum licet, optimeque moratum, probabiliſtico *novo opinandi modo*, quem ab evangelica ſimplicitate, & ſanctorum Patrum doctrina alienum, & corruptelarum omnium fontem declara- vit Alexander VII., præventum. Coniecturam meam confirmavit doctrina illa ſane feſtiva, quam ex Auctore a me ſupra *cap.* X. *num.* 33. citato adoptavit. Quæ- nam hæc? Chocolates nec potus eſt, nec cibus. Quid ergo? Medicinalis potus. Quod commentum ſane iucundiſſimum, ut confirmet, auctoritatem S. Auguſtini ex *epiſ.* XLVIII. in medium adducit. *Duo ſunt officia medicinæ* &c. Legi integram *epiſ.* XLVIII. olim LXXXI. Defixis oculis percurri *epiſ.* XLVIII. *vet. edit.* nunc XCIII. *ad Vicen-*

tium

tium valde prolixam, & nec verbum offendi allegati teſtimonii medicinalis. Legit fortaſſe eruditus Cenſor præfata verba in aliquo libello illorum quibus, ut molliorem opinandi probabilitatem promoveant, depravare Scripturarum ſanctarum textus, detorquere in erronea ſenſa, Patrum teſtimonia, familiare eſt. Quare lectio integræ Auguſtinianæ *epiſtolæ* XLVIII. nunc XCIII. ad *Vincentium* ſponte currenti calcaria addidit, ut eiuſdem mihi obiectæ epiſtolæ verbis alloquerer Cenſorem clariſſimum. *Non omnis qui parcit* (inquit ibi circa initium S. Auguſtinus) *amicus eſt, nec omnis qui verberat inimicus. Meliora ſunt vulnera amici quam voluntaria oſcula inimici. Melius eſt cum ſeveritate diligere quam lenitate decipere. Utilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus iuſtitiam negligebat, quam eſurienti panis frangitur, ut iniuſtitiæ ſeductus acquieſcat.* Legendam integram epiſtolam citatam ſuadeo erudito Cenſori.

III. Ex epiſtolæ ſtilo, quantum probabili aſſequi coniectura valeo, eruditus Cenſor mihi adverſantium laxa opinandi ratione præoccupatus, propriam quoque eorumdem ſcribendi formam imitatus eſt. Excandeſcere illi ſolent, & ſupercilia contrahere, dum ſuæ laxæ & nimium blandientis doctrinæ paradoxa nativis coloribus repræſentari, & deridenda propinari vident. Et cum pugnare ratione nequeant, maledicta contorquent. Hanc eamdem inſtitit viam Cenſor noſter. Quid? An ille modeſtiſſimus, & ad humanitatem compoſitus, me furore abreptum, & inſania debacchantem traduxiſſet, niſi eorumdem probabiliſtico ulcere tactus, & ſcribendi formulis præventus fuiſſet?

IV. In aliquo ſimiliter Probabiliſtarum libello ſicuti teſtimonium S. Auguſtini, ita teſtimonium ſanctiſſimi Prophetæ Ezechielis ab illo lectum eſſe ſentire nos convenit. Si enim in ſuo fonte integrum illud *caput* XIII. proprio mentis acumine expendiſſet, certior factus fuiſſet mihi etiam erranti quadrare haud poſſe ſeveriſſimam increpationem a Deo latam in Pſeudoprophetas, qui non ſevera, & amara pocula, ſed dulcia ſorbilla propinant, & molles pulvillos populi cervicibus ſupponunt. Audiat eruditus Cenſor quid poſt obiecta verba, *Vident vana, & divinant mendacium*, Propheta Ezechiel continuo ibidem adiiciat: *Væ quæ conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ carnis ad capiendas animas . . . . Et violabant me ad populum meum* (N. B.) *propter pugillum hordei, & fragmen panis* (& cyathum chocolatis cum cruſtulo) *ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt.* Quem latet, in me *Rigoriſtam*, ut adverſarii contendunt, etiam errantem detorqueri Ezechielis verba non poſſe?

V. Quæ hactenus dicta ſunt, inde magnopere confirmantur, quod digniſſimus Cenſor non provocatus, non læſus tam ſevera ferula me exceperit. Porro cum neque ab indole, neque a conſuetudine ad ſimilem ſcribendi rationem inclinet,

conſequitur huc acerbitatis & acrimoniæ adductum eſſe ex nimio, & impotenti erga laxiſſimum ætatis noſtræ opinandi modum affectu. Ieſu Chriſti caritas urget, ut errantem Cenſorem, & alios fratres in errorem pertrahentem illuminare pro modulo noſtro ſatagamus. Oſtenſum iam eſt, opinionem quæ licitum chocolatis potum ieiunii tempore abſolute defendit, nulla ſolida probabilitate niti. Verum opponit ille Medici cuiuſdam auctoritatem, quæ niſi commentitia oſtendatur, in potato errore perſiſtet. En paucis expoſitam noſtræ breviſſimæ reſponſionis cauſam. Non ergo, ut mordentem remordeam, non ut vellicantem vellicem, & Plautino ſale defricem, ſed ut probatiſſimum virum probabiliſtico fermento, & hodiernæ benignitatis peſte infectum, alioſque inficere conantem, in veritatis ſemitam reducam, calamum ſtringo. Celeberrimus igitur ille Phyſico-Medicus, ad cuius tribunal cauſſam appellat, in medium prodeat.

VI. Is eſt Ludovicus della FABRA primarius in univerſitate Ferrarienſi artis medicæ Profeſſor, qui in ſuis *diſſertationibus phyſico-medicis pag.* 433. chocolatis naturam, & partes quibus conſlatur, deſcribit eo ſtilo quem ex ſubiectis teſtimoniis colligere lector poteſt. Quæſtionem theologicam verſare ſibi minime vitio vertit artis medicæ tantummodo cultor. Quoties ego confutare pro dignitate ſoleo quorumdam Caſuiſtarum craſſiſſimas aberrationes, illorum opiniones propriis ipſorum verbis conceptas in medium affero, ut lectores horrorem concipiant. Hanc in præſens ſervo methodum. Itaque Ludovicus iſte della *Fabra* pag. 453. hanc ſtatuit quæſtionem. „ Num autem cacao nutriendi, ac *impinguandi* ſit facul-
„ tas, ut ab OMNIBUS ita admiſſa fuit, ut 'dubium moveret, an [eius
„ confectio ieiunium frangeret eccleſiaſticum', uti in voto fuit Caldera . . . .
„ *Nunc negativa patet*. Nam eo tempore, ab hipotheſi Calderæ commotus
„ Cardinalis Brancatius ſcite probavit chocolatam . . . nequaquam frangere ie-
„ iunium. "

VII. Turpiter in ſola facti narratione *Fabra* errat. Cardinalis Brancatius unam chocolatis unciam ieiunii die ſumendam tandem permittit ob materiæ parvitatem. *Omnes* (teſte hoc Ludovico Fabra) ineſſe cacao virtutem nutriendi aſſerunt. At, inquit, *nunc negativa patet*. Eccuinam patet? Nemini profecto illorum qui cerebrum ſanum, communique ſenſu præditum habent. Vix in univerſa Europa doctus occurret Medicus, qui tam immane paradoxon propugnare auſit. Eruditiores univerſæ Italiæ Medicos allocutus ego ſum, omneſque uno ore teſtati ſunt, neminem niſi aut fatuum, aut bono ſenſu deſtitutum negare chocolati poſſe nutriendi facultatem.

VIII. Sed iterum loquatur *Ludovicus Fabra*. Hæc ergo ſibi opponit pag. 456.
„ Nihil quoque penſi faciunt tot monumentis tradita exemplaria de emaciatis,
„ conſumptis, ac gracilibus chocolatæ uſu enutritis, & *pinguefactis*, neque quod
„ tot

„ tot *famatiſſimi viri*, de qua ſcripſere, eam utpote oleoſam enutrire fateantur,
„ & quod quiſque experiri valeat abſque alio victu, ut dictum, ſola chocolatæ
„ potione ter, quaterque in die aſſumpta faciliter robuſteque traiicere diem,
„ cum experimento quoque conſtet ſolo tabaci fumo abſque alia *cibatione* quoſ-
„ dam vixiſſe, & fortaſſe vivere ad labores."

IX. *Tabaci fumo* iſtius Medici ſinciput obnubilatum, extenuatumque fuiſſe dicamus fas eſt, dum talia ſcriberet. Tabaci fumus ad labores ſtomachum roborat, confirmatque? Ineptirem ipſe, ſi hæc refellerem commenta. Tam craſſæ imaginationis pœnituit continuo noſtrum Phyſico-Medicum, qui *ſeq. pag.* 457. *num.* 85. hæc ſubdit. *Nequaquam tamen negandum, quod hæc confectio ad corporis nutritionem SUMMOPERE non conferat, non prout ipſa ſit, vel includat nutritivum ſuccum, ſed quatenus balſamico ſuo volatili, blandaque oleoſitate ventriculi fermenta, ut dictum, eſurientia ab exoticis expurget*. Exotica ſane oratione declaravit Phyſico-Medicus rationem, cur chocolates nutriat. Verum *pag. ſeq.* 458. a Caſuiſtis diſtinctiuncula non *exotica*, ſed familiariſſima mutuo obtenta luculentius ſuam munit opinionem his verbis. *Qua de re, chocolata ad nutriendas partes, non ut PER SE ſit, vel includat nutrimentum, ſed quatenus CONCURRIT DISPOSITIVE*. Peregregie. Hæ ſunt conſuetæ diſtinctiones, quibus nonnulli Caſuiſtæ hodierni divinarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum doctrinam corrumpunt. Validius labefactare vaniſſimam, & communi ſenſui repugnantem opiniunculam non poteram, quam commenta, quibus illam defendere ſtudet *Ludovicus della Fabra*, reſcribendo. En quam verum proverbium ſit: *Nihil tam infandum quod aliquis non effutiat Philoſophaſter*. Huius Phyſico-Medici vaniſſima ſomnia repræſentavi, ut eruditum, probumque Cenſorem monerem, ne fidem indiſcriminatim adhibeat ſive Medicis, ſive Theologis omnibus noſtri temporis, niſi ſevera critice, maturoque examine præeunte. *Filioli, nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Quoniam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Epiſ. I. Ioan. cap. IV.

CAPUT XII.

De qualitate unicæ comeſtionis, neceſſariæ ad ieiunium: & quomodo plures comeſtiones ieiunii integritati adverſentur.

I. UNicam comeſtionem ad ieiunium neceſſariam eſſe, iam ſupra demonſtratum eſt. Qualitas nunc iſtius unicæ comeſtionis ſub examen inducitur. Quoniam, ut quis intentioni ſanctæ matris Eccleſiæ, ieiunium præcipientis, reſpondeat, non ſatis eſt ſemel in diem comedere; ſed inſuper opus eſt ut hæc unica comeſtio apta ſit ad concupiſcentiam cohibendam, paſſioneſque ſubigendas. Ut difficultates quæ agitari ſolent, clarius reſolvantur, ſequentia quæſita propono.

II. Quæſt. I. *An illi qui die ieiunii ſemel comedentes, ita ventrem implent, & exquiſitis condimentis palatum vellicant, totque ſelectis epulis gulam demulcent, ut nullam ieiunii afflictionem ſentiant, ſed concupiſcentiam potius irritent, ſatisfaciant ieiunii præcepto?* Reſp. Adverſus hunc non paucorum Chriſtianorum abuſum declamant Patres omnes, præcipue Auguſtinus ſerm. ccx. *Sunt quidam obſervatores Quadrageſimæ, delicioſi potius quam religioſi, exquirentes novas ſuavitates magis quam veteres concupiſcentias caſtigantes, qui copioſis, pretioſiſque apparatibus fructuum diverſorum, quorumlibet obſoniorum varietates, & ſapores ſuperare contendunt. Vaſa, quibus coctæ ſunt carnes, tamquam immunda formidant. Ieiunant non ut ſolitam temperando minuant edacitatem; ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam, ubi tempus reficiendi advenerit, opimis menſis, tamquam pecora præſepibus, irruunt: numeroſioribus ferculis corpora obruunt, ventreſque diſtendunt ... Tamquam non ſit Quadrageſima piæ humilitatis obſervatio, ſed novæ voluptatis occaſio ... Quid autem abſurdius quam tempore quo caro arctius caſtiganda eſt, tantas carni ſuavitates procurare, ut ipſa faucium concupiſcentia nolit Quadrageſimam præterire? Quid inconvenientius quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus eſt, ita vivere, ut, ſi toto tempore ſic vivatur, vix poſſint divitum patrimonia ſuſtinere?* Et alibi inquit. *Illi qui ſic a carnibus temperant, ut alias eſcas difficilioris præparationis, & maioris pretii inquirant, multum errant. Hoc enim non eſt ſuſcipere abſtinentiam, ſed mutare luxuriam.* D. Hieronymus *epiſtola* x. ad Furiam hæc ſcribit. *In ipſis cibis calida quæque vitanda ſunt: & non ſolum de carnibus loquor, ſuper quibus Vas electionis profert ſententiam:* Bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum:

Digitized by Google

num: *ſed etiam in ipſis leguminibus inflantia quæque, & gravia declinanda ſunt... Inde eſt quod nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt; dum ſolam abſtinentiam carnium ſufficere putant, & leguminibus onerant ſtomachum: quæ moderate, parceque ſumpta innoxia ſunt. Et ut quod ſentio, loquar, nihil ſic inflammat corpora, & titillat membra genitalia, ſicut indigeſtus cibus, ructuſque convulſus.* Similia ſcribunt ceteri Patres, quos brevitatis gratia prætereo. His Patrum auctoritatibus innixi aliqui Theologi ſuſtinent, eiuſmodi Chriſtianos non implere præceptum ieiunii. Maior *in IV. diſtinct.* xv. *quæſt.* III. Martinus Ayala Epiſcopus Guadixenſis *Lib. III. de Tradit. Eccl. cap. de ieiun.* Covarruvias *Lib. IV. var. cap.* xx. *num.* II.

III. Communis Theologorum ſententia defendit, præfatos Chriſtianos præceptum quidem ieiunii obſervare; peccare tamen adverſus temperantiæ leges. Ratio clara eſt. Nam Eccleſia præſcribit unicam comeſtionem, & ciborum delectum; qualitatem autem, & quantitatem epularum non definit, nec eam definire ob varias corporum conſtitutiones poteſt, ut peroptime inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. cxlvII. art. 6. ad I. *Quantitas cibi non potuit omnibus taxari propter diverſas corporum complexiones.* Qui ergo ſemel comedunt, præcepto ieiunii ſatisfaciunt. Quod confirmari poteſt communi illa doctrina, qua Theologi afferunt, poſſe impleri ſubſtantiam, ut aiunt, præcepti etiam ab eo qui in peccato mortali exiſtat, ſeu per actionem quam malitia comitetur. Nam ſi quis ob vanam gloriam eleemoſynam pauperibus diſtribuat, vel parentes honoret, præceptum de honorandis parentibus, & de eleemoſyna implet, quamvis meritum chriſtianæ obſervantiæ non habeat.

IV. Obiicies. Præcepta legis obſervanda ſunt, non ſecundum verborum corticem, ſed iuxta intentionem præcipientis; ut deducitur ex regula iuris lxxxvIII. Qui autem ventrem immoderate epulis replent, & exquiſitis obſoniis gulæ morem gerunt, intentioni Eccleſiæ adverſantur. Inſuper ieiunium eſt actus virtutis abſtinentiæ, & imperatus a temperantia: virtutis autem præceptum per vitium oppoſitum impleri nequit. Reſp. Duplex in legiſlatore intentio diſtingui ſolet: altera, quam vocant obiectivam, ſeu intrinſecam; altera, quam appellant finalem, ſeu extrinſecam. Prima cadit ſub præcepto, ſecus ſecunda: quia illa reſpicit id quod legiſlator reipſa præcipit; hæc effectum, ſeu finem ſpectat, quem legiſlator vellet ex legis obſervantia provenire. Qui ergo ſemel comedit, & a cibis vetitis abſtinet, ſatisfacit primæ intentioni Eccleſiæ, & implet præceptum ſecundum ſubſtantiam; non tamen ſatisfacit ſecundæ intentioni, ſeu fini extrinſeco. Ad id quod additur, reſpondetur, falſum quidem eſſe, præceptum virtutis impleri poſſe per eius oppoſitum: neque tamen hoc contingit in comeſtione, qua impletur præceptum ieiunii. Quandoquidem præceptum iſtud præcipit unicam co-

Digitized by Google

comeſtionem, & abſtinentiam a quibuſdam cibis. Qui reipſa ſemel comedit, & abſtinet a cibis prohibitis, actum bonum ex officio, ut Auguſtinus ait, exercet; & per hunc actum bonum præceptum implet; quamvis ſimul adverſus alias leges peccet. Aliqua ſunt præcepta quæ impleri poſſunt ſecundum ſubſtantiam, & non ſecundum modum: quia modus non eſt intrinſecus rei præceptæ: & huius generis eſt præceptum ieiunii. Alia vero ſunt præcepta quæ impleri nequeunt ſecundum ſubſtantiam, niſi impleatur & modus: quia modus eſt intrinſecus rei præceptæ: cuiuſmodi eſt præceptum de recitandis horis canonicis, cuius modus eſt, ut attente & devote recitentur.

V. Quæſt. II. *An qui pluries in die ieiunii comedit, ſervato ciborum delectu, pluries etiam peccet?* Reſp. Communior ſententia eſt, hunc ſemel peccare, in ſecunda nempe comeſtione, ſecus in reliquis refectionibus. Quoniam ieiunium in ſecunda refectione iam fractum eſt. Nequit ergo infringi in tertia, & quarta. Hæc per ſe manifeſta ſunt. Præceptum ſiquidem ieiunii unicam præſcribit comeſtionem. Ergo ſemel violatum præceptum iſtud per ſecundam comeſtionem obſervari amplius nequit. Quemadmodum, ſi præceptum prohiberet fractionem vaſis, fracto vaſe, præceptum non poſſet amplius impleri. Hanc opinionem defendunt Durandus *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* XI. *num.* 9. Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 8. Navarrus *cap.* XXI. *num.* 15. Ledeſma *II. Part. tract.* XXVII. *cap.* II. Azorius *Lib. VII. cap.* IX. Suarez *Tom. II. de Relig. Lib. IV. cap.* VII. *num.* 12. Leſſius *Lib. IV. cap.* II. *dub.* 3. *num.* 15. Bonacina *diſput. ult. de præcept. Eccleſ. quæſt.* I. *punct.* 3. *num.* 7. Trullenchus *in Decalog. Lib. III. cap.* II. *dub.* 3. *num.* 3. Leander *tract.* V. *diſp.* IX. *quæſt.* II. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. *§.* I. *num.* 47. Cozza *Tom. de ieiun. III. Part. art.* I. *dub.* II. *num.* 143. Sporer *in append. ad* 3. *præcept. Decal. ſect.* 3. *num.* 38.

VI. Contrariam ſententiam pauciores quidem, ſed graves tamen Auctores defendunt. Maior *in IV. diſt.* XV. *quæſt.* VI. Medina *codic. de ieiun. quæſt.* V. Covarruvias *Lib. IV. var. qq.* Ioannes de Neapoli apud eumdem, Monteſinos 2. 2. *quæſt.* LXXIII. *art.* 2. *diſp.* V. *quæſt.* IV. *num.* 47. Sylvius 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 6. *quæſit.* 3. Molanus *in ſua Theologia pract. tract.* III. *de virtut. cap.* XI. *concl.* 4. VVigandt *tract.* V. *exam.* IV. *num.* 101. *reſp.* 3. Henricus a S. Ignatio *Tom. II. Lib. XI. cap.* II. *num.* 31. & apud ipſum VViggers. La Croix *Lib. III. part.* II. *num.* 1265. valde probabilem eam iudicat. Antequam, quid in hac controverſia ipſe probabilius ſentiam, libere profero, quæ mihi certa videntur, exhibeo. Igitur reiicio, tamquam opinionem nimis laxam, illam quam referunt, & ſequuntur Salmanticenſes *loc. cit. num.* 49. nempe, nullum peccatum committi, nec veniale, in tertia, & quarta comeſtione. Enimvero manifeſtum eſt in his repetitis comeſtionibus novam aliquam malitiam perpetrari, tum ob contumaciorem legis contem-

ptio-

Digitized by Google

ptionem, tum ob effrenem indulgendi gulæ licentiam. Quare Leſſius, licet primam opinionem propugnet, adfirmat tamen, in tertia comeſtione peccatum veniale committi. His præmiſſis, reſtat ut ſuper præcipuo controverſiæ puncto iudicium feram.

VII. Porro, expenſis utriuſque ſententiæ momentis, prima mihi minus probatur: tum quia rationibus quæ ſubtilitatem aridæ Metaphyſicæ ſapiunt, innixa eſt; tum quia nimis naturali æquitati adverſatur. Quare ſecundam amplector, tamquam probabiliorem, & in praxi, ut ego arbitror, unice tutam. Quandoquidem præceptum ieiunii partim eſt affirmativum, partim negativum. Quin plus habet negationis quam adfirmationis. Nam negativum eſt, quia prohibet eſum carnium. Negativum eſt, quia prohibet plures comeſtiones. Et, quoniam hoc adverſarii negant, ſic ſtatim probatur. Unica comeſtio directe a lege non præcipitur, ita ut ex neceſſitate debeamus ſemel in die comedere, ſed directe prohibentur plures comeſtiones; & indirecte unica comeſtio non tam præcipitur, quam permittitur: hoc nimirum in ſenſu: ſi vis comedere, non potes, niſi ſemel; ceterum potes unum vel duos dies tranſigere abſque omni cibo. Prohibet ergo Eccleſia directe plures refectiones; unamque indirecte præcipit. Et, ne rem certam verborum varietate dubiam faciamus, admitto, directe præcipere Eccleſiam unicam comeſtionem. Ergo legitime infertur, plures ipſam vetare. Qui enim unum determinatum præcipit, ſane plura prohibet. Prohibet, inquis, ſecundam comeſtionem, ſecus tertiam. Verum hæc eſt iuxta Logicos petitio principii. Cur, quæſo, ſecundam prohibet, minime vero tertiam? Aſſigna iſtius limitationis cauſſam. Poſſe, & potuiſſe Eccleſiam ſic præcipere, ultro fateor. Sed ſic reipſa præcepiſſe, nego: & negationis fundamentum aſſigno. Omnia præcepta negativa æque per ſecundam, ac per tertiam actionem contrariam violantur. Ergo & præceptum ieiunii, qua parte negativum eſt. Concedunt enim etiam adverſarii, indirecte ſaltem eſſe negativum, ſeu aſſentiuntur hoc præceptum partim eſſe negativum, partim affirmativum. Fatentur denique prohibere plures refectiones; ſed reponunt fieri non poſſe ut præceptum, ſemel per ſecundam comeſtionem violatum, deinceps obſervetur, eo quod deſtructa ſit eius eſſentia: quod autem non eſt, obſervari nequit. Hoc infra palam fiet eſſe merum ſophiſma. Interim inquiro: cur toties non agis contra præceptum negativum ieiunii, quoties comedis poſt ſecundam comeſtionem; quemadmodum toties agis contra præceptum negativum comedendi carnes, quoties carnes manducas? Cur aſſeris, prohibitionem iſtius præcepti ieiunii eſſe limitatam ad ſecundam comeſtionem? Oppoſitum videmus in omnibus aliis negativis præceptis. Quia Eccleſia prohibet die ieiunii comeſtionem carnium, toties peccatur, quoties comeduntur. Quia prohibet plures Miſſas celebrari, unamque ſingulis Sacerdotibus permittit; toties peccatur, quot Miſſæ poſt primam celebrantur.

VIII.

VIII. Reſpondent, quæ a præcepto ieiunii prohibentur, non eſſe ſuapte natura mala: non ergo ſingulæ refectiones prohibentur; ſed ea duntaxat qua ieiunium violatur, nempe ſecunda, prohibita dicenda erit. Hæc reſponſio inanis eſt. Quandoquidem Eccleſia prohibet ingredi Sanctimonialium monaſteria, prohibet non ieiunos ad Euchariſtiam ſumendam accedere, prohibet carnium eſum, aliaque multa vetat, quæ ſuapte natura mala minime ſunt: & tamen certum eſt toties aliquem peccare, quoties carnes manducat, quoties non ieiunus Euchariſtiam ſumit, quoties ſepta ingreditur Sanctimonialium; & idem de omnibus præceptis negativis dicendum. Nec diſparitas quam aſſignant, alicuius momenti *eſt;* videlicet quod alia præcepta adducta adhuc poſt primam tranſgreſſionem ſervari poſſunt; ſecus præceptum ieiunii, cuius eſſentia per unicam ſecundam comeſtionem deſtruitur. Non, inquam, quidpiam valet hæc reſponſio. Quoniam nec qui carnes ſemel comedit ieiunii die, poteſt amplius omnino, & perfecte præceptum prohibens carnium comeſtionem obſervare; ſed tantum imperfecte. Ergo quemadmodum poſt primam carnium manducationem ad obſervantiam imperfectam præcepti obſtringitur ille qui carnes comedit; ſic qui bis comedit, ad ieiunii præceptum eo modo quo poteſt obſervandum obligatur.

IX. Ex his quæ dicta ſunt, reſponſio patet ad contrariæ ſententiæ rationes, quæ metaphyſicæ ſunt, non morales. Verum ſiquidem in phyſicis eſt quod, ablata forma eſſentiali, compoſitum deſtruitur; ſed illud in moralibus non contingit. Quoniam ieiunii eſſentia non eſt individua, ut ſunt eſſentiæ metaphyſicæ; ſed dividua eſt, plures habens partes, quarum aliquæ conſiſtunt, deſtructis aliis. Itaque poſt ſecundam comeſtionem non poteſt amplius perfecte, & ſecundum omnes partes ieiunii præceptum obſervari. At cur obſervari nequit imperfecte? In quo eſſentia, non metaphyſica, ſed moralis ieiunii ſita eſt? In corporis afflictione, in concupiſcentiæ, aliorumque appetituum refrenatione. Ad hos effectus producendos unica comeſtio præſcripta eſt, & plures prohibentur. Quæro, num poſt ſecundam comeſtionem corpus capax ſit afflictionis. Nonne per abſtinentiam a tertia refectione caro comprimi, & concupiſcentia cohiberi poteſt? Nemo id negaverit. Poteſt ergo aliquo modo impleri præceptum. Cur ergo implendum denegas? Quod, ablata ieiunii forma, per ſecundam comeſtionem deſtructa eſt ieiunii eſſentia? Sed iſtæ tricæ & nugæ ſunt metaphyſicæ, quæ perperam rebus moralibus applicantur. Hinc reſponſio patet ad paritatem ex fractione vaſis petitam. Si enim vas ita infringatur, ut poſt fractionem adhuc aptum ſit ad communes uſus; peccatum novum eſſet, ſi per repetitas percuſſiones denuo comminueretur. Ieiunium, ut demonſtratum eſt, poſt ſecundam refectionem adhuc utiliter obſervari poteſt, quia plures habet partes. Quare, ſi paritas fieret vaſis, quod unica fractione omnino inutile redditur; eſſet prorſus inepta ob evidentem diſparitatem iam aſſignatam: vide-

videlicet quia ieiunium plura præſcribit; & idcirco, quamvis frangatur ſecundum aliquas partes, poteſt ſecundum alias obſervari. Qui non poteſt abſtinere a carnibus, poterit fortaſſe ſervare unicam comeſtionem. Qui ſecundam refectionem ſumpſit, poteſt omittere tertiam. Qui ante meridiem comedit, tenetur reliqua a præcepto imperata ſervare. Qui in alieno territorio, ubi non viget præceptum ieiunandi, prandium ſumpſit, in propriam reverſus civitatem, in qua præceptum eſt ieiunandi, nec carnes comedere, nec cœnare poteſt. Ne multa. Ieiunium plura complectitur. Qui omnia ſervare nequit, ea pauca ſervet quæ poteſt. Quemadmodum qui non poteſt recitare integrum officium divinum, tenetur recitare partes eiuſdem. Neque ex eo quod ſecundum partem principalem violatum ſit ieiunium, licitum eſt reliquas eius partes infringere. Alioquin qui laceraſſet veſtem, poſſet etiam illius partes omnes comminuere; & qui alicuius domus præcipuam partem demolitus fuiſſet, poſſet omnia reliqua cubicula diruere. Ex quibus omnibus evidenter conſtat, rationem potiſſimam cui contraria ſententia innititur, eſſe merum paralogiſmum; & praxim fidelium, quam obiiciunt, eſſe abuſum, qui illorum culpabilem ignorantiam conſequitur. Denique concludo, Chriſtianum qui ſemel violavit ieiunium, debere a tertia, & quarta refectione abſtinere: quia certum eſt iuxta communiſſimam Theologorum ſententiam, ſin novum, gravius ſaltem peccatum eum committere; ut præ ceteris teſtatur ſanctus Antoninus II. Part. tit. VI. cap. 11. §. 9. *Item diebus ieiuniorum pro qualibet vice, qui comedit ultra unam vicem, peccat mortaliter ſecundum Ioannem de Neapoli in quodlibeto: quia reducit iſtud præceptum ad negativa. Sed Durandus dicit in IV. hoc eſſe tantum unum peccatum mortale, quia eſt fractio unius præcepti pro una die, ſed tanto gravius, quanto pluribus vicibus comedit illa die. Et iſtud communius tenetur. Et hoc, niſi novo contemptu pluries comederet: quia tunc verum eſſet dictum Ioannis.*

X. Quæſt. III. *An qui inadvertenter ieiunium frangit, teneatur illa die, cum advertit, ieiunium ſervare?* Reſp. Quid dicendum ſit, patet ex dictis in ſuperiori quæſtione. Nam omnes illi quos allegavimus, ut conſequenter loquantur, ſuſtinent hunc non teneri ob eamdem rationem quam ſupra explicuimus; nimirum quod deſtructa ieiunii forma, quæ eſt unica comeſtio, non poteſt amplius ieiunium ſervari. At nos rationis huius manifeſtam falſitatem ſatis ſuperque oſtendimus. Nunc tantum addo, adverſarios, ut defendant comedentem carnes non teneri ad ieiunium, docere, abſtinentiam a carnibus eſſe ieiunii eſſentiam; cui accedit unica comeſtio: nunc autem, ut propugnent non teneri eum qui bis comedit, ad ieiunandum, docere, in unica comeſtione ſitam eſſe ieiunii eſſentiam; qua ſublata, poſſibilis non eſt obſervantia ieiunii. Pro commodo enim ieiunantium variant ieiunii definitionem. Sed hæc omnia iam profligata ſunt. Idcirco paucis dicimus, eum qui ex ignorantia ieiunium fregit, cum primum animadvertit ieiunii legem

legem vigere, ad illius obſervantiam teneri ob evidentes rationes quas in ſuperiori quæſtione dedimus. Si enim qui ſcienter violavit ieiunium, tenetur eo quo poteſt modo, illud ſecundum alias partes obſervare; potiori iure ad id obligatur qui ex inadvertentia illud tranſgreſſus eſt.

XI. Quæſt. IV. *An interruptio unicæ comeſtionis ieiunium frangat? Quidve dicendum de famulis menſæ inſervientibus, lectoribus, & iis qui pyra, poma, & uvas comedunt ad ſedandam ſitim?* Reſp. Qui ſurgit e menſa animo redeundi, & refectionem continuandi, ieiunium non frangit, ſi, peracto negotio, refectionem reſumat: quia moraliter unica refectio reputatur. Quodnam ſpatium interfluere debeat inter has duas comeſtionis partes, non una eſt ſententia. Sanchez in *ſelect. diſp.* 111. *num.* 4. duas horas admittit. Sed hoc ſpatium, tamquam nimis longum, communiter reprobatur. Dimidiæ horæ intervallum aſſignant congruentius, & communius alii. Ut mihi videtur, id arbitrio prudentum relinquendum eſt. Nam maior, vel minor neceſſitas tractandi aliquod non levis momenti negotium, ſicut poteſt a ieiunio excuſare, ſic longiorem, vel breviorem comeſtionis interruptionem permittere valet. Qui vero ſurgit e menſa animo non reſumendi refectionem, ieiunium frangit, ſi, peracto negotio, iterum comedat: quia non amplius cenſetur unica comeſtio. Qui credit prandium finitum, involvitque mappulam, & alio novo ferculo producto comedit, non violat ieiunium: quia ad veram unicæ comeſtionis interruptionem requiritur phyſica ceſſatio a prandio, ſeu cœna; nec ſufficit ſola intentio. Qui tandem e menſa ſurgit ob imminens aliquod negotium, nulla intentione præmiſſa de reſumenda, & continuanda, expedito negotio, refectione, eo quod ad id non advertit animum, ſi multum temporis non interfluxerit, videtur poſſe reſumere refectionem; ſecus qui deliberato animo non reſumendi refectionem e menſa abſcedit: quoniam tunc & phyſica interruptio, & intentio concurrunt ſimul. Hæc omnia tamen iudicio prudentis viri relinquenda ſunt: quia tales circumſtantiæ occurrere poſſunt, ut varias exigant reſolutiones. Qui menſis inſerviunt, ſive ſint Religioſi, ſive famuli, ratione iſtius ſervitutis nequeunt quidquam cibi ante prandium capere; quidquid in oppoſitum alii aſſerant: quoniam eiuſmodi officium non videtur ſuapte natura ſufficiens ratio interrumpendi refectionem. Si vero aliqui peculiari ſtomachi debilitate laborarent, atque notabile detrimentum ex prandii dilatione ſubirent; tunc aliquid cibi ſumere poſſent, vel prandium anticipare. Qui poma, pyra, uvas, ſimileſque fructus, etiam ad extinguendam ſitim, comedunt, ieiunium frangunt: quia eiuſmodi fructus ſunt verus cibus, & ad nutriendum ſunt ordinati; quidquid in contrarium aſſerat Paſqualigus *deciſ.* CCXXXVI. Sola materiæ parvitas excuſare poſſet, vel manifeſta neceſſitas, quæ legem non habet. Hæc eſt communior Theologorum ſententia, quam docet S. Antoninus II. Part. tit. VI. cap. 11. §. 9. *Bina comeſtio frangit ieiunium, eorum ſcili-*

cet

Digitized by Google

cet quæ communiter ſolent ſumi in cibum; *ubi etiam fructus, ceraſa, pira, & nuces computantur: quia in loco refectionis aſſumuntur, ut in prandio, & in cœna: & herbæ etiam, quia ſancti Patres herbis veſcebantur*. Coquus tamen prægustare licite valet cibos, dummodo id non fiat in fraudem ieiunii.

CAPUT XIII.

Reſolvuntur tres aliæ quæſtiunculæ ſuper iis quæ unicæ comeſtioni adverſantur.

I. QUæſt. I. *An qui in die ieiunii quidquam modicum cibi ſæpius comedit, ſi notabilem quantitatem tandem comederit, ieiunium frangat?* Reſp. Communis Doctorum ſententia docet, hunc peccare mortaliter contra præceptum de obſervando ieiunio. Et ita declaravit Alexander VII. qui hanc propoſitionem damnavit. *In die ieiunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium*. Ratio evidens eſt: quia æque opponitur legi materia notabilis prohibita, ſive ſimul, ſive diviſim ponatur.

II. Quæſt. II. *An invitatus ab amico in die ieiunii, ut potum, vel aliquid cibi capiat, poſſit, ne inurbanus videatur, illud ſumere?* Reſp. Auctores non ſatis clare reſpondent huic quæſito. Nam alii, nulla facta diſtinctione, aiunt, hunc peccare mortaliter; alii venialiter; & alii nullo modo peccare reſpondent. Dico primum. Qui invitatus ab amico comedit, ne inurbanus appareat; dubio procul agit contra præceptum ieiunii, quod unicam permittit comeſtionem: a quo præcepto officium urbanitatis, & amicitiæ non excuſat. Lex enim amicitiæ ſubiecta eſſe debet legi Dei, & Eccleſiæ: nec urbanitas erga amicum iniuriam præcepto eccleſiaſtico inferre debet. Hinc proverbii loco dici ſolet: *Amicus uſque ad aras*. Dico ſecundum. Si invitatus comedat quantitatem notabilem, peccat mortaliter: ſi quid modicum manducet, peccat venialiter. Hæc comperta ſuapte natura ſunt.

III. Quæſt. III. *An ſine fractione ieiunii aliquid cibi ſumere liceat toties quoties libuerit, ne potus noceat?* Reſp. Diana coordinatus *Tom. IV. reſol. 98.* affirmativam opinionem defendit. *Et hoc eſt*, inquit, *intelligendum toties quoties libuerit*; *dummodo id non faciat in fraudem ieiunii*, *ſed ne potus noceat*. Huic ſententiæ accedunt plures alii, Caramuel in *Theol. Reg. num. 916.* Leander *tract. v. diſp. v. quæſt. x* Viguerius de *Inſt. Theol. cap. VII. de temp. §. 3.* Cardinalis Cozza *Tom. de ieiun. part. III. art. 1. dub. 3.* ubi auctoritatem affert D. Thomæ deſumptam ex *IV. Sent. diſt. XV. art. 4.* in confirmationem ſuæ ſententiæ: cum tamen ne verbum quidem proferat Angelicus quod favere poſſit præfatæ opinioni, quæ ſane nimis laxa nobis

bis videtur. Quare contrariam ſententiam, tamquam unice veram, ſuſtineo, quam defendunt Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 6. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. *§.* 2. *num.* 68. & laudant Sanchez, Abulenſem, Villalobos, Bonacinam, Layman. Claritatis tamen gratia diſtinctio præmittenda eſt. Si quis, non aſſuetus vino potando, ardenti ſiti exæſtuans, quid parum cibi caperet pro una vice ad evitandum potus nocumentum; forte excuſari poſſet. Ceterum quod hoc licitum ſit toties quoties cuique libuerit, nos, tamquam evidenter falſum, reprobamus. Et, antequam ſententiam noſtram ſuadeamus, lubet indicare cibi quantitatem, quam cum potu ſumendam permittunt adverſarii. Diana docet, poſſe ſumi *quinque* vel ſex amygdalas ſaccharo conditas, vel quid ſimile. Leander concedit quantitatem cibi infra dimidiam unciam, ſive cibus iſte panis ſit, ſive fructus, aut quid huiuſmodi. Paſqualigus permittit aliquid infra unciam, dummodo non ſit chocolates, cuius dimidia uncia vel ſemel ſumpta ieiunium per ipſum frangit. Quamcumque harum opinionum ſeligas, ſi ſæpius potaveris, quantitatem cibi notabilem, & gravem tandem te ſumpſiſſe compertum eſt. Porro, ut vidimus, Alexander VII. damnavit propoſitionem quæ aſſerebat, poſſe quemquam ſæpius quid comedere, etſi notabilem quantitatem in fine comederit. Porro qui ſæpius bibit, & toties comedit, vel ſex amygdalas ſaccharo conditas, vel infra unciam, aut dimidiam unciam, frequenter quid modicum comedit, & in fine potationum, & comeſtionum notabilem quantitatem evincitur comediſſe. Ergo iuxta doctrinam Eccleſiæ ieiunium frangit. Et ſane inter propoſitionem damnatam & iſtam aliud diſcrimen ego non video, niſi quod propoſitio damnata admittebat plures parvas comeſtiunculas; opinio vero quam impugno, ultra ſimul admittit plurimas potationes. Igitur, ſi vera eſſet hæc ſententia, inſignes potatores feliciores ceteris forent. Quoniam illi poſſent toties quoties bibunt, quidquam cibi capere; & cum frequenter bibant, frequenter etiam refici poſſent. Quæ omnia & intentioni Eccleſiæ, & ipſi naturali rationi contraria ſunt. Nec alicuius momenti eſt limitatio adiecta, quod ſcilicet iſtæ comeſtiones non fiant in fraudem ieiunii. Nam hic eſt merus verborum luſus. Siquidem, ut ſæpius ex D. Thoma notavimus, intentio ieiunantis naturam ieiunii non variat. Quoties cibus in notabili quantitate ſumitur, fraus ieiunio fit, quæcumque ſit intentio ieiunantis. Concedit D. Thomas, electuaria ſumi poſſe per modum medicinæ, *niſi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate ſumat per modum cibi*: 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 6. art. 3. Ex quantitate Angelicus arguit fraudem. Quoties ergo in repetitis potationibus ſumitur, licet diviſim, quantitas notabilis cibi, toties iniuria ieiunio irrogatur.

IV. Obiicies. Eccleſia cuique permittit in ieiuniis bibere, quoties ipſi libet. Ergo permittit etiam omne id quod neceſſarium eſt, ne potus noceat. Porro cibi aliquid ſumere neceſſarium eſt, ne potus noceat. Licitum ergo erit cuique toties ci-

Digitized by Google

bum ſumere quoties bibit ; dummodo id non faciat in fraudem ieiunii. Reſp. Concedo (quamvis non pauci, & graves Auctores hoc negent) Eccleſiam permittere extra refectionem plures vini potus ad extinguendam ſitim ; inficior tamen ipſam permittere plures comeſtiones; ſed unicam tantum concedere aio. Qui autem ſæpius parum cibi capit, non ſemel, ſed pluries comedit. Igitur adverſus legem ieiunii peccat.

CAPUT XIV.

De collatione ſerotina : de illius quantitate, & qualitate : nonnullæ aliæ quæſtiunculæ ſuper hac materia reſolvuntur.

I. CApite ſeptimo originem, & progreſſum refectiunculæ ſerotinæ explicuimus; illamque non adverſari integritati ieiunii demonſtratum eſt. Dictum fuit ibi, originem hanc collationem duxiſſe a Monachis, qui in ieiuniis, a ſua tantum regula indictis, ante, vel poſt colloquia ſua ſpiritualia, quæ collationes dicebantur, aquam bibebant. Hæc bibendi facultas etiam ad ieiunia quadrageſimalia extenſa fuit, cum Religioſi ob laboris defatigationem potu indigebant. Uſquedum ieiunium ſolvi conſuevit vel veſpere, vel hora nona, ſeu tertia poſtmeridiana, collatio ſerotina nihil præter potum aquæ, vel vini admittebat. Aliquando etiam electuaria, ut tempore divi Thomæ Aquinatis, ſumebantur per modum medicinæ. Retroacta cœna, ſeu prandio ad horam ſextam, iam tum collatio aliquid cibi admittere cœpit. De hac itaque ſerotina collatione ſequentes quæſtiunculæ reſolvuntur.

II. Quæſt. I. *Quantum cibi ſumi poſſit in collatione ſerotina?* Reſp. Antequam quid ipſe ſentiam profero, breviſſime ob oculos ponam initium, & progreſſum quantitatis cibi qui ſumi conſuevit in hac collatione. Ut dixi, ſub initium, & uſque ad quartum decimum Eccleſiæ ſæculum collatio nihil præter potum admittebat. Sæculo decimo quarto labente, & quintodecimo ineunte, præter potum, fructus, & herbas ſumere in ſerotina refectiuncula Chriſtiani cœperunt. Tempore ſancti Antonini licitum ſolummodo erat ſumere vel herbas, vel fructus, vel electuaria, ne potus noceret. Uſus ſumendi panem nondum erat invectus. En verba ſancti Archiepiſcopi II. Part. tit. VI. cap. II. §. 9. *Cum communis uſus Chriſtianorum ſit facere collationem de ſero, aliquid parum ſumere cum potu, ſine alia conſideratione, quamvis non intendant ſumere per modum medicinæ, ne ſcilicet vinum noceat, ſed innitantur conſuetudini, quæ ea ratione videtur introducta; pie eſt interpretandum factum eorum, & excuſandum: & hoc, niſi ſumerent in quantitate no-*

tabili, vel de pluribus generibus fructuum, vel ſtudioſe ad nutriendum. Et quia panis eſt principalis cibus ordinatus ad nutriendum; minus congruum videtur panem ſumere. Sumere autem bucellam panis frangit ieiunium. Neque hoc tempore conſuetudo obtinebat ſumendi collationem ad nutriendum. Quoniam D. Antoninus ait excuſandos eſſe, & pie interpretandum factum illorum qui non intendebant ſumere collationem per modum medicinæ. Sola bucella panis ieiunium frangebat. Similia habet Sylveſter, qui labente ſæculo quintodecimo, & ſextodecimo ineunte florebat, verb. *Ieiun.* num. 10. *De collatione ſerotina generaliter ſciendum eſt, quod quædam ſunt quæ nec ſumuntur, nec ſunt ordinata principaliter ad nutriendum, licet nutriant aliqualiter; ut potus etiam vini, & electuaria, & aliæ medicinæ .... Quædam vero ſunt ordinata principaliter ad nutriendum, quæ in cibum ſumi conſueverunt; ut panis, & ſecundum Petrum de Palude fructus, & herbæ, & principaliter panis. De primis ergo, & de ſecundis, excepto pane, non eſt dubium quod licite de ſero ſumuntur cauſa medicinæ, ideſt ne noceat potus; licet non per modum cibi. Sed, ſi non ſumantur per modum medicinæ, ſecundum Archidiaconum, pie interpretandum eſt ratione conſuetudinis, quæ ea de cauſa videtur introducta; quod etiam ſentit Panormitanus ... Unde, quia circa hoc legem aliam præter conſuetudinem non habemus, dico, quod, ubi eſt conſuetudo, licite ſumitur panis, ſi aliud non habetur, vel, ſi habetur, illud ſtomacho nocet, vel non reparat ſufficienter contra potum. Immo etiam licet, ubi eſt conſuetudo de non ſumendo pane, quia in foro conſcientiæ conſuetudo non obligat, niſi inquantum legiſlator intendit, ut patet ex dictis ſupra, Conſuetudo §. 13. qui non intendit ut ſine pane bibas, quando ſine pane potus, quo indiges, obeſſet; ut quia fructus non habes, vel, ſi habes, non habes ſtomachum fructibus opportunum.* Similia ſcribit Caietanus 2. 2. quæſt. CXLVII. *art. 2. Licet priſcis temporibus non fuerit forte licitum ſumere fructus, herbas, aut bucellam panis, ne potus lavet ſtomachum ... hodie tamen omnia licita ſunt per modum medicinæ in veſpertino potu, fraude ceſſante .... Deferendum tamen eſt conſuetudini loci, ſcilicet, ubi non conſuevit ſumi panis, non ſumatur ſine rationabili cauſa, puta quia fructus nocerent, aut non haberentur, aut non poſſent conteri dentibus.* Temporis tractu tandem obtinuit conſuetudo ſumendi panem. Nam, ut ſupra dictum eſt, D. Carolus Borromæus conceſſit pro hac ſerotina refectiuncula unciam & dimidiam panis, ac vini poculum.

III. Quantitatem panis, quam pro ſerotina cœnula definivit S. Carolus labente ſæculo ſextodecimo, ineunte ſæculo decimoſeptimo, augere cœperunt chriſtianæ Ethicæ tractatores. Iam enim hoc tempore collatio ſumebatur, non ſolum per modum medicinæ, ſed abſolute per modum cibi, ut teſtatur Azorius *Tom. I. Lib. VII. cap.* VIII. *quæſt.* IV. ubi inquit: *Fateor quidem illam primo cœpiſſe cauſa ſomni accipiendi, & idcirco etiam indigentiæ. More tamen, & conſuetudine*

tudine introductum eſt ut ea abſolute, & ſimpliciter utamur. Idipſum confirmat Leſſius Lib. IV. cap. 11. dub. 2. num. 11. *Item ſumentes collatiunculam veſpertinam, etiamſi id faciant non ſolum ne potus noceat, ut olim; ſed etiam alendi cauſa, & abſque potu: quia conſuetudo permittit*. Hoc gradu facto, videlicet de collatione per modum medicinæ, ad collationem per modum cibi, confeſtim quantitas cibi aucta fuit. Sub initium bolus panis; deinde uncia cum dimidia, ut ex divo Carolo retulimus; tandem, ſæculo decimoſeptimo ineunte, in controverſiam penes Theologos hæc quantitas venit; & ex eorum contentionibus augmentum reportavit. Graſſius *I. Part. deciſ. Lib. II. cap.* XXXVII. *num.* 29. cum aliis tres uncias cibi permittit, & nil amplius. Azorius *Lib. VII. cap.* VIII. *quæſt.* VIII. permittit tres, vel quatuor uncias panis. Lezana cum aliis *in Summ. qq. Reg. verb. Ieiunium* quatuor uncias cibi concedit. Molfeſius *in Summ. tract.* X. *cap.* III. cum aliis quantitatem cibi ſerotini extendit ad ſex uncias. Leander *tract.* V. *diſp.* IV. *quæſt.* XIII. Caſtropalaus *Tom. VII. tract.* I. *diſp.* III. *§.* 2. *num.* 7. Diana *tract.* VI. *reſol.* 116. amplificant ad octo uncias. Addit Leander *quæſt.* XIV. eum qui definitam octo unciarum quantitatem per unam, vel alteram unciam excederet, non fracturum ieiunium. Inſuper iuxta ipſum Leandrum quiſque poteſt has decem panis uncias aquæ immiſcere, & conficere per coctionem papparium: quod ſane erit circiter viginti & amplius unciarum, ſufficiens ad opplendum quemlibet mediocrem ventriculum, prandio antecedente præoccupatum. Reginaldus *Tom. I. Lib. IV. cap.* XIV. *dub.* 10. *num.* 185. Filliucius *Tom. II. tract.* XXVII. *part.* II. *cap.* III. *quæſt.* VII. *num.* 33. cum aliis aſſignant quartam partem ordinariæ cœnæ, quam ieiunantes ſumere ſolent tempore quo non ieiunant. Alii prudentum iudicio totum relinquunt. P. Magiſter Milante *in exercit* XXIII. in propoſit. Alexandri VII. de collatione ſerotina hæc ſcribit: *Ut cœnula iſta innoxia ſit, debet eſſe modica, ita nimirum ut octo unciarum pondus ordinarie haud excedat quantitas illa quæ pro refectione ſumitur: ita quidem univerſim viri qua pietate, qua doctrina pollentes docent, & ad praxim reducunt. Dixi ordinarie, quia iuſta ex cauſa poterit eſſe maioris ponderis, quando videlicet aliquis maiori eget nutrimento*. Hæc domeſtici Scriptoris opinio laxiſſima eſt, & improbanda.

IV. Paucis perſtrinxi quæ tum antiqui, tum recentes Auctores hac de re ſcripſerunt. Quid porro mihi dicendum eſt in tanta opinionum varietate, ubi principia certa deſiderantur, & ubi quiſque pro arbitrio menſuras auget, minuitque? Ut confuſio tollatur, & aliquam regulam quæ tum a laxitate, tum a ſeveritate, quoad fieri poteſt, declinet, aſſignemus, ea primum omnium indicabimus quæ vel ab ipſis benignioribus Caſuiſtis reſpuuntur. Diana, Salmanticenſes, & alii in magno numero improbant, tamquam laxam & improbabilem, opinionem

R ij quæ

Digitized by Google

quæ pro collatione ſerotina quartam cœnæ partem aſſignat. Nec aliquid probabilitatis eidem conciliat lepida & falſa reſponſio P. Patritii Sporer, qui *in append. ad 3. præcep. Decal. ſect. 2. num. 26.* hæc reponit in defenſionem laxæ opinionis, quam ſibi adoptat. *Mittant illi Germanis tempore ieiunii ſuum calidum cælum, cibum, & vina pinguia, fructus, & confecta &c. & ieiunabimus cum ipſis*. Communior opinio inter recentes Caſuiſtas illa eſt quæ octo uncias panis, ſeu cibi permittit. Et hæc eſt etiam poſt illam quæ permittit quartam cœnæ partem, omnibus laxior. Secundo animadverto, conſuetudinem legitime introductam poſſe variare ieiunii formam. Tertio admitto, conſuetudinem invectam eſſe ſumendi collationem ſerotinam. Concedam, hanc collationem, nedum toleratam, ſed & approbatam eſſe. Tandem conſentio, conſuetudinem introductam eſſe, ut in hac collatione aliquid cibi, præter potum, nempe panis, & fructuum, ſeu herbarum, ſumatur. Verum nulla conſuetudine approbata eſt quantitas illa octo unciarum, quam pro arbitrio aſſignant plures recentes Theologi. Quin eam quantitatem veræ Eccleſiæ conſuetudini adverſari facile colligitur. Quandoquidem ſancti Epiſcopi, ut Antoninus, Caietanus, Carolus Borromæus, aliique, qui præfatæ collationis origini, & introductioni propinquiores fuerunt, oppoſitum apertiſſime docent; & duas uncias panis non permittunt. Theologi, qui his Sanctis vel ſuppares, vel viciniores fuerunt; tres, vel ad ſummum quatuor uncias panis concedunt.

V. Ut itaque, ſicut præmiſi, media ego via incedam, opiniones, quæ ſive quartam cœnæ partem, ſive octo uncias permittunt, reiicio, tamquam laxas, &, ut ego arbitror, a vera conſuetudine Eccleſiæ exorbitantes. Paullulum quoque, quin pluſquam paullulum, ab antiqua recedo ſeveritate; & ſanctis viris mediæ, ut ita dicam, iſtius conſuetudinis æratis, gravioribuſque Theologis accedere volo. Duas uncias panis, & unam unciam aut amygdalarum, aut ficuum, aut nucum, detractis corticibus, permitterem in collatione ſerotina. Hæc ſententia minus recedit a Sanctorum doctrina, & praxi: ſimul etiam humanitati indulget; ſed indulgentia ita moderata eſt, ut a laxitate recedat. Non negaverim tamen, iuxta varias corporum conſtitutiones poſſe aliquantulum præfatam regulam relaxari. Quamobrem diu in ea fui opinione, nihil videlicet ſtatuendum eſſe ſuper iſtins collationis quantitate. Sed experientia didici, nimium periculo laxitatum, & etiam ſcrupulorum obnoxiam eſſe ſententiam illam quæ nihil ſtatuens, omnia aliorum iudicio relinquit. Ex ea quoque magna confuſio in ieiunii obſervantia ſequitur. Nam Chriſtiani, vel quia audiunt, vel quia legunt Caſuiſtas, alios permittentes octo quantitatis uncias, alios concedentes quartam ſolitæ cœnæ partem, ex his opinionibus unam tertiam efformant, & quiſque fere eorum Theologus factus, peculiarem iſtius collatiunculæ menſuram ſibi præfinit;

finit; atque eo devenerunt, ut aſſerant ſatis eſſe ad ieiunium, ſi a cœnula ſerotina cum fame aſſurgant. His omnibus ſerio reputatis, congruum exiſtimavi regulam aſſignare, quæ & conſuetudinis non adeo vetuſtæ, & Sanctorum praxis imaginem quamdam referat, & laxitatibus aditum præcludat. Præfata regula communiter inſervire omnibus poteſt; licet aliqui ratione peculiaris conſtitutionis, poſſint aliquantulum ab ea recedere; ſed, ne multum aberrent, ad eam reſpicere debent. Et quamvis plures Caſuiſtæ nimis rigidam eam appellent, non ob id minus vera eſt; immo character fere veritatis eius ob temporum calamitatem eſt, quod pauci illam amplectantur, pleriſque laxas opiniones ſuſcipientibus. Quapropter iure aſſerere poteſt Diana coordinatus Tom. IV. tract. VI. deciſ. 116. *Cum quantitatem unciarum octo in dicta collatione licitam eſſe ſtatutum ſit; in hoc puncto non multos habebimus adverſarios: quia talem quantitatem ab omnibus cum acclamatione, & brachiis expanſis ſuſtinendam eſſe video.* Dicat, quæſo, Diana, qui ſint ii omnes qui cum acclamatione, brachiiſque expanſis hanc ſuam ſuſtineant opinionem? Nam omnes tum Patres, tum Theologi, quin ex Scriptorum relatione omnes Chriſtiani qui vixerunt uſque ad ſæculum decimumſeptimum hanc opinionem verbo & opere improbarunt. Qui ſunt ergo iſti omnes? Num graviores Theologi, & ſanctiores viri? Minime gentium. Et tamen idem Diana in laudata deciſione inquit, conſuetudinem illam *quæ viget apud parum timoratos*, non eſſe regulam ieiunii, ſed illam *quæ viget apud viros bonos, & conſcientiæ timoratos*. Conſuetudo ergo Eccleſiæ favet ſerotinæ collationi, Conſuetudo Eccleſiæ certiſſime favet parvæ quantitati cibi ſumendi. Soli recentes Caſuiſtæ propugnant, ut licitam, magnam octo unciarum quantitatem. Hanc opinionem brachiis expanſis, & ore aperto, & palato acclamante, ſuſcipiunt Chriſtiani minus pii, & indocti. Ceterum & omnes, non ſolum antiqui, ſed ætati noſtræ viciniores Sancti, ac Theologi, inſuper & viventes tum pii Chriſtiani, tum docti Theologi præfatam opinionem improbant, & ſententiam quam nos docemus, confirmant. Neque ob id rigidi vel ſeveri haberi volumus. Quin in omnibus iis quæ poſitivi iuris ſunt, in benigniorem partem propendimus; ſemper tamen a laxitate declinare ſtudemus. Sed de hoc iterum infra ſermo recurret.

VI. Quæſt. II. *An præfata cibi quantitas collationis ſerotinæ augeri licite poſſit in pervigiliis Nativitatis, & Reſurrectionis dominicæ?* Reſp. Communis opinio iuniorum allegat conſuetudinem obtinere ſumendi in pervigilio Nativitatis Domini collationem quantitatis duplo maioris quam aliis diebus. Ubi hæc conſuetudo viget, dubio procul licita erit eiuſmodi maior quantitas. Sed difficultas eſt, num revera hæc conſuetudo vigeat: de qua re penes ipſos Auctores fides ſit. Venetiis, ubi ego ſcribo, conſuetudo iſthæc, quantum mihi ſcire licuit, cer-

Digitized by Google

te non obtinet. Sed ut ut ſit, res tanti momenti non eſt, ut maiori egeat diſcuſſione. De eo acrius diſputant, num ſcilicet quando pervigilium Nativitatis incidit in diem ſabbati, & feſtum Nativitatis in diem lunæ, liceat maiore uti collatione. Et in hoc ſecundo puncto non ita ac in primo conveniunt. At ego, ſicuti primo, ita huic ſecundo reſpondeo, ſtandum eſſe conſuetudini, quæ, ubi viget, licitam reddere poteſt in pervigiliis & Nativitatis, & Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis S. Ioannis Baptiſtæ maiorem collationem. Sed, ut dixi, me fugit hanc vigere conſuetudinem in his noſtris regionibus. Et certe in pervigilio S. Ioannis Baptiſtæ, Paſchatis, & Pentecoſtes non obtinet. Inquirunt etiam, num conſuetudo iſthæc faveat Regularibus. Sed ego non video cur ſuffragari non debeat, ubi revera viget, Regularibus, quemadmodum laicis; dummodo illorum Regula expreſſe id non prohibeat; ſicut conſuetudo comedendi lacticinia in Quadrageſima in iis regionibus ubi obtinet, tum laicis, tum Religioſis favet; ſi ea uti velint. Alicubi uſus viget differendi in præfatis pervigiliis cœnam ad veſperum, & ſumendi mane collationem: quo in caſu communius negant, licitum eſſe excedere conſuetam quantitatem dictæ refectiunculæ, quam ſero ſumptam abundantiorem eſſe permittunt ob laborem nocturnarum vigiliarum: & hæc ratio evaneſcit, cum mane, commutato prandio in cœnam, collatio ſumitur. Denique inquirunt, an poſſet uti privilegio iſtius conſuetudinis ſumendi maiorem collationem ille qui voviſſet ieiunare die veneris, vel altero die, ſi in hos dies pervigilium Nativitatis incideret? Affirmant alii; & alii negant. Sed hæc nimis levia mihi videntur. Quare breviter dico: qui vovit ieiunium, vel qui pro lucrando iubilæo ieiunant, non poſſunt uti dicta maiore collatione: quia illa maior collatio, non cœnula, ſed cœna eſt, nec vero ieiunio conveniens. Quapropter ubi viget hæc conſuetudo, illo die revera fideles non ieiunant, quia utuntur privilegio conſuetudinis, quæ ieiunio pro tali die derogavit. Voto autem obſtricti, & lucrantes iubilæum ad verum ieiunium tenentur: idcirco maiorem illam collationem ſumere nequeunt. Ex quibus colliges, quam rectius ſcripſiſſent laudati Auctores, ſi quæſiſſent, num conſuetudo non ieiunandi in pervigilio Nativitatis Domini, aliarumque ſolemnitatum alicubi invaluerit: quam conſuetudinem forte nullibi reperiiſſent.

VII. Quæſt. III. *An, ſi quis excederet in quantitate præfinita pro collatione ſerotina, frangeret ieiunium?* Reſp. Diana coordinatus *Tom. IV. tract.* VI. *reſolut.* 123. Leander *tract.* V. *diſput.* IV. *quæſt.* XIV. docent, exceſſum duarum unciarum ſupra octo uncias, quas pro collatione ſerotina aſſignant, non frangere ieiunium: quia, dicunt, exceſſus iſte loco parvitatis materiæ habendus eſt. Sed alii communiter aſſerunt, quod duæ unciæ excedant limites parvitatis materiæ. Verum ſicuti ego ſupra reprobavi quantitatem octo unciarum; ita nunc reiicio hunc exceſ-

ſum:

ſum : & id quod iam dixi , repeto , nempe non poſſe aſſignari quantitatem mathematicam iſtius collationis ; ſed ſolum regulam quamdam , quæ neque a veteri conſuetudine nimium recedat , neque nimium in recentiorum temporum laxitatem declinet : quam regulam ſupra definivimus ; ibique addidimus pro varia corporum conſtitutione poſſe paullulum quantitatem illam vel minui , vel augeri. Quandoquidem ratio introducendi eiuſmodi collationem fuit ſolamen naturæ , ut nempe homines poſſent ſomnum capere , atque corporalia munia obire. Quare ea cibi quantitate quæ ſatis ſit ad exercendas, licet cum incommodo, & moleſtia , quæ a ieiunio inſeparabilis eſſe debet , naturæ functiones; ea, inquam , quiſque contentus eſſe debet. Et licet ſub initium quadrageſimalis ieiunii ob ſtomachi vacuitatem difficile ſomnum caperet ; non propterea illico collationem augere fas eſſet ; ſed oporteret ut conaretur difficultatem illam exercitio , & aſſuefactione devincere . Quod ſi poſt congruam experientiam victoria non reportaretur , ſed corpus notabiliter debilitate langueret ; naturæ ſuccurrendum foret , & iuxta prudentis , & evangelicæ benignitatis leges quantitas cibi augenda .

VIII. Quæſt. IV. *An in collatione ſerotina non ſolum cibi quantitas , ſed etiam qualitas attendenda ſit ?* Reſp. Bonacina *diſp. ult. punct. 3. num. 3.* docet quantitatem , ſecus qualitatem , attendendam eſſe . *Obſerva tamen* , inquit, *in ſecunda refectiuncula non ita ſtricte prohiberi cibi qualitatem , ſicut interdicitur quantitas . Quamvis enim communiori uſu receptum ſit ut in ſecunda refectione ii ſumantur cibi quibus in die ieiunii veſcimur ante , vel poſt prandium , ut ſunt uvæ , nuces , poma , vel alia ex ſaccharo , aut melle confecta ; licite tamen poteſt ſumi iuſculum ; modo non ſit ex coctis cibis , qui tempore ieiunii interdicuntur . Poteſt etiam comedi piſciculus , aut exigua pars piſcis maioris : immo multæ aliæ res in eadem refectiuncula deguſtari poſſunt* . Sententiæ Bonacinæ accedunt alii pauci Caſuiſtæ . Contraria autem ſententia communiſſima eſt , nempe cibos quos conſuetudo in hac collatione concedit, eſſe determinatos, minime vero cuiuſque generis . Alioquin , ſi licitum foret ſumere indiſcriminatim præfatam collationem ex quovis cibo quadrageſimali ; liceret etiam ſumere ex cibis compoſitis , & concretis ex piſcibus recentibus tritis , & ex aromatibus , & uti lacte amygdalarum , aliove iuſculo , ſtillato ex acipenſere , tructa , aliiſque optimis piſcibus : quorum , ſimiliumque ciborum unica uncia plus nutrit , & ſatiat quam multæ unciæ herbarum , & fructuum . Porro quis octo uncias ſumi poſſe conceſſerit , immo decem , ex dictis cibis , quin ieiunium frangatur ? Nemo ſane , niſi chriſtianæ legis penitus inſcius . Exploſa itaque hac ſententia , tamquam manifeſte laxa , reſolvendum ſupereſt , quinam cibi permiſſi ſint , & quinam vetiti in præfata cœnula.

IX. Quæſt. V. *Quinam cibi ſunt in collatione ſerotina permiſſi?* Reſp. Iuxta communiſſimam, veramque ſententiam ſunt panis, poma, pyra, ficus, uvæ, ſive recentes, ſive ſiccæ, oleæ, nuces, herbæ crudæ, dulciaria, ſeu bellaria, idque genus ſimilia. Quoniam huiuſmodi cibi eorum non ſunt qui naturam ſuſtentent; & conſuetudo, quæ collationem introduxit, hos quoque cibos ſumendos invexit.

X. Quæſt. VI. *An licitum ſit in collatione ſerotina ſumere cibum compoſitum ex aſſignatis, nempe pane, herbis, ſale, & oleo conditum?* Reſp. Leander *tract.* v. *diſput.* IV. *quæſt.* XXXV. & XXXVIII. cum aliis Caſuiſtis affirmativam defendit ſententiam Quia, inquit, panis immixtus aquæ, aliiſque eſurialibus, non plus nutrit, quando quantitas non augetur, ac nutriat, ſi ſolidus, & ſeparatim ſumatur. Hæc ſiquidem mixtio nihil ſubſtantiæ addit, nihilque novi nutrimenti. Cur ergo licitum non erit, ſervata quantitate, eiuſmodi cibos eſuriales miſcere ſimul, & per coctionem componere? Hæc omnia mera inventa ſunt, ad extenuandam ieiunii formam, & ventriculo indulgendum excogitata. Quare hanc opinionem, ut evidenter falſam, reiicimus. Et, ut omnibus illius falſitas comperta fiat, primum omnium explodendum eſt illud quod, tamquam certum, obtrudunt, videlicet aquam non nutrire. Quandoquidem, licet aqua a natura inſtituta ſit ad ſitim extinguendam, & cibum alterandum, ac per corpus diſtribuendum; attamen certum eſt, atque extra omnem diſputationem, aquam aliquo modo etiam ſuapte natura nutrire; ut experientia conſtat, omneſque Medici fatentur. Quid poſtea dicendum de aqua, cibis nutrientibus immixta? Quis negare auſus fuerit, cibum concretum ex pane, aqua, ſale, & oleo, & per coctionem compoſitum, non magis nutrire, & corroborare, quam ſi panis ſolus, ſeparatuſque comedatur? Sed, quia effectus iſtius maioris nutritionis, vel ſubſtantiæ nobis ignoti ſunt, his relictis, lubet rationem evidentem promere, nulli cavillo obnoxiam. In cibo collationis ſerotinæ id maxime conſiderandum eſt, quod famem expellit, & quod omne ieiunii incommodum aufert. Porro cibus compoſitus modo dicto, ſive parum, ſive multum nutriat, famem certe repellit, nullam quaſi ex ieiunio moleſtiam experiri ſinit, nullumque pati incommodum. Ieiunium eo ſpectat, ut moderata fame carnem, & concupiſcentiam ſubigat. Accipiamus nunc quinque, vel ſex uncias panis, & duas uncias aliarum rerum eſurialium; deinde aquam proportionatam ad componendum cibum: quæ aqua, ut proportionata ſit ad congruam coctionem, erit viginti circiter unciarum. Compoſitum itaque conſtabit viginti octo unciis. Deme, ſi vis, id quod coctio conſumit. Semper remanebunt circiter viginti unciæ papparii, ſeu illius cibi compoſiti. Nonne cibus iſte magis implet ventriculum quam ſi partes ſeparatæ ſumerentur? Nonne hominem ſemi eſurientem, nedum optime pranſum, quaſi ſaturare valeret? Admiſſo eiuſmodi

cibo

Digitized by Google

cibo in collatione ſerotina, ubi, quæſo, ieiunii vel leve incommodum? ubi vel tenuis moleſtia? En, chriſtiane lector, noſtrorum temporum ieiunium, quod quidam Caſuiſtæ permittunt. Summo mane ſex uncias cibi compoſiti ex chocolate, & ex aqua, ſub meridiem optimum prandium, & ſero refectionem cibi compoſiti ponderis viginti unciarum concedunt. Sed hoc ieiunii ſimulacrum reprobant communiter Theologi, reprobat conſuetudo Eccleſiæ. Quid de herbis dicendum? Crudæ communiter ſumi debent; non tamen negaverim aliquando, peculiari ratione urgente, coctas ſumi poſſe. Negaveris ne panem vino immergi poſſe? Minime; dummodo moderate hoc fiat. Ceterum, ſi compoſitum ex pane, & vino conficeres, ſicuti dictum eſt de compoſito ex aqua, & ex pane; potiori iure ieiunium frangeres: quia valde magis vinum quam aqua nutrit. Verum, dum quis fruſtum panis vino madefactum ſumit, proprie non dicitur cibus compoſitus, ſolidus, & alterius generis; ſicuti eſt papparium coctum ad ignem ex aqua, pane, ſale, & oleo. Communis ſenſus hæc omnia diſtinguit. Extrema vitanda ſunt. Cicera quoque, fabas, lentes, oryzam, hordeum, & quæcumque legumina cocta, & condita excludimus a collatione ſerotina.

XI. Quæſt. VII. *An in collatione ſerotina licitum ſit ſumere piſciculos recentes parvos, aliquid butyri, caſei, & ovorum?* Reſp. Bonacina, ut iam indicavimus, adfirmantem opinionem defendit cum aliis paucis Caſuiſtis, quibus noviſſime accedit P. Sporer in *append. ad 3. præcep. Decal. ſect. 2. §. 3.* ubi quodammodo adverſus P. Laymanum, oppoſitum ſentientem, indignatur. His enim verbis animum ſuum admiratione defixum prodit. *Ego miror Patrem Paulum Layman, alias tam bonum Germanum, in hac ſola materia patriotis ſuis fuiſſe tam auſterum.* Hanc ſententiam non modo graviores Theologi, ſed & benigniores Caſuiſtæ improbant, tamquam laxam, & falſam. Et, quia res eſt non levis momenti, operæ pretium duxi in hoc Dianam ipſum imitari, qui non modo loca Auctorum allegat, ſed & verba tranſcribit. Quoties enim allegatur Caſuiſta aliquis ventri favens, illico fides adhibetur; ſed, ſi adverſus gulam citatur, non tam facile creditur. Referam primum omnium quæ ſcribit Diana coordinatus *Tom. IV. reſ. 116. num. 4. & ſeqq.* „ Aſſero in dicta collatione ſub onere peccati mortalis quantitatem licitam „ non poſſe ſummi in piſcibus, ovis, & aliis lacticiniis, ſeu cibis ſubſtantialibus, „ in cœna manducari ſolitis: & ratio eſt manifeſta: quia, ut dictum eſt, colla„ tio eſt licita propter conſuetudinem: ſed conſuetudo, quæ introduxit dictam „ collationem, non ſolum præſcripſit, & præſcribit quantitatem, ſed etiam quali„ tatem ciborum; numquam vero per conſuetudinem in collatione introducti ſunt „ cibi qui communiter ordinantur ad ſuſtentationem, & inter fercula apponun„ tur, ut piſces, ova, & legumina &c. ergo talia manducare illicitum, & pec„ catum erit. Verum, quia multi nolunt hanc veritatem intelligere, ponam per

„ ex.

„ extenſum verba Doctorum." Ex his quos ille recenſet, & ex recentioribus aliquos, ego quoque referam.

Azorius *Lib. VII. cap.* VIII. *quæſt.* VIII. „ In refectiuncula veſpertina ſolum edi „ poſſunt quæ ante, vel poſt prandium ſumi ſolent, quales ſunt fructus arbo„ rum, herbæ, & alii quidam fructus leviores ſumi ſoliti ea tantum ratione ne „ potus ſtomacho noceat; ut proinde ſit corruptela, ſi ii cibi ſumantur qui po„ tiſſimum ad nutriendum valent, qualia ſunt legumina, & piſces. " Retractat quæ docuerat *quæſt.* VII.

Reginaldus *Tom. I. Lib. IV. diſp.* XIV. *dub.* 20. *num.* 185. „ In collatione ſerotina „ ſolum edi poſſunt quæ ante, vel poſt prandium, aut cœnam alias ſumi ſolent, „ qualia ſunt electuaria, fructus arborum, puta ficus, uva, nuces, pyra, poma, „ herbæ &c. Si enim ſecus fiat, ideſt ſumantur alii cibi, & qui valent potiſſi„ mum ad nutriendum, ut ſunt piſces, & legumina, non erit refectiuncula, ſed „ ieiunium ſolvetur."

Filliucius *Tom. II. tract.* XXVII. *p.* 2. *dub.* 6. *num.* 30. „ Cibi qui communiter or„ dinantur ad ſuſtentandam naturam, & inter fercula apponuntur, videntur pro„ hibiti eſſe : tales ſunt piſces, ova, item iuſcula ex leguminibus, amygdalato, „ & huiuſmodi : hæc enim omnia prohibentur, quia non ſolent numerari inter „ cibos ad ientacula, ſed inter cibos ad alendam, & ſuſtentandam naturam."

Laymanus *Lib. IV. tract.* VIII. *cap.* 1. *num.* 9. „ Qualitatem cibi in collatione ſu„ mendi aiunt DD. communiter eſſe fructus, aut herbas, adiuncto etiam pane, „ vel piſciculo parvo, ſecundum Azorium; ſed ego puto eum loqui de piſciculo „ parvo, qui fumo ſiccatus, vel aceto maceratus ſit; qualis etiam inter leviores „ cibos numerari ſolet."

Stephanus Fagundez *de præcep. Eccleſ. tract.* IV. *Lib. I. cap.* IV. *num.* 18. „ Con„ ſuetudine ubique receptum eſt, ut in refectiuncula ſoli fructus cum modico „ panis capiantur; & hanc conſuetudinem excedere non eſt licitum. Et ſi aliqui „ non nihil piſcis adhibere ſoleant, id quidem per corruptelam faciunt, non per „ conſuetudinem legitimam : communis enim conſuetudo eſt, ut fructus modici, „ & modicum panis in collatione adhibeatur; non piſciculi parvi, vel tantillum „ magni piſcis : non enim quantitas materiæ, ſed materia prohibetur."

Sancius in *ſelect. diſp.* III. *num.* 8. „ Nec ex cibis ad cœnam aptis etiam in mi„ nori menſura poterit accipi refectio : obſtat enim conſuetudo ad id contra„ ria."

Ioſeph Angles de *ieiunio quæſt.* IX. *ar.* 2. *dub.* 4. „ In collatione ſerotina ne illa „ ſumantur quæ per ſe ad nutriendum ordinantur, quales cibi ſunt piſces, ova, „ &c. nam in his, quamquam ſimilis quantitas non violaret ieiunium, ratione „ tamen qualitatis violaret."

Vi-

Vivaldus in *candel. aur. part.ult.cap.* xi. *num.* 25. „ In refectiuncula concedi poteſt fruſtulum panis cum pyro, pomove, cum uva, vel paucis ficis, nucibus, „ vel his ſimilibus.“

Berardue in *Sum.cor.part.*1. *cap.* 1. *num.* 69. „ In collatione ſerotina concedi poſſunt aliqua electuaria, confectiones, vel panis dulciarius, fructus, & herbæ „ &c. quæ ad nutriendum principaliter ordinata non ſunt.“

Iacobus de Graffiis in *Decif.Part.I.Lib.II. cap.* xxxvii. *num.* 29. „ Collatio de ſero fieri poteſt vel ſumendo parum fructuum, vel ficuum, vel panis ſolius, vel „ utriuſque iuxta morem regionis.“

Antonius de Leteratis *in Sum.Part.II.cap.*xix.*num.* 4. „ Ieiunans in ſero diei non „ debet ſumere aliquod comeſtibile quod in prandio conſuetum eſt ſumere; ſed „ aliquid per modum medicinæ, ne potus illi noceat.“

Molfeſius in *Sum. Tom. I. tract.* x. *cap.* iii. *num.* 24. „ Nihil intereſt, ſi in pane „ vel fructibus fiat huiuſmodi collatio; quamvis decentius fiat in fructibus.“

Sylvius 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *ar.* 6. *quæſt.* 2. „ Piſces autem pro collatione comedere, ut ſalomonem, lurium, aſellum, & alios huiuſmodi, non credimus eſſe „ licitum.“

Leander *tract.* v. *diſp.* iv. *quæſt.* xli. „ Tamquam certum mihi reſpondeo, quod „ in collatione non liceat uti piſcibus recentibus. Primo quia conſuetudo omnium „ tam doctorum, quam vulgarium hominum uſque ad hæc noſtra tempora oppoſitum tenuit; ut conſtat: ergo illam excedere non erit licitum; ſicut non „ eſt licitum legem excedere, nam conſuetudo vim legis habet.“

XII. Plurimi alii Auctores hanc eamdem ſuſtinent ſententiam, ut S. Antoninus *II. P. tit.*vi. *cap.*ii. *§.* 9. Sylveſter *verb.* Ieiun. *quæſt.* iii. *num.* 10. Caietanus in *Sum. verb. Ieiun.* Sed & recentes, Lavorius *tract. de iubil. p.* 1. *cap.* xx. *num.* 10. Beia *p.* 1. *caſ.* 3. Medina in *Inſtruct. Conf. Lib.I. cap.* iii. *§.* 10. Lamas in *Sum. P. III. cap.* v. *§.* 24. Ortiz *in Sum. cap.* xix. *num.* 10. Ioannes Medina *cod. de ieiun.* Cardinalis Cozza *de ieiun. p.*iii. *dub.* 5. pluresque alii. Ex quibus omnibus colligitur, ſententiam Bonacinæ, & Tamburini, aliorumque paucorum eſſe omnino improbabilem, & falſam; atque adeo in praxi omnino reiiciendam. Sic concludit laudatus Diana. „ Ex his omnibus apparet ſine ratione & fundamento contra „ communem Doctorum ſententiam locutum fuiſſe Bonacinam diſp. ult. ubi aſſerit in collatione ſerotina non tam cibi qualitatem, quam quantitatem attendendam eſſe. Nam, ut ſupra ex ore omnium Theologorum probatum eſt, qualitas „ cibi in refectiuncula frangeret ieiunium. Et ita etiam ſentiunt plures Patres „ noſtræ Religionis, & ex Societate Ieſu a me de hac re conſulti. Unde minime dubitandum eſt, contrarium facientes peccare mortaliter, & frangere ieiunium. Scripſi hæc ad comprimendam audaciam aliquorum, qui ex auctoritate

„ Bo-

„ Bonacinæ contrariam ſententiam in praxi conſulere audebant : quæ quidem „ ſententia non eſt probabilis, ſed falſa, quia eſt deſtituta rationibus, & eſt con- „ tra communem, ut viſum eſt. Ergo &c." Hactenus Diana in citata *reſol.* 116. *num.* 23. Si vel ipſi benigniores, & laxiorum opinionum defenſores falſam, ac improbabilem vocant opinionem quæ piſces comedendos permittit in collatione ſerotina; quis audebit eam impoſterum propugnare, vel aliis amplectendam conſulere?

XIII. Quæſt. VIII. *An ſaltem piſciculi parvi, fumo exſiccati, vel ſale conditi, ut oſtreæ, camarones, ſardinæ ſeu acediæ, ſimileſque, poſſint eſſe materia collationis ſerotinæ?* Reſp. Affirmativam opinionem defendit Bonacina cum aliis, quos inter eſt Henricus a S. Ignatio, qui obiter, & ſine ullo examine hac de re verba faciens, ait *Lib. XI. cap.* 1. *num.* 9. poſſe in ſuo Belgio ſumi piſciculos in parva quantitate. Sed contraria ſententia communiſſima eſt, ut inquiunt Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* 11. *punct.* 3. *§.* 3. *num.* 8. quorum verba iſthuc tranſcribenda ſunt. *Sed communis* (aiunt) *Doctorum ſententia docet, non eſſe materiam collationis piſciculos parvos, ſive recentes ſint, ſive fumo ſiccati : quia, cum collatio ſerotina conſuetudine ſit introducta, etiam conſuetudini ſtandum eſt circa cibos qui eius materia eſſe poſſunt. Sed nullibi eſt conſuetudo introducta ſumendi in ea piſciculos parvos, ut teſtantur Villalobos, Azor, Palaus, & alii infra citandi. Ergo eos ſumere non licet. Ulterius : nam piſces ex ſe ordinati ſunt ad nutriendam, & ſuſtentandam naturam : ergo eis non licet uti in collatione ſerotina.* Sic Sanchez *Lib. V. conſ. cap.* 1. *dub.* 25. *num.* 4. Ledeſma *tract.* XXVII. *cap.* 11. Trullenchus in *Decal. Lib. III. cap.* 11. *num.* 8. Villalobos *tract.* XXIII. *diff.* 7. *num.* 3. Palaus *Tom. VII. tract.* 1. *diſp.* III. *punct.* 2. *§.* 2. *num.* 6. Lezana *verb.* Ieiun. *num.* 4. Fagundez *de* 4. *Eccleſ. præcep. Lib. I. cap.* IV. *num.* 18. Diana *Part. I. tract.* IX. *reſol.* 1. & *Part. IV. reſol.* 117. & alii. Idcirco iſtorum verba tranſcripſi, quod reſolutiones eiuſmodi, facti cum ſint, plus ab auctoritate quam a ratione pendere ſoleant. Doctores ſiquidem, qui variis temporibus ſcripſerunt, teſtes ſunt conſuetudinis. Porro iſti teſtantur, numquam viguiſſe conſuetudinem ſumendi piſciculos, etiam fumo exſiccatos, in collatione ſerotina. Manifeſtum igitur eſt non poſſe licite ſumi præfatos piſciculos. Ratio quoque hoc ipſum evincit. Enimvero, ſi communiſſima tum antiquorum, tum recentium Theologorum ſententia eſt, prohibitos eſſe in collatione ſerotina piſces magnos, & recentes, etiam ſervata quantitate; ſi falſiſſima eſt ſententia quæ ſtatuit, quantitatem, ſecus qualitatem, attendendam eſſe in refectiuncula ſerotina : nulla ſane ratio ſupereſt quæ licitos oſtendat piſciculos parvulos fumo exſiccatos, vel aceto maceratos in dicta collatione. Nam idcirco vetiti ſunt recentes, quia cibi ſunt, ex primaria inſtitutione ordinati ad nutriendam, alendamque naturam ; quapropter numquam conſuetudo Eccleſiæ eoſdem conceſſit in refectiuncula ſerotina.

At

Digitized by Google

At numquid cibi non ſunt, ad nutriendam, & ſuſtentandam naturam eodem modo ordinati, piſciculi parvi fumo exſiccati, vel aceto macerati? An fumus, vel acetum aliquid ſubſtantiæ illis adimit? Quin piſces fumo ſiccati non raro meliores ſunt quam recentes: idemque eſt de aliis piſciculis aceto maceratis, qui numquam ſolo aceto, ſed ſimul cum aceto, aromatibus etiam condiuntur. Ulterius, cur liciti erunt piſciculi parvuli, & non magni, ſi quantitas ſervetur? Sed, numquid neque duas ſardinas ſalitas concedes? Reſpondeo, quod plura poſſent permitti, ſi ibi ſiſterent, unde initium ſumunt; ſed quia ad ulteriora viam aperiunt, idcirco nihil ex piſcibus, ſive recentibus, ſive aceto, ſive ſale maciatis ſumendum, cum communi Theologorum conſenſu ſtatuo. Ratio enim, ut dixi, æque, proportione ſervata, evincit eſſe illicitos piſces magnos ac parvos: quia etiam parvi ſunt cibi ordinati ad nutriendum. Dic, quæſo, cur licitum erit ſumere duas uncias ſardinarum; ſecus vero duas uncias thunni, ſalmonis, aringarum, quin etiam tructæ ſalitæ, vel fumo, & ſale maceratæ, quæ vulgo dicitur *bazzotta*, eſtque optima? Ob id ergo ſolum piſces erunt materia collationis ſerotinæ, ſi nomine diminutivo piſciculi compellentur? Cum itaque conſuetudine vetiti ſint abſolute in collatione ſerotina piſces; tam parvi, quam magni, tam recentes, quam ſaliti, prohibiti intelliguntur, ut communiſſime teſtatur Theologorum ſententia. Et præter allegatos Auctores addere lubet Leandrum *tract. v. diſp.* IV. *quæſt.* XLII. ubi hæc ſcribit. *An ſaltem liceat in collatione uti piſcibus fumo ſiccatis, ſaleque conditis? . . . . Ut mihi certum reſpondeo, non poſſe: quia nec ratio, nec uſus virorum prudentum, & timoratæ conſcientiæ ad contrarium tuendum urgent, ut conſtat, cum ſit omnino contrarius.* Ex his colliges, contrariam opinionem in conſpectu noſtræ nullo modo eſſe probabilem, utpote & ratione, & auctoritate deſtitutam. Quis enim præter Bonacinam, alioſque paucos neotericos eam defendit? Solet utique laudari Caietanus pro illa opinione, eo quod ſcribat in Summula verb. *Ieiunium* ſub fin. I. cap. *Quia ad hoc videtur ſerotinum ientaculum reductum, ut non referat, quid quiſque ſumat, ſi modum non excedit.* Qui hæc Caietani verba alſegant, ut evincant non eſſe illicitam qualitatem ciborum quorumcumque ex permiſſis in prandio, in primis iniuriam irrogant Caietano, quia textum illius truncatum exhibent, & illius temporis conſuetudinem ignorant. Tum ſiquidem diſputabatur, num licitus eſſet in collatione uſus panis, vel tantum fructuum arborum, vel herbarum. D. Antoninus, & alii negabant, poſſe licite in collatione ſumi panem; ſed tantum fructus. Caietanus licitum uſum panis defendebat. Quapropter ſic incipit textus Caietani: *Nec ſumere in ientaculo parum panis frangit ieiunium: quia ad hoc videtur ſerotinum &c.* Clarius rem hanc explicat Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 6. §. 2. ubi ſermonem habet de omnibus iis rebus quæ in collatione ſerotina ſumebantur. *Licet priſcis temporibus*, inquit, *non fue-*

fuerit forte licitum ſumere fructus, herbas, aut bucellam panis, ne potus lavet ſtomachum: quia horum uſus ſecundum ſe eſt manducatio, ut Auctor dicit: hodie tamen omnia licita ſunt per modum medicinæ in veſpertino potu, fraude ceſſante: quoniam iam conſuevit chriſtianus populus uti per modum medicinæ huiuſmodi his quorum uſus eſt manducatio. Deferendum tamen eſt conſuetudini loci; ſcilicet, ubi non conſuevit ſumi panis, non ſumatur ſine rationabili cauſa, puta quia fructus nocerent, aut non haberentur, aut non poſſent conteri dentibus. Evidens hinc eſt, non aliud Caietanum velle, niſi quod tum temporis licitum erat ſumere vel fructus arborum, vel panem; parumque referebat, quid quiſque ex his ſumeret, dummodo modum non excederet. Nec in Caietani, nec in cuiuſque illius ævi Scriptoris mentem venerat piſcium uſus in collatione ſerotina adhibendus. Nondum enim adeo laxata erat ieiunii ſeveritas. Sed de hoc pluſquam ſatis.

XIV. Heinc mirari ſatis non ſubit, P. Thomam Milante, qui ſe purgatioris Theologiæ cultorem iactat, in *cit. exercit.* docere quæ ſequuntur. *Nec ſcrupuloſus quidem Theologus* (ſcrupuloſus ne Theologus Diana, aut Leander?) *inficiari audet* (te poſſe veſci piſciculis recentibus) *præſertim quia viri prudentes, ac docti, immo Regularium communitates eiſdem veſci in antipaſchali ieiunio conſueverunt*. Vin' meliora? Audi ſequentia. *Ut ingenue meam hac in re proferam ſententiam, attenta præſenti diſciplina, ſine ullo ſcrupulo poſſe etiam magnos piſces in eadem quantitate permitti exiſtimo ..... Unde, ſicut hodie in prandio licet grandes piſces comedere, licet pariter in cœnula cum debito moderamine manducare*. Auctor iſte invehitur contra Caſuiſtas, quos *Laxones* appellat: & tamen iſtorum benigniores tam laxam doctrinam vix docent. Domeſtici Theologi aberrationem repello, ut novum argumentum perhibeam, me, non partium ſtudio, ſed veritatis amore ſuccenſum, melliorem Ethicem improbare.

XV. Quæſt. IX. *An, quando in die ieiunii licitum eſt in prandio edere lacticinia, licitum quoque ſit aliquid eorum capere in collatione ſerotina?* Reſp. Doctores qui negant licitum uſum piſcium in collatione, negant quoque licitum eſſe uſum ovorum, & lacticiniorum: quoniam eadem & ratio, & conſuetudo obtinet adverſus lacticinia, & ova, ac adverſus piſces. An vero in regionibus ſeptentrionalibus, ubi fructuum inopia eſt, licitum eſſe poſſit aliquid caſei cum pane ſumere, res tanti non eſt, ut de ea diſputare debeamus. Parvitas materiæ, & neceſſitas excuſare quandoque poſſunt. Quin in aliis etiam regionibus, ob capitis, vel ſtomachi debilitatem, infirmamque corporis conſtitutionem, præter communem conſuetudinem agere quandoque licet. Abſolute tamen ubique collatio ſerotina ſine lacticiniis ſit oportet. Quare nec placentæ, nec aliæ paſtæ ex ovis, butyro, aut lacte concretæ licitæ ſunt in eadem refectiuncula.

XVI. Quæſt. X. *An viri nobiles, delicati, Advocati, Procuratores, Lectores, omneſ-*

Digitized by Google

omneſque ſtudiis vacantes, ſumere poſſint collationem maioris quantitatis quam ceteri? Quidve dicendum de Curia Romana? Reſp. Paſqualigus *deciſ.* xcix. Leander *tract.* v. *diſp.* iv. *quæſt.* xxviii. *& ſeq.* Cardinalis Cozza *part.* iii. *dub.* 9. aliique docent, omnes laudatos viros poſſe ampliorem ſumere collationem; & pro ratione obtrudunt conſuetudinem, ac delicatam corporis conſtitutionem. Iſtorum Auctorum opinio non modo improbabilis, ſed & indigna ur proponatur eſt. Quandoquidem neque nobiliras, neque divitiæ, neque recenſitæ profeſſiones ab obſervantia ieiunii excuſare poſſunt. Ergo neque a ſobrietate, in ſerotino ientaculo ſervanda. Ut falſitas iſtius opinionis omnino pateat, expendendi ſunt ſtatus ſinguli enumerati. Atque in primis nobilitas nullo privilegio potitur adverſus legem. Deinde plurimi nobiles fortioris, & robuſtioris conſtitutionis ſunt quam multi plebeii. Si plures viri graves delicati ſunt; etiam plures viri plebeii habent conſtitutionem gracilem, minuſque firmam. Futile ergo eſt aſſerere, nobilitatis ſtatum cauſſam ſufficientem eſſe augendi collationem ſerotinam. Sed, ſive nobiles, ſive plebeii ſint, ſi aliqua peculiari debilitate, vel incommodo laborent, poterunt plus minuſve iuxta Superioris docti, & prudentis arbitrium a lege collationis ſerotinæ diſpenſari. Cur vero Advocati, Procuratores, Lectores, omneſque qui ſtudiis vacant, poſſunt ſumere ampliorem collationem? Quænam conſuetudo id permittit? Nulla ſane. Si enim præfatis omnibus licita eſſet maioris quantitatis collatio, potiori iure licita foret omnibus artificibus, ſutoribus, barbitonſoribus, pictoribus, aliiſque. Plebeii poſtea, qui artibus magis laborioſis inſudant, a ieiunio etiam excuſarentur. Pro quibus ergo ſtatuta eſt regula illa octo unciarum? An pro Religioſis? Leander loco cirato *quæſt.* xxx. ait, poſſe iſtos *ampliorem refectiunculam ſumere, etiamſi continuo ſtudiis non vacent; dummodo certis horis (nempe quinque, vel ſex) ſtudeant, etiamſi id faciant recreationis cauſa*: vel ſi in choro canant, aut manibus laborent. Concludam ergo cum Caramuele in Theol. fund. num. 1539. *Ergo, ſi etiam Religioſos excludimus, qui erunt in Eccleſia Romana qui teneantur obſervare ieiunia?* Dicamus potius e contrario, nobiles, procurarores, viroſque graves minorem præ ipſis plebeiis debere ſumere collationem: tum quod laurius prandeant, & exſaturentur: tum quod minus laborent corpore, & conſequenter corpus magis indomitum habere ſoleant: tum denique quia iſti ſeveriore indigere ſolent pœnitentia. Qui vero ſtudiis vacant, minus ventrem implere debent. Nulla ergo ratio, nullaque conſuetudo permittunt nobilibus, Advocatis, Procuratoribus, & Lectoribus maiorem collationem quam ceteris Chriſtianis. Una pro omnibus lex: ſola infirmitas, viriumque debilitas, non ſtatus diverſitas, relaxare legis rigorem poteſt. Conſuetudinem, quam de Curia Romana obtrudunt, nimirum, licitum eſſe in præfata Curia ſumere maiorem collationem conſueta, inventum eſt illorum Caſuiſtarum quos loco citato *quæſt.* xxv. recenſet Leander. Quin

Digitized by Google

Quin in Romana Curia, ubi ſedes eſt religionis noſtræ, ſeverius Eccleſiæ præcepta ſervari debent, ne inimici noſtri obgannire, & exprobrare audeant, Roma ſcilicet exire edicta, ut illud Auguſti, minime vero ibi ſubſiſtere. Neque aliquorum abuſus (quos, ſi tolerant, numquam approbant Pontifices ſummi; ſed pro virili parte evellere conantur) pro conſuetudine legitima opponi valent.

XVII. Quæſt. II. *An licitum ſit ſummo mane, vel meridie ſumere collationem, prandio dilato in veſperum?* Reſp. Communiſſima ſententia eſt, abſque iuſta cauſſa id minime licitum eſſe: quia non licet ordinem ab Eccleſia ſive lege, *ſive* conſuetudine ſtatutum & firmatum pervertere. Iuſta vero occurrente cauſſa, nempe urgentis negotii, ſtudii, concionis, itineris, debilitatis, alteriuſve rei ſimilis id licitum erit. Si enim iuſta cauſſa a ieiunii obſervantia excuſare valet, multo magis ab illius circumſtantia poterit. Diſputant deinde Auctores, quodnam peccatum perpetraret qui abſque ulla cauſſa ſive mane, ſive meridie ſumeret collationem, ut ſero cœnaret. Communior, & mihi probabilior ſententia eſt, hunc non peccare, niſi venialiter: quia hæc inverſio non foret contra ſubſtantiam, vel contra finem ieiunii eccleſiaſtici; ſed tantum contra circumſtantiam conſuetudine invectam. Porro tranſgreſſio iſtius circumſtantiæ levis, non gravis eſſe videtur. Quod, niſi manifeſtum eſſet, pluribus evincerem.

XVIII. Patres Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 3. *§.* 3. *num.* 83. ex Villalobos referunt privilegium conceſſum Religioſis, ut itinerantes poſſint mane ſumere collationem, & veſpere cœnare. Sed, quidquid ſit de hoc privilegio, de quo mihi non conſtat, ſicut ceteri poſſunt ratione itineris, abſque privilegio, ſumere mane dictam collationem; ita etiam idipſum poterunt Religioſi. Omnes vero fatentur, poſſe Chriſtianos, omiſſo ientaculo, & tranſacto toto die ſine cibo, veſpere cœnare. Hac enim ratione perfectius, & iuxta antiquæ diſciplinæ formam ieiunium obſervarent. Sumere vero mane ientaculum loco collationis ſerotinæ abſolute illicitum eſt, niſi aliqua ſpecialis ratio urgeat quæ excuſet. Quæ autem rationes ſufficiant ad hunc ordinem licite invertendum, prudentum eſto iudicium.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Corollarium, in quo ex doctrina plurium Caſuiſtarum vera ieiunii quod ipſi admittunt, imago vivis coloribus depicta exhibetur.

I. Nihil evidentius alicuius ſeminis contagioſi naturam prodit quam monſtroſus partus ex eodem natus. Capitibus ſuperioribus retulimus doctrinam quam de variis ientaculis, videlicet de collatione ſerotina, & de potione matutina chocolatis, evulgarunt Caſuiſtæ non pauci. Nunc ieiunii formam, quæ ex præfata doctrina, veluti ex ſemine partus, conſurgit, ob oculos referre lubet. Finis iſtius repræſentationis eo unice ſpectat, ut lectorem meum graviſſimo periculo prolabendi in laxitatis maximæ extremum ſubducam. Plura docent Caſuiſtæ quidam, quæ ſparſim accepta, & fuco benignæ probabilitatis delinita, ſpecioſa apparent, ac facillime ſuis lenociniis lectores capiunt, & in errorem inducunt. Verum, ſi omnes iſtæ benignitates, & dulcedines ſimul miſceantur, mixtum male olens conſtituunt. Hæc omnia exemplo comperta evadent. Docent Caſuiſtæ nonnulli, licitum eſſe ſummo mane, quin per diem etiam, ſumere unicam, vel unam cum dimidio, immo etiam duas uncias comeſtibilis chocolatis, non ſolidi, ſed ſex unciis aquæ liquati. Deinde concedunt oppiparum prandium. Poſt prandium non modo potum permittunt ad ſitim extinguendam, ſed etiam ad voluptatem capiendam. Ne autem potus noceat, quoties bibis, toties quidquam cibi, ut ſex amygdalas, duos ficus, & ſimilia, benigne impertiuntur. Si ab amico invitatus fueris ad hauſtum, ne inurbanus videaris, quidquam cibi etiam capere poteris. Veſpere tandem refectiunculam, quam Eccleſia tolerat in parva quantitate panis, & fructuum, ad octo uncias cibi cuiuſque generis in prandio permiſſi extendunt. Addunt vero, abſque gravi fractione ieiunii te poſſe ſupra octo uncias duas alias ſumere ratione parvitatis materiæ. Hucuſque decem cibi uncias habes, cuiuſque ſis conditionis. Ceterum, ſi nobilis, ſi procurator, ſi advocatus, ſi iudex, ſi ſtudiis vacans fueris, aliquid amplius tibi concedunt; nempe, ut minus, duas alias uncias, ſcilicet duodecim uncias: quam quantitatem plus minuſve pro toto die ſufficere, docet Leſſius in *libro de tuenda ſanitate*. Deſcripſi quantitatem cibi quam non pauci Caſuiſtæ concedunt. Qualitas etiam indicanda eſt, ut ieiunii imaginem melius adumbremus. Permittunt, te poſſe ſumere ex omnibus cibis in prandio conceſſis vel a lege, vel a privilegio; ita ut non modo piſces, ſed etiam lacticinia, & ova, ſi hæc in prandio comedantur, licite capere valeas. Partiamur nunc præfatam quantitatem, & qualitatem in moderata fercula, ut inſtruere valeamus men-

menſam, ſin oppiparam, ſaltem lautam. Concedunt enim laudati Caſuiſtæ hæc omnia ſimul miſceri. In primis itaque duas uncias panis ſexdecim unciis aquæ infundo, & per coctionem pultem conficio, cui unciam amygdalarum, quas vel comminuam, vel ſtillabo, in liquorem permiſcebo. Sic papparium iſtud & palato ſapidum, & ſtomacho ſubſtantiale erit. Accipiam duas alias uncias panis: apponam patellam unius ovi, quoquo modo conditi, ponderis duarum unciarum; & ſuperaddam duas uncias recentis piſcis. Supereſt adhuc una uncia, quam in fructibus, aut bellariis tibi dabo. Si vero fueris nobilis, advocatus, cantor, procurator, vel ſtudiis vacans, duas alias uncias augebo vel tructæ, vel acipenſeris, vel alterius piſcis. Ex partitione facta, ſi rationes ſubduxeris, conficies ſummam decem unciarum epularum pro plebeiis, & duodecim pro nobilibus. Hæc omnia in collatione ſerotina iuxta non paucos Caſuiſtas, quos forte hucuſque ſecutus es, comedere vales, quin graviter ieiunium frangas. Nonne monſtroſum ieiunii genus iſtud eſt? Ubi in hocce ieiunio vel leve chriſtianæ pœnitentiæ veſtigium? Quin ubi vel imago ieiunii, ſive chriſtiani, ſive iudaici, ſive paganici? Hanc deformem & prodigioſam ieiunii formam minime deprehendis, dum ſeparatim, & ſparſim, quæ præfati Auctores ſcribunt, legis: idcirco omnia ſimul collecta ante oculos tuos obiicere volui, ut unico conſpectu videre poſſis quo laxitatis tandem deveniant iactata quorumdam recentium benigna inventa. Si ſuſpiceris, aliquid a me per exaggerationem dictum fuiſſe; revolve ſuperiora capita, ubi Auctores, & loca, in quibus, quæ retuli, docent, indicata comperies. Nolui hic iterum eorum nomina adducere, ne ipſis invidiam conflare viderer. Ceterum nil admodum, nec verbum quidem addidi, quod illi expreſſe non tradant. Hinc non modo concipias velim horrorem maximum adverſus ieiunium quod quidam recentes Theologi docent; ſed regulam in mente tua ſtatuas cupio, parum videlicet fidei adhibendum his, ſimilibuſque Auctoribus, ita Ethicen explicantibus chriſtianam. Neque huiuſmodi in hoc ſenſu accipias velim, ut eos te decipiendi animum habuiſſe, ſuſpiceris. Abſit hoc. Sed id animo tuo infixum volo, eos tales opiniones ſine examine, ſine delectu, bona fide (quoniam alii ex aliis eas tranſcribunt) docere, quæ a veritatis evangelicæ via te deducunt, & in errores graviſſimos te coniiciunt. Exiſtimarunt illi eſſe probabiles opiniones, quas docuere, ut faciliorem redderent ieiunii obſervantiam. Sed, ut ego quidem arbitror, adeo laxæ ſunt, ut ieiunium Catholicorum de medio tollant.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De hora quæ pro refectione in die ieiunii capienda, præfinita eſt. Quodnam peccatum committant qui notabiliter eam anticipant.

I. IEiunium, ſive veteris, ſive novi fœderis, ſemper habuit horam præfinitam, qua ſemel in die comedi ſtatutum vel lege, vel conſuetudine fuit. Iam ſupra oſtenſum eſt, tum Hebræos, tum primos Chriſtianos veſpere tantum ieiunium ſolvere conſueviſſe. Hæc porro diſciplina temporis tractu variationi obnoxia fuit; & hora nona, ſeu tertia poſt meridiem, ieiunium ſolvi cœptum eſt, celebrato tamen officio veſpertino. Diſciplina hæc viguit uſque ad ſæculum quartum decimum. Siquidem circiter hoc tempus hora ſolvendi ieiunium retroacta eſt ad meridiem, ideſt ad horam ſextam, qua hora nunc ieiunium ſolvitur. Poteſt tamen etiam nunc differri prandium uſque ad nonam, vel veſperum, non ſolum abſque culpa, ſed cum maioris meriti lucro: tale enim ieiunium magis congrueret antiquæ diſciplinæ. Licite tamen etiam ſolvitur hora meridiana: quia conſuetudo recens Eccleſiæ id permittit. Hæc hora meridiana computanda minime eſt modo mathematico, & individuo, ſed morali; ut loquitur D. Thomas 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 7. ad 2. *Ad ieiunium requiritur hora determinata, non ſecundum ſubtilem examinationem, ſed ſecundum groſſam æſtimationem. Sufficit enim quod ſit circa horam nonam:* noſtro vero tempore circa horam ſextam, ideſt prope meridiem. Quare docent plures, ieiunium nunc ſolvi poſſe hora fere undecima ante meridiem iuxta horologia Tranſalpinorum: quia etiam hoc modo prope meridiem ſolveretur. In illa enim *groſſa* exiſtimatione unius circiter horæ ſpatium computari poſſe exiſtimant; maxime ubi non eſt horologium ſolare. Non pauci hac morali computatione abutuntur, eo quod vi illius aut unam horam, aut unam cum dimidio ante meridiem ſolvi poſſe ieiunium adfirment. Sed hæc non *groſſa*, ſed *groſſiſſima* computatio eſt. Extrema itaque vitanda ſunt: ſubtilis & mathematica ſupputatio omittenda; larga quoque anticipatio reiicienda. Ita communiter omnes. Nunc, quæ in controverſiam vocantur, diſcutienda ſunt.

II. Quæſt. I. *An qui notabiliter, nempe per unam, aut duas horas, abſque iuſta cauſſa ieiunium ſolveret ante meridiem, graviter peccaret?* Reſp. Omnes adfirmant, hanc anticipationem fieri minime poſſe abſque peccato. Difficultas dumtaxat eſt, num peccatum hoc veniale ſit, an mortale. Pro utraque ſententia ſunt plures Auctores. Culpam mortalem eſſe defendunt D. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* II. *§. ult.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 7. & in *Summ. verb. Ieiun.*

Paludanus in *IV. diſt.* v. *quæſt.* iv. *art.* 4. *concl.* 1. Turrecremata *cap.* Solent *num.* 2 *de conſ. diſt.* 1. Abulenſis *quæſt.*clxxii. *&* clxxiii. *in cap.*vi. *Matth.*Covarruvias *Lib. IV. var. cap.* xx. Sylveſter *verb. Ieiun.* Tabiena *quæſt.* v. Ledeſma *part.* ii. *quæſt.* xvii. *art.* 4. Graſſius *Lib. II. deciſ. aur. cap.* xxxvii. Azorius *Lib. VII. cap.* xi. *quæſt.* iii. Angles *quæſt.* ix. *de Ieiun. art.* 3. *diffi.* 1. Vega *Tom. II. Sum. cap.* xiv. *caſu* 33. Fagundez *præcep.* iv. *Eccleſ. Lib. I. cap.* ii. *num.* 4. Sanchez *Lib. III. in Decal. cap.* xi. *num.* 51. & *Lib. Conſil.* v. *cap.* 1. *dub.* 28. Ghetius *verb.* Ieiunium *cap.* iii. *numer.* 7. Lavorius *I. Part. de iubil. cap.* xx. *num.* 15. Sylvius 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 3. *concl.* 3. Homobonus *de examin. Eccleſ. I. Part. tract.* vii. *cap.* xx. *quæſt.* xc. Ioannes a Cruce *I. Part. Sum. præc.* iv. *art.* 4. *dub.* 8. *concl.* 2. Reginaldus *Lib. IV. cap.* xiv. *num.* 160. Auguſtinus Barboſa in *Collect. Doct. in I. Part. Decret. diſt.* xxv. *cap.* Unum orarium *num.* 5. Cardinalis Cozza *Tom. de ieiun. part.* iii. *art.* 5. *dub.* 1. *numer.* 7. Patritius Sporer in *append. ad* 3. *præcep. Decal. ſec.* 1. *num.* 22. hanc opinionem tutiorem, magis piam, & in praxi conſulendam eſſe ſcribit. Ratio quoque validiſſima huic ſententiæ ſuffragatur. Nam certum eſt, omneſque, paucis exceptis, fatentur, antiquitus non licuiſſe abſque fractione ieiunii horam anticipare comeſtionis. Hoc evidenter colligitur ex *cap.* Solent *diſt.* 1. *de conſecr.* quod caput depromptum fuit ex Concilio Cabilonenſi, ubi hæc habentur: *Solent plures, qui ſe ieiunare putant in Quadrageſima, mox ut ſignum audierint, ad horam nonam comedere: qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante comederint quam veſpertinum celebretur officium.* Et gloſſa ibi: *Non ſunt credendi ieiunare. Nam prius debent officium audire; & ſi venire non poſſunt, expectata hora veſpertina, & completa oratione ſua, comedant.* Ergo quemadmodum tunc culpa gravis erat anticipare horam præfinitam pro unica comeſtione ſumenda in die ieiunii; ſic nunc temporis culpa gravis erit horam recenti conſuetudine ſtatutam notabiliter antevertere. Quamquam enim diſciplina præfiniendi hanc horam, illamque illigandi nunc tempori veſpertino, nunc tempori poſtmeridiano, nunc tempori meridiano, variationem paſſa ſit; ſemper tamen fideles obſtricti fuere obſervationi præfatæ horæ in ieiunii ſolutione. In primitiva Eccleſia peccatum grave erat ante occaſum ſolis cœnam ſumere. Uſque ad ſæculum quartum decimum grave peccatum erat ante nonam horam notabiliter ieiunium ſolvere. Quid ni ergo peccatum grave erit etiam nunc notabiliter præfinitam horam antevertere? Hoc confirmat Caietanus 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *artic.* 7. univerſo populi Chriſtiani conſenſu. *Communis*, inquit, *animi conceptio Chriſtianorum eſt, quod comedens ſummo mane in die ieiunii non ieiunat: quæ patet ex hoc quod quilibet Chriſtianus, videns aliquem ſummo mane comedentem, dicit: Iſte non ieiunat. Ex hoc ..... evidenter patet quod hora conſueta comedendi pro ieiunio, quæcumque hora ſit illa, eſt de neceſſitate ieiunii.*

III.

III. Obiiciunt contrariæ ſententiæ patroni. Determinatio horæ non pertinet ad ſubſtantiam ieiunii, ſed eſt tantum illius conditio. Non igitur gravis culpa erit illius anticipatio. Inſuper, quacumque hora ieiunium ſolvatur, hoc minime officit fini ieiunii: quia æque affligitur corpus, ſive hora ſexta, ſive hora nona, ſive veſpere refectio capiatur. Tantum ſiquidem diſtat hora ſexta huius diei ab hora ſexta diei ſequentis, quantum diſtat hora tertia ab hora tertia. Ergo æque affligitur per inediam qui ſolvit hora ſexta, ac qui ſolvit hora tertia. Tandem licitum eſt poſtponere comeſtionem per duas, & tres horas: ergo & illam anticipare. Hæc ſunt argumenta contrariæ ſententiæ, quam defendunt Diana coordinatus *tract.* VI. *reſol.* 104. Leander *tract.* V. *diſp.* VI. *quæſt.* VIII. Paſqualigus *deciſ.* CXLVI. *num.* 3. & 4. Trullenchus *Lib. III. in Decalog. cap.* 11. *dub.* 4. *num.* 13. Bonacina *diſput. ult. quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 3. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* 11. *punct.* 4. *num.* 87. Sporer *in append. ad* 3. *præcep. Decal. ſect.* 1. *num.* 23. P. Viva *quæſt.* X. *artic.* 2. *num.* 5. ſcribit: *Falſum eſt dari aut præceptum, aut conſuetudinem graviter obligantem ad non anticipandam comeſtionem ante meridiem*. Poterit ergo Chriſtianus pro arbitrio, quin graviter peccet, anticipare unicam comeſturam? Quam hæc ſint communi Chriſtianorum ſenſui conſentanea, aliorum eſto iudicium.

IV. Reſpondetur ad primam obiectionem, verum utique eſſe horæ determinationem non pertinere ad ieiunii eſſentiam; ſed dicimus, eſſe conditionem, quam ſervandam præſcribit Eccleſia. Ut toties dictum eſt, perperam in Moralis chriſtianæ controverſiis obtruduntur eiuſmodi metaphyſica nomina, eſſentiæ, & accidentis, ut inde, neglectis circumſtantiis, moralium rerum definitiones eruantur. Quoniam morum præcepta a voluntate legislatoris pendent. Non negamus tamen, aliqua principaliter imperari. Sed addimus, omnia quæ imperantur, ſervanda eſſe. Porro tria præcipiuntur in ieiunii lege, nempe unica comeſtio, abſtinentia a certo ciborum genere, & hora comedendi. Omnia iſta ſub præcepto obſervanda eſſe, decernunt graviores, antiquioreſque Theologi. Sive enim hora comedendi præcipiatur per modum conditionis, ſive per modum ſubſtantiæ, quando certum eſt reipſa ab Eccleſia illam præcipi, obſervanda eſt. Heinc patet reſponſio ad ſecundum argumentum. Quamvis enim eiuſmodi horæ anticipatio non adverſaretur [quod tamen falſum eſt] fini ieiunii, nempe corporis afflictioni; pugnat tamen ſive cum lege, ſive cum conſuetudine Eccl·ſiæ, horam comeſtionis præfinientis. Semper enim ieiunium habuit horam præfinitam, ſive veſpertinam, ſive poſtmeridianam, ſive meridianam: quod ab arbitrio Eccleſiæ pendet. Semel autem determinata ab Eccleſia præfata hora, in cuiuſque arbitrio poſitum minime eſt illam variare: alioquin magna eſſet confuſio, ſi quiſque ad libitum ſolvere ieiunium poſſet. Ad ultimum dicimus, non eſſe eamdem rationem de

prorogatione eiuſmodi horæ, ac de anticipatione. Quoniam numquam vetitum fuit ſolutionem ieiunii producere, ſed ſolum antevertere. Quando in primitiva Eccleſia ſolvebatur ieiunium hora veſpertina, licitum erat ad ſecundum, & tertium diem ieiunium producere; ſecus vel unicam horam ante ſolis occaſum anticipare. In productione elucet virtus abſtinentiæ, & temperantiæ; in anticipatione ſæpe intemperantiæ vitium occurrit. Unico verbo, Eccleſia vetat anticipare, ſecus protrahere. Et hoc ſatis eſt.

V. Expenſis utriuſque ſententiæ argumentis, neutra mihi videtur evidens, & manifeſta: idcirco primam amplector, & amplectendam ſuadeo, tamquam probabiliorem, ac tutiorem. Plures enim, & graviores ex recentioribus Theologis, & omnes antiqui eam propugnant. Rationes quoque validæ eidem favent.

VI. Ut clarius percipias ſenſum primæ ſententiæ, animadvertas oportet, non quamcumque anticipationem præfatæ horæ eſſe mortalem, ſed eam ſolam quæ dicitur notabilis. Diſſident autem Auctores in deſignando temporis intervallo ſufficiente ad conſtituendam anticipationem notabilem. Alii namque aſſignant quadrantem, alii ſemihoram, alii horam integram. Poſtrema hæc ſententia eſt communior, & verior: ſpatium ſiquidem horæ integræ in communi exiſtimatione conſtituit tempus notabile; ſecus intervallum quadrantis, aut ſemihoræ. Hæc porro anticipatio non ſpectat punctum aſtronomicum meridiei, ſed tempus illud in quo communiter iuxta conſuetudinem regionis ieiunium ſolvitur. Variæ enim ſunt etiam in hoc regionum conſuetudines. Nam in Helvetia omnes Catholici ieiunium ſolvunt integra hora ante meridiem; & ex recepta, ac immemorabili conſuetudine illa hora cenſetur hora meridiei: quare eadem hora pulſatur campana pro recitatione angelicæ ſalutationis. Qui ergo per integram horam anteverteret conſuetam horam propriæ regionis ſolvendi ieiunium abſque iuſta cauſſa, peccaret graviter.

VII. Ex iis quæ dicta ſunt, infertur, iuſta exiſtente cauſſa, ſecundum omnes, poſſe notabiliter præfatam horam anticipari. Porro cauſſæ iuſtæ anticipationis ſunt hæ. Conditio regionis, in qua ſunt maximi calores: perſonarum qualitas, quibus nimium nocuum foret producere ieiunium uſque ad horam conſuetam: iter neceſſarium ſuſcipiendum: negotia ſtatim poſt prandium tractanda, quæ magnam mentis attentionem exigant. Tandem Caſuiſtæ plurimi excuſant omnes procuratores, advocatos, ſtudiis vacantes, hoſpites ſuſcipientes, euntes ad venationem, & piſcationem, etiam recreationis cauſſa, eoſque qui Principes alloqui debent, & omnes eos qui noctu, aut valde mane ſurgunt ad propria officia peragenda. Verum iſti nimis extendunt, & amplificant iſtius anticipationis cauſſas. Quare paucis concludimus, ad iuſtam anticipationis cauſſam, requiri aliquam veram & realem neceſſitatem, minimeque ſufficere arbitrariam. Si enim omnes

quos

Digitized by Google

quos indicavimus, licite anticipare poſſent dictam horam; qui eſſent ſubiecti horæ conſuetæ? Non ergo officia exercenda ſolum, ſed gravis difficultas ad illa peragenda aliquibus eſſe poteſt iuſta anticipationis cauſſa. Qui anticipant horam, ſive iuſta, ſive iniuſta cauſſa, tenentur abſtinere a ſecundo prandio. Qui enim nequit obſervare primam, tenetur ſecundam partem ieiunii obſervare, ut ſæpius dictum eſt.

VIII. Quæſt. II. *An Religioſi, qui habent privilegium anticipandi per horam refectionem in die ieiunii, poſſint etiam per aliud breve tempus eiuſmodi horam conſuetam anticipare?* Reſp. Communiter Tractatores rei moralis, Diana, Leander, Cozza, plurimique alii, comminiſcuntur privilegium indultum Regularibus, noctu ad matutinas horas ſurgentibus, anticipandi diebus ieiunii prandium per horam. Sed neminem vidi qui eiuſmodi privilegium in medium afferat, vel locum indicet ubi reperiatur. Quare, niſi privilegium mihi oſtendatur, dico, Regulares debere ad horam conſuetam prandium differre. Admiſſo vero privilegio, nego, quod ſcribunt Paſqualigus, Leander, & alii, poſſe Religioſos iſtos, privilegio donatos, ultra horam ſibi conceſſam per aliud tempus non notabile prandium anticipare. Extenderem autem cum citatis Auctoribus hoc privilegium, ſi adeſſet, etiam ad eos qui nocte ad matutinum non ſurgunt: quia membra ſunt communitatis, cui præfatum privilegium conceſſum dicitur. Regulares, ſive privilegiati in hoc fuerint, ſive non, debent in Quadrageſima ante prandium horas veſpertinas perſolvere, quemadmodum præſtant omnes aliæ Eccleſiæ; & extra Quadrageſimam nonam perſolvere debent. Qui vero chorum non frequentant, ad id non tenentur.

CAPUT XVII.

Recenſentur dies quibus ieiunandum eſt, & abſtinendum a carnibus.

I. Quamquam ſuperiore diſſertatione diſſeruimus de variis temporibus quibus ieiunandum eſt; nihilominus abs re non iudicamus, preſſius hic dies omnes recenſere quibus ex præcepto Eccleſiæ vel ieiunandum, vel abſtinendum eſt a carnibus. In primis fideles ieiunare tenentur tota integra Quadrageſima, quæ incipit feria IV. cinerum, & deſinit nunc ſabbato ſancto; licet more veteri deſineret feria V. in cœna Domini, & alio quoque tempore inciperet, de quo dictum eſt ſupra. Mediolani etiam nunc conſuetudo obtinet incipiendi Quadrageſimam dominica prima eiuſdem: cuius tamen conſuetudinis privilegio non gaudent Regulares. Item ieiunandum eſt in omnibus vigiliis Apoſtolorum, exceptis vi-

vigiliis ſanctorum Philippi, & Iacobi, ac Ioannis Evangeliſtæ. Et quamvis olim dubium fuerit de vigilia S. Mathiæ, occurrente feria tertia poſt dominicam quinquageſimæ; in præſenti tamen nulla eſt difficultas ob decretum S. Congregationis, datum anno 1694. die 23. Ianuarii, quo decernitur ieiunandum eſſe etiam ubi quadrageſimale ieiunium incipit feria IV. cinerum. Si aliquod Apoſtolorum feſtum feria ſecunda celebrari contingat, ſabbato præcedenti ieiunandum eſt. Tertio loco ieiunandum eſt in vigilia Nativitatis Domini, & Aſſumptionis B. Virginis: nullaque alia vigilia B. Virginis ad ieiunium obſtringit. Ieiunia quatuor temporum obligant ſub mortali; quidquid in oppoſitum aſſerat contra communem ſententiam Paſqualigus *deciſ.* CLXIX. Hæc quatuor temporum ieiunia celebrantur feria IV. feria VI. & ſabbato poſt feſtum S. Crucis Septembris, poſt feſtum S. Luciæ menſis Decembris, poſt diem cinerum, & poſt feſtum Pentecoſtes. Ieiunium vigiliæ Pentecoſtes obligat non vi iuris canonici, ſed vi receptæ, & univerſalis conſuetudinis. Tandem ſub mortali ieiunandum eſt in vigiliis S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentii, & feſtivitatis omnium Sanctorum pariter ex univerſali fidelium conſuetudine. Si vigilia S. Ioannis Baptiſtæ incidat in feſtum Corporis Chriſti, feria IV. ieiunandum eſt; ut patet ex Bulla Urbani VIII. quæ incipit *Cum evenire*, data anno 1638. Hæc ſunt ieiunia ab univerſa Eccleſia ſub mortali obſervanda. Si quæ olim alia in uſu erant, nunc antiquata ſunt.

II. Recenſitis ieiuniorum diebus, oſtendendum nunc reſtat, quando abſtinentia a carnibus obliget ſub mortali, ſive vi legis, ſive vi conſuetudinis. Alicubi conſuetudo obtinet abſtinendi a carnibus in tribus diebus Rogationum: in aliis provinciis ieiunatur feria ſecunda, & quarta; & in aliis tantum in vigilia Aſcenſionis: ac tandem in pluribus regionibus omnibus his tribus diebus carnes comeduntur. In Luſitania teſtatur Barboſa in cap. *Rogationes*, hoc triduanum ieiunium coli, maxime in pervigilio Aſcenſionis. Quare quiſque ſuæ patriæ morem obſervare debet. Olim fideles ieiunabant feria IV. & VI. & ſabbato, ac integro Adventu; & conſequenter a carnibus abſtinebant. Sed hæc conſuetudo iam penitus obſolevit. Nunc ſolum conſuetudo obtinet abſtinendi a carnibus diebus ſabbati, & veneris. De ſabbato tamen varia eſt conſuetudo. Nam Galli, & Belgæ carnes comedunt ſabbatis a Natali Domini uſque ad Purificationem; ut teſtantur Paludanus, Covarruvias, & alii: ſimiliter Hiſpani, licet ſabbatis a carnibus abſolute abſtineant, comedunt tamen extremitates animalium, exta, ſeu inteſtina omnia. Aliquæ tamen provinciæ etiam ab his abſtinent. Fideles aliarum regionum ſabbatis omnibus a carnibus, etiam ab inteſtinis, abſtinent. Quare locorum conſuetudines ſervandæ ſunt. Ubi viget conſuetudo abſtinendi a carnibus, obligat ſub mortali. Ubique locorum fideles abſtinent diebus veneris a carnibus ex univerſali Eccleſiæ conſuetudine, quæ obligat ſub culpa gravi. Excipitur ſolus

dies

Digitized by Google

dies veneris, in quo recurrat feſtum Natalis Domini: in eo enim licitum eſt carnes comedere ex privilegio, quod habetur in *cap.* Explicari *de obſervatione ieiuniorum num. 3.* in quo hæc leguntur: *Explicari per Sedem apoſtolicam* (inquit Honorius III.) *poſtulaſti &c. Reſpondemus, quod illi qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti in feria ſexta, ſi feſtum Nativitatis dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter feſti excellentiam veſci poſſunt ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt qui ob devotionem voluerint abſtinere.* Idem dicendum, ſi feſtum Nativitatis incidat in diem ſabbati: ex univerſali enim conſuetudine etiam hoc die carnes comeduntur, quoties Nativitatis feſtum recurrat.

III. Quæſt. I. *An Regulares, qui regulari obſervantia adſtricti ſunt abſtinere a carnibus, poſſint die veneris, in quo celebratur feſtum Nativitatis Domini, carnes comedere?* Reſp. Regulares qui vi voti, aut præcepti obligantis ſub mortali, tenentur abſtinere a carnibus, & ieiunare die veneris, iuxta communiſſimam ſententiam non poſſunt in præfato die, etiam ſi inciderit feſtum Nativitatis Domini, carnes comedere. Difficultas eſt de Regularibus qui ſolum ad ieiunium, & abſtinentiam tenentur vi Conſtitutionum, quæ ad culpam non obligant; uti ſunt Prædicatores. Sylveſter *verb.* Ieiun. *num.* 27. cui adhærent alii, ſuſtinet Prælatum, qui valet ceteris diebus diſpenſare in eſu carnium, poſſe quoque in dicto die: *Quia*, inquit, *cum ibi ſint duæ prohibitiones, ſcilicet Eccleſiæ, & Religionis, ſublata prima per Eccleſiam, ſtat ſolum ſecunda, ſuper quam poteſt Prælatus.* Hanc opinionem defendunt etiam VVigandt *tract.* v. *exam.* IV. *num.* 102. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* 11. *punct.* 5. *§.* 2. *num.* 106. Sed omnes Auctores iſti innituntur falſiſſimo principio. Quoniam, ut ex relata conceſſione Honorii III. conſtat, privilegium comedendi carnes illis ſolis conceditur qui vel ex voto, aut ex regulari obſervantia non tenentur abſtinere: *Qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti.* Eos ergo excipit Pontifex a ſuo privilegio qui non modo voto, ſed etiam regulari obſervantia obſtricti ſunt abſtinere a carnibus. Quo ergo fundamento aſſerunt Sylveſter, & Salmanticenſes, eſſe duas prohibitiones, Eccleſiæ, & Religionis, &, ſublata prima, remanere ſecundam; cum Pontifex conceptis verbis declaret, ſe non auferre primam, ubi eſt ſecunda? Si privilegium abſolutum eſſet, omneſque indiſcriminatim diſpenſaret in eſu carnium; interpretationi datæ locus eſſet, nempe, ſublata univerſaliter lege eccleſiaſtica, remanere dumtaxat conſtitutionem monaſticam. Sed privilegium conditionatum, ſeu, ut ita dicam, hypotheticum eſt: diſpenſat enim in hypotheſi quod vi alicuius voti, aut regularis obſervantiæ non ſit obligatio abſtinentiæ. At, inquiunt Salmanticenſes, Pontifex declarat in dicto capite, legem abſtinentiæ a carnibus eſſe ex conſuetudine contraria totius Eccleſiæ derogatam; & ſolum

Digitized by Google

lum relinquit obligationem regularis obſervantiæ. Verum, ut falſitas iſtius aſſertionis evidenter pateat, non aliud exigitur, niſi ut ſanis oculis privilegium legatur. Tædet enim repetere, Pontificem declaraſſe, eos ſolos poſſe ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ generalis veſci carnibus in Nativitate Domini, die veneris recurrente, *qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti*. Hanc noſtram ſententiam propugnat primus benignitatis moralis patronus Bartholomæus Medina *in Inſtruct. Confeſſ. Lib. I. cap.* XIV. *§.* 10. cuius verba iſthuc transcribere lubet. *Dubium eſt an poſſint eam* (carnem) *comedere qui Regulam D. Dominici profeſſi ſunt. Ratio dubitandi adeſt, quoniam conceditur privilegium cunctis fidelibus; nobis autem non prohibetur comedere; ſed non comedimus propter noſtras conſtitutiones, nequaquam ad culpam obligantes. Ergo carnem edentes non facimus contra commune præceptum ieiunii, ſed contra noſtras conſtitutiones tantum. Ita viſum eſt nonnullis viris nimis diſertis, ut eſt Sylveſter, & P. Franciſcus a Victoria. Sed contrarium mihi certius videtur. Nam dicit privilegium, ut poſſit quis veſci carne illa die veneris, niſi aliquis ſit cui ex voto, aut regulari conſtitutione prohibeatur comedere. Nobis igitur, hanc habentibus conſtitutionem, non prodeſt hoc privilegium; & ſic remanet ratio iuris communis in ſuo antiquo vigore, & de iure communi eſt ut non comedatur caro die veneris. Religioſus ergo ſancti Dominici non poteſt illa veſci, cum tale non habeat privilegium.* Nequeunt ergo Superiores Ordinis Prædicatorum cum quoquam, ſublata infirmitatis cauſſa, dicta die diſpenſare in eſu carnium. Et reipſa numquam diſpenſant, ut publice carnes comedantur. Quod tamen, ſi privilegium illis faveret, præſtare poſſent. Siquidem finis privilegii eo ſpectat, ut publica populi lætitia magis ſolemne reddatur feſtum: ſeu propter excellentiam feſti, inquit privilegium, conceditur fidelibus publica talium epularum, carniumque comeſtio. Si ergo Prælati religioni ſibi vertunt diſpenſare cum tota communitate in tali die; graviori crimini ſibi ducere debent aliquibus privatis talem concedere facultatem: quoniam privata diſpenſatio ſolam privatorum commoditatem, non commune feſti gaudium ſpectaret. Quod autem conſtitutio obliget ſub culpa nec ne, nihil refert. Quandoquidem Pontifex ſe diſpenſare declarat ſolummodo eos qui nec voto, nec *regulari obſervantia* adſtricti ſunt carnium abſtinentiæ. Quod vero hæc regularis conſtitutio, præſcribens carnium abſtinentiam, nullo modo obliget ſub culpa, vel obliget ſub culpa veniali (ut ut res iſta ſe ſe habeat) non tollit quominus impedimento ſit, ne privilegium præfato ligamine devinctis faveat. P. Magiſter Thomas Milante *exercit.* XXIII. *in propoſit. Alexand. VII.* minus ſincere exponit pontificium privilegium, ut laxam, & falſam, meo quidem iudicio, opinionem defendat. Narrat, Pontificem excipere eos Regulares qui vel voto, vel Regula abſtinent a carnibus. Dominicani nec vi voti, nec vi Regulæ, ſed tantum vi

Cea-

Digitized by Google

Conſtitutionum a carnibus abſtinent. Ergo uti privilegio valent. Egregia ſane interpretatio, quam Pontifex ſummus in anteceſſum præfocavit, dum inquit, *qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti*. Magiſter noſter contendit, abſtinentiam Dominicanorum non eſſe regularem obſervantiam. Cur? Quia hæc non a Regula, ſed a *Conſtitutionibus* eſt præſcripta. Referri ne hæc commenta valent, quin derideantur? Pontifex ſummus, ut verus, & legitimus eccleſiaſticæ conſuetudinis interpres, a privilegio omnes eos excludit qui aut vi voti, ſub gravi culpa obligantis, aut vi *regularis obſervantiæ* a carnibus abſtinent. Dominicani vi regularis obſervantiæ carnium abſtinentiæ ſunt adſtricti. Ergo vi citati privilegii nequeunt præfatis diebus eaſdem comedere. Quod hæc regularis obſervantia præſcribatur vel a Regula, vel a Conſtitutionibus, perinde eſt. Et diſtinctio P. Milante vana omnino eſt, & arbitraria. Quare contraria opinio, ut ego quidem ſentio, nullo fruitur veræ probabilitatis gradu.

IV. Quæſt. II. *An qui vi voti tenetur ieiunare qualibet feria ſextà, teneatur ieiunium obſervare, etiamſi in eam incidat feſtum Nativitatis Domini?* Reſp. Niſi vovens præfatum diem exceperit, tenetur ieiunare, ut ex recitato privilegio clare colligitur. Et ſane votum ieiunandi omnibus ſextis feriis eſt certum, eſt de re bona, eſt abſolutum. Qua ergo ratione eximi vovens poteſt ab obſervantia? An quia expreſſe dictum diem non comprehenderit? Sed qui omnibus ſextis feriis ieiunare vovit, nullam feriam ſextam excluſit.

V. Obiiciunt Molina, Diana, Azorius, aliique. Sub generali promiſſione illa non veniunt quæ, ſi ſingillatim propoſita eſſent, non promitterentur. Sed, ſi dies Nativitatis Domini voventis menti occurriſſet, veriſimilius eſt quod vovens præfatum diem ſub ſuo voto non comprehendiſſet. Igitur dicendum, reipſa illum diem non includi in tali voto. Item nemo præſumendus eſt voluiſſe eſſe onerofus propriæ familiæ. Eſſet autem eiuſmodi vovens, ſi ſexta feria ſolus ieiunaret. Reſp. Si vera eſſet prima propoſitio, actum eſſet fere de omnibus votis, in quibus plures ſuperveniunt circumſtantiæ minime præviſæ: neque tamen ob id vota ceſſant, ut communiter Theologi docent. Secunda quoque propoſitio inepta eſt: tum quia, etiamſi vera eſſet, nihil concluderet: plures ſiquidem circumſtantias implere tenentur voventes, quas ſi prævidiſſent, certe eas a votis ſuis excluſiſſent: tum quia gratis aſſeritur quod vovens veriſimiliter excluſiſſet diem illum Nativitatis, ſi advertiſſet, ſi prævidiſſet. Cur quæſo hoc? Num quod circumſtantia mala ſit? num quod nemo voveat ieiunare tali die? Hæc ſolummodo poſſent eſſe fundamenta talis præſumptionis. Sed hæc erronea ſunt: quia & circumſtantia eſt de re optima; & reipſa Pontifex ſupponit, aliquos fideles vovere ieiunium etiam in tali die; cum eos excipiat qui voto ligantur. Præterquamquod ignorant ne fideles identidem recurrere feſtum Nativitatis die veneris? Secun-

Digitized by Google

cunda obiectio præcedente melior non eſt. Perſonale ſiquidem ieiunium non eſt onus adeo grave familiæ, ut obligationem voti dirimat. Nonne, ſi votum quis emitteret ieiunandi die dominica, teneretur illud implere? Certe familiæ onus ab obſervantia non excuſaret.

CAPUT XVIII.

De hora qua ieiunii, & abſtinentiæ obligatio incipit, & deſinit. Variæ hac de re quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. Omnes adfirmant, ieiunii eccleſiaſtici obligationem incipere a puncto mediæ noctis, & eodem puncto mediæ noctis ſequentis deſinere. Punctum ſive inceptionis, ſive terminationis mediæ noctis nequit, ubi horologia non ſunt, computari mathematice, ſed moraliter, iuxta communem incolarum exiſtimationem. Ubi vero horologia ſunt, illorum indicationi mathematice ſtandum eſt: quia, licet horologia communiter non indicent mathematice punctum temporis, quod fluit; indicant tamen horam, cui fideles ſtare debent. In hunc ſiquidem finem inſtituta ſunt horologia. Et hæc certa ſunt apud omnes. Idcirco ad ea reſolvenda accedimus quæ in controverſiam vocantur.

II. Quæſt. I. *An in ultima nocte bacchanalium cœnam differre poſt mediam noctem licitum ſit illis qui uſque ad mediam noctem ludis, & ſaltationibus vacant?* Reſp. Me ſane puderet hanc proponere quæſtiunculam, quæ ſua futilitate evaneſcit, quæve Chriſtianis indecora eſt. Verum, quia Paſqualigus eam proponit, &, quod peius eſt, eam defendit *deciſ.* clxi. *num.* 3. idcirco ſub examen illam vocavi. Dico itaque, minime licere producere cœnam ultra mediam noctem in dicta ultima nocte bacchanalium. Quandoquidem certum eſt diem cinerum incipere in mediæ noctis ultimæ bacchanalium puncto. Ergo certum eſt pariter eodem momento incipere ieiunii obligationem. Ita ſentiunt omnes Theologi. Quare Paſqualigi opinio a Diana, Leandro, ceteriſque Theologis, tamquam falſa, improbabilis, & fidelium pietati contraria, reiicitur. Quæri etiam ſolet, num detur parvitas materiæ in anticipatione, vel protractione cœnæ poſt mediam noctem. Adfirmat Paſqualigus *deciſ.* clix. & hanc parvitatem temporis dicit eſſe ſpatium infra horam. Negat Leander *tract.* v. *diſp.* vi. *quæſt.* xxviii. dari parvitatem materiæ. Inter has duas extremas opiniones diſtinguerem ieiunium naturale, quod neceſſarium eſt ad communionem, in quo nulla datur parvitas materiæ; & ieiunium eccleſiaſticum, in quo, ſicut in ceteris, videtur poſſe admitti materiæ parvitas. Si enim in omnibus præceptis poſitivis datur parvitas materiæ;

riæ; quidni in præcepto ieiunii quantum ad eius inceptionem, & terminationem? Sed hanc materiæ parvitatem infra dimidium quadrantem ego contraherem.

III. Obiicit Paſqualigus. Dies cinerum non incipit, niſi poſt mediam noctem ultimam bacchanalium: quia conſuetudine invectum eſt ut luſus, ſaltationes, & alia huiuſmodi producantur ultra mediam noctem. Quin præſumendum eſt, benignam matrem Eccleſiam nolle obligare fideles ut ieiunium a puncto illius mediæ noctis incipiant. Reſp. Productio ſaltationum, ludorum, aliarumque oblectationum ultra mediam noctem, non conſuetudo, ſed profanus abuſus eſt, homine chriſtiano indignus. Non ſolum autem Eccleſia in eiuſmodi relaxationes non conſentit, ſed expreſſe illas damnat.

IV. Quæſt. II. *An qui dubitat, num ſit nec ne media nox, comedere poſſit, quando die ſequenti ieiunare debeat?* Reſp. Probabiliſtæ dubium propoſitum diſtinguunt, & aiunt: Si hodie eſt præceptum ieiunandi, dubitaſque de mediæ noctis adventu, non potes cœnare, & carnes comedere: quia tunc poſſidet ieiunii præceptum, non libertas. E contrario, ſi craſtina die eſt ieiunandum, & dubitas hodie de auditione, ſeu puncto mediæ noctis, potes in hoc caſu comedere: quia, inquiunt, in dubiis melior eſt conditio poſſidentis: in caſu autem poſito libertas poſſidet: dubium enim eſt, inquiunt, ieiunium incepiſſe. Hæc ſunt mera probabilitatis inventa, non alio nixa fundamento, niſi ſtudio favendi, & morem gerendi humanis appetitionibus. Id alibi fuſo calamo oſtendemus, ubi palam fiet, regulam illam, *In dubiis melior eſt conditio poſſidentis*, ſolum in iuſtitiæ materia locum habere; in ceteris autem omnibus controverſiis hanc regulam ſolum valere, *In dubiis tutior pars eſt eligenda*. Quare in utroque caſu propoſito dicimus à cœna abſtinendum eſſe, donec dubitatio deponatur. Pariter dicimus debere abſtinere a carnibus tum illum qui dubitat die iovis, tum illum qui dubitat die ſabbati, num ſit media nox.

V. Quæſt. III. *An liceat ſequi unum horologium pro ieiunio eccleſiaſtico, & aliud pro ieiunio naturali?* Reſp. Non licet: quia, cum horologia ſint inſtituta ad deſignanda temporis ſpatia, eo ipſo quod unum audieris, dum de illius falſitate tibi non conſtat, illi adhærere debes. Quare falſum eſt quod aiunt Salmanticenſes *num.* 113. duo horologia eſſe duas opiniones probabiles; & poſſe quemque pro arbitrio modo unam, modo alteram ſeligere. Sed, ſicut in aliis rebus dubiis, ita & in hac, quod veriſimilius prudenter quiſque iudicat, tamquam regulam fixam ſuæ operationis, amplecti tenetur. Illud etiam eſt animadvertendum, quod quamvis non teneamur metiri mathematice punctum mediæ noctis, quod cognoſci nequit, niſi obſervato, & bene perſpecto ſtellarum curſu; debemus tamen, quoad fieri moraliter poteſt, plus minuſve, eidem accedere, ubi non ſunt horologia: ubi autem horologia ſunt, mathematice, ut diximus, horæ quam indicant, ſtandum

eſt

Digitized by Google

eſt. Sed quid dicendum de horologiis Italiæ noſtræ? De tranſalpinis enim nulla eſt difficultas: quoniam hæc revera quovis anni tempore, quatenus ars permittit, hora duodecima ſignant meridiem, & altera duodecima mediam noctem. Italica vero nec pro meridie, neque pro media nocte habent horam determinatam; ſed iuxta dierum varietatem hora quæ meridiem, aut mediam noctem ſignat, mutatur. Quod negotium faceſſit, eſt, horologium Italicum, quod campanæ vocatur, diverſum ab horologio ſolari, vigeſimam quartam horam pulſare media hora poſt ſolis occaſum. Ex quo conſequitur quod initium noctis menſurare incipiat media hora poſtquam reipſa nox ſuum curſum incepit; proindeque mediam noctem ſignet ſemihora poſtquam reipſa fluxit. Dabo exemplum. Hic Venetiis horologium divi Marci ſolare eſt, pulſatque horam vigeſimam quartam, dum ſol occidit; atque adeo illico curſum noctis menſurare incipit. Si ergo hoc horologium e. g. circa æquinoctium, hora ſexta ſignat mediam noctem, horologium campanæ hora quinta & dimidia ſignare debet eamdem mediam noctem: quia hoc horologium media hora poſt occaſum ſolis noctis curſum cœpit menſurare: quæ media hora, cum & ipſa noctem componat, debet in partitione noctis computari. Non computaretur autem, ſi tam horologium campanæ, quam ſolare eadem hora ſexta mediam noctem indicarent. Hæc dicta ſint pro iis qui Calendarium componunt, & horologia dirigunt. Nam Venetiis ſolum horologium D. Marci regula recta eſt pro ieiunii tum eccleſiaſtici, tum naturalis obſervantia. Et ii qui hanc ſciunt diverſitatem, tenentur ſe ſe conformare ad horologium D. Marci. Si omnia horologia, quemadmodum tranſalpina, diem, noctemque metirentur, nulla foret difficultas.

V. Quæſt. IV. *An, ſi quis, dum cœnat, audiat pulſus deſignantes mediam noctem teneatur deſiſtere a cœna, ſi die ſequente ſit ieiunandum?* Reſp. Negat Paſqualigus *deciſ.* 160. debere præfatum a cœna ceſſare: tum quia, quando cœnans audit pulſum horologii, eſt in poſſeſſione ſuæ libertatis; tum quia, quando res incepta eſt, acquirit ius ad ſuam terminationem. Diana hanc, aliaſque eiuſdem Paſqualigi opiniones ſimiles, tamquam falſas reiiciendas, aſſerit tract. VI. reſol. 38. *Verum*, inquit, *has opiniones refellendas eſſe puto: ſunt enim contra omnes Doctores, & contra praxim, & communem ſenſum omnium fidelium.* Si per ipſum Dianam opinio Paſqualigi prorſus improbanda eſt, tamquam omnibus Doctoribus contraria; quid amplius requiritur ad eam impugnandam? Debet itaque Chriſtianus in præfato caſu a cœna ceſſare. Ratio evidens eſt: quia, audito pulſu horologii indicante mediam noctem, ſtatim incipit dies ſequens: ergo incipit obligatio ieiunandi. Si autem proſequeretur cœnam inceptam, comederet intra tempus in quo urget præceptum abſtinendi a cibo. Ratio autem obiecta a Paſqualigo falſa eſt. Cœnans ſiquidem ſolum eſt in poſſeſſione continuandi cœnam uſque ad mediam no-

noctem ſignatam per pulſum horologii. En quo uſum poſſeſſionis faventis libertati extendunt. Ad ſecundum negatur, rem inceptam acquirere ius ad terminationem ſui, quando iura prohibent præfatam terminationem. In noſtro autem caſu præceptum ieiunii ſequentis prohibet continuationem cœnæ antecedentis. Inquirunt quidam, an poſſis expectare ultimum pulſum horologii; vel, audito primo, ceſſare debeas a cœna, ut valeas die ſequenti ad communionem accedere. Certum eſt quod primus pulſus ille eſt qui ſignificat mediam noctem, & indicat horam eſſe iam completam. Quare qui ad communionem accedere vellet, deberet, audito primo pulſu, abſtinere: quia in ieiunio naturali parvitas materiæ non datur. Levia ſunt hæc: neque incuſandi Theologi, quod ea proponant, ſed potius Chriſtiani, qui iam omnia tempora perverterunt, & momenta carpunt quibus gulæ indulgere valeant. Heinc quærunt alii, quantum temporis inſumendum ſit in prandio ieiunii die. Neque a conſuetudine, neque a lege deſignata eſt temporis quantitas ſive pro prandio, ſive pro cœna; ſolummodo ſtatutum habemus cœnam protrahi non poſſe ultra mediam noctem. Aliqui plus, alii minus temporis in refectionibus conſumunt. Fraus ſolum vetita eſt. Quare, ſi quis prandium produceret uſque ad noctem, ut ieiunii incommodum evitaret, ageret contra præceptum ieiunii. Inſuper temperantiæ regulæ præ oculis ſemper habendæ, & maxime ieiunii tempore obſervandæ ſunt. Quapropter plurimorum, potiſſimum nobilium, mos protrahendi oppipara prandia ieiunii tempore ad plures horas, omnino improbandus eſt. Quoniam tempus ieiunii tempus eſt pœnitentiæ. Et tamen, o tempora, o mores! numquam fortaſſis coquinæ tam varios efflant odores, numquam coqui diutius ingenia torquent, numquam artis ſuæ delicatiora inventa exequuntur frequentius, quam in quadrageſimali ieiunio. Sed qui hæc peragunt, parvi ſane faciunt ſalutis ſuæ unicum, maximumque negotium.

CAPUT XIX.

De perſonis quæ ad ieiunium obligantur. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. NOn una eſt Catholicorum ſententia de tempore quo præceptum ieiunii adſtringere incipiat iuvenes, & definat obligare ſenes. Sed, variis opinionibus prætermiſſis, divi Thomæ ſententiam, communi Theologorum conſenſu firmatam, amplectimur. Angelicus autem non obligat fideles ad ieiunium, niſi poſt expletum annum vigeſimum primum: & hanc ſuæ ſententiæ rationem prodit 2. 2. quæſt. CXLVII. art. 4. ad 2. *In pueris maxime eſt evidens cauſſa non ieiunandi: tum propter debilitatem naturæ, ex qua provenit quod indigent frequenti cibo,* &

& non multo ſimul aſſumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter neceſſitatem augmenti, quod fit de reſiduo alimenti. Et ideo, quamdiu ſunt in ſtatu augmenti, quod eſt (ut in pluribus) uſque ad finem tertii ſeptennii, non tenentur ad eccleſiaſtica ieiunia obſervanda. Conveniens tamen eſt ut etiam in hoc tempore ſe ad ieiunandum exerceant plus vel minus ſecundum modum ſuæ ætatis. Hanc divi Thomæ ſententiam omnes fere Theologi excipiunt, ſi ſermo ſit de obligatione quæ oritur ex præcepto. Ceterum ex pluribus aliis titulis adoleſcentes ante dictam ætatem ad ieiunium quandoque obligantur. In primis obligari poſſunt a ſuperioribus, qui pro repellenda aliqua gravi calamitate ieiunium etiam pueris indicere valent; ut ſubdit idem Angelicus in citata reſponſione ad ſecundum. *Quandoque tamen, magna tribulatione imminente, in ſignum pœnitentiæ arctioris etiam pueris ieiunia indicuntur; ſicut etiam de iumentis legitur Ionæ* 111. „ Homines, & iumenta non guſtent quidquam, nec aquam bibant." Sed quid, quando iuvenes valde robuſti, & fortes ſunt? Adfirmat Durandus in *IV. diſt.* xv. *quæſt.* x. *art.* 4. quia, inquit, res naturales non eadem celeritate, eodemque modo perveniunt ad proprium terminum. Quare, licet cum D. Thoma non obliget iuvenes ante vigeſimum primum annum expletum; eos tamen qui robuſti ſunt, & in quibus natura citius attigit ſuum terminum augmenti, ad ieiunium adſtringit. Hæc opinio Durandi ſatis conformis eſt naturali æquitati. Ceterum Eccleſia non attendit ad id quod in uno, aut in altero evenit; ſed ad id quod communiter contingit. Adoleſcentes autem communiter non attingunt terminum augmenti, niſi poſt expletum annum vigeſimum primum. Eiuſmodi tamen iuvenes fortes, & robuſti aliquando, ſin lege Eccleſiæ, lege tamen naturali adſtringuntur cohibere concupiſcentiam, carnemque moderata inedia ſubigere. Idcirco dictum eſt ieiunium abſolute iure naturali præcipi: quo remedio poſtea in praxi quiſque uti tenetur, prout magis, vel minus indiget. Inſuper animadvertendum eſt, quod ait Angelicus, nempe conveniens eſſe, & magnopere conſentaneum ut iuvenes exerceantur omnes, potiſſimum expleto anno quartodecimo, in ieiuniis. Et ſane valde probabilis mihi videtur ſententia, iuvenes ſanos teneri, aliquibus ſaltem diebus, in Quadrageſima ieiunare poſt annum quartumdecimum. Quod aperte indicat D. Thomas in IV. diſt. xv. art. 2. quæſtiunc. 3. in cor. *Sed quia, quanto ad terminum prædictum appropinquant, tanto virtus naturæ magis roboratur, & augmentum tardius procedit, cum in quinque primis annis perveniat puer ad medietatem totius augmenti, ut Phil. dicit; ideo ſecundum quod magis appropinquant ad prædictum terminum, ſunt eis ieiunia magis commenſuranda.* Hanc obligationem, non tam ex Eccleſiæ præcepto, quod communitatem fidelium ſpectat, quam ex iure, & æquitate naturali, & ex neceſſitate mortificationis in iuvenibus repeto. Parochorum vero, Confeſſariorum, & parentum eſt ipſos imbuere, & hanc obligationem do-

Digitized by Google

docere. Si enim illis narrant privilegium quod a præcepto Eccleſiæ eos eximit; potiori iure illis ob oculos ponere debent neceſſitatem & ſe aſſueſaciendi obſervantiæ præceptorum Eccleſiæ, & comprimendi rebellionem appetituum, & carnem ſpiritui ſubigendi. Quodnam, quæſo, naturæ iuvenum poſt annum quartum decimum nocumentum inferre poteſt unum vel alterum ieiunium in hebdomada? Valde vero conferre poteſt tum ad aſſuetudinem, tum ad concupiſcentiæ refrenationem. Ieiunare etiam tenentur iuvenes, ſi votum ieiunandi aliquot diebus emittant. Item, ſi Confeſſarii pro criminum pœnitentia aliqua moderata illis ieiunia imponant, ea implere adſtricti ſunt. Quamvis autem iuvenes non obligentur communiter ad ieiunandum, niſi expleto tertio ſeptennio; tenentur tamen abſtinere a carnibus, aliiſque cibis vetitis, ſtatim ac uſu rationis præditi ſint; quod circiter ſeptennium primum contingere ſolet: peccantque qui illis cibos vetitos ſubminiſtrant. Tandem adoleſcentes ſoluti ſunt ab obligatione ieiuniorum, ſive communitatis, ſive Synodi: quoniam, ſi ob defectum ætatis liberi ſunt a præcepto univerſali Eccleſiæ; multo magis immunes erunt a voto, vel præcepto peculiari alicuius civitatis, vel Synodi.

III. Quæſt. I. *An iuvenes qui explent annum vigeſimum primum, vel poſt inceptam Quadrageſimam, vel poſt horam tertiam diei ieiunii, ad ieiunium teneantur?* Reſp. Omnes communiter adfirmant, eos qui poſt inceptam Quadrageſimam complent tertium ſeptennium, ad ieiunium teneri, ſi vel unicus dies ſupereſſet poſt annos expletos. Ratio evidens eſt: quia præceptum Quadrageſimæ individuum non eſt, ſed integrale, reſpiciens quadraginta dies tamquam partes. Qui ergo non poteſt totum, tenetur ad partes, quas implere valet; ut ſæpius dictum eſt. Circa ſecundum membrum quæſiti diſſidium eſt inter Auctores. Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* XII. contendit, non teneri ad ieiunandum iuvenes qui poſt inceptum ieiunii diem ætatem ieiunandi complent. Sed communior, & probabilior eſt ſententia oppoſita, quam defendunt Sanchez *Lib. II. de matr. diſp.* XXIV. *num.* 23. Bonacina *diſp. ult. de præcep. Eccleſ. punct. ult. num.* 7. Lezana *ver. Ætas*. Portel. in *dub. Reg. verb. Ieiun.* Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 6. *num.* 120. Ratio eſt: quia eo momento quod proxime conſequitur annum vigeſimum primum, præceptum ieiunii obligare incipit: ergo, quacumque diei hora, ſive tertia, ſive ſexta, ſive nona anni compleantur, præceptum ſtatim adſtringit. Et reipſa in ſuſceptione Ordinum, in profeſſione religioſa, in matrimonio anni computantur a momento in momentum. Nec alicuius ponderis eſt ratio Leandri, nempe præceptum ieiunii reſpicere integrum diem, ut individuum obiectum. Quoniam ſæpius dictum eſt, præcepta morum moraliter accipienda eſſe, & ſecundum regulas prudentiæ. Præceptum ieiunii obligat per integrum diem eos qui per integrum diem ieiunare poſſunt, & tenentur; alios autem obligat iuxta eorum ſtatum; ut

patet in illis qui diſcedentes a loco ubi non eſt ieiunium, & pergentes ad locum ubi præcep tum urget ieiunandi, ad ieiunium tenentur.

IV. Quæſt. II. *An Regulares profeſſi teneantur ad ieiunia Eccleſiæ ante expletum annum vigeſimum primum?* Reſp. Communis ſententia docet, præfatos Religioſos non teneri: quia eadem ratio eſt de iuvenibus religioſis, ac ſæcularibus.

V. Quæſt. III. *An Regulares iuvenes, nondum expleto tertio ſeptennio, teneantur ad ieiunia Regulæ quam profeſſi ſunt?* Reſp. Medina in *Inſtruct. Conf. Lib. I. cap.* XIV. *§.* 10. cum paucis aliis negat, præfatos iuvenes teneri. Sed hæc opinio evidenter falſa eſt: & idcirco communiter Theologi eam improbant. Quandoquidem quiſque ante vigeſimum primum annum votum emittere poteſt ieiunandi. Si voto ieiunii ſponte quiſquis ſeſe obligare poteſt, quod nemo negat; cur non obligabitur, quoties voto ſe ſe obſtringat obſervare Regulam, quæ ieiunia præſcribit? Sed Regulares iuvenes profeſſi votum emiſerunt conformandi vitam ſuam ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum. Ergo tenentur ſervare ieiunia quæ Regula præcipit ſub eo onere quod Regula imponit. Si Regula præcipit obſervari ieiunia tum Eccleſiæ, tum alia quæ ipſa præſcribit, ſub mortali, ut Regula S. Franciſci; tenentur ſub mortali: ſi ſub veniali, ut Regula Carmelitarum; tenentur ſub veniali: ſi ſub ſola pœna corporali, ſecus ſub pœna culpæ etiam levis, ut Regula Prædicatorum; tenentur ſub præſata pœna. Sanchez *Lib. VII. cap.* XI. *num.* 56. Azorius *Lib. VII. cap.* XXVII. *quæſt.* III. Ledeſma *II. Part. tract.* XXVII. *cap.* II. *concl.* 5. *difficult.* 2. Villalobos *tract.* XXIII. *diff.* 4. *num.* 5. Fagundez *de* 4. *præcep. Eccl. Lib. I. cap.* VIII. *num.* 8. Lezana *verb. Ieiunium*. Trullenchus *Lib. III. in Decal. cap.* II. *dub.* 2. *num.* 1. Sylvius 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 4. Reginaldus *Lib. IV. cap.* XVII. *num.* 207. Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* IX. VVigandt *tract.* V. *exam.* IV. *num.* 88. Sporer in *append. ad* 3. *præcep. Decal. ſect.* 4. *num.* 49. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 6. *num.* 121. & communiter alii omnes, paucis exceptis. Quare nullo modo reputanda eſt probabilis contraria ſententia; licet probabilem eam appellet, & ut talem lectoribus ſuis proponat P. Viva *quæſt.* X. *art.* 6. *numer.* 4.

VI. Quæſt. IV. *An dubitans, num annum vigeſimum primum expleverit, teneatur ieiunare?* Reſp. Negant communiter Probabiliſtæ, illi principio nixi, quod in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Sed quia nos hoc principium in ſola iuſtitiæ materia valere, ſuo loco demonſtrabimus; idcirco nunc aſſerimus debere præfatum dubitantem ieiunare ob illud veriſſimum, & univerſale principium, quod in dubiis tutior pars eſt eligenda.

VII. Quæſt. V. *Num ſenes qui annos ſexaginta compleverint, ſoluti ſint a lege ieiunii?* Reſp. Solutos eſſe a ieiunii lege vi ætatis ſexagenariæ ſenes, non modo debi-

Digitized by Google

debiles, ſed & robuſtos, forteſque, eo modo quo liberi ab eadem lege ſunt iuvenes ante annum vigeſimum primum, docent plures recentes, Trullenchus *Lib. III. in Decal. cap.* 11. *dub.* 7. *numer.* 3. Granados 1. 2. *contr.* 7. *tract.* 111. *diſp.* VI. *quæſt.* 1. *ſect.* 5. *num.* 35. Leander *tract.* V. *diſp.* VIII. *quæſt.* XVII. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* 11. *punct.* 7. *numer.* 130. ubi referunt declarationem viva voce datam a S. Pio V. Sporer in *append. ſect.* 4. *numer.* 50. Viva *quæſt.* X. *artic.* 6. ex auctoritate Dianæ.

VIII. Senes ratione ætatis ſexagenariæ nullo modo excuſantur a ieiunio. Idcirco enim excuſantur iuvenes, quia certum eſt eos creſcere, eorumque naturam augeri, & conſequenter nutrimento indigere frequenti. Quapropter D. Thomas, aliique ſancti, graveſque Theologi declararunt, iuvenes ante annum vigeſimum primum ſolutos eſſe a ieiunii lege. Nemo autem neque ſanctorum, neque graviorum Theologorum eximit ſenes ſexagenarios, nec ſeptuagenarios a ieiunii lege ratione præciſe ætatis; ſed ſolum frequentius excuſantur ſenes, quia frequentius in ſenectute occurrunt cauſſæ diſpenſationis. Sic docent ſancti, & antiqui Doctores. S. Vincentius Ferrerius *ſer.* 1. *fer.* 4. *ciner.* A ieiunio excuſantur *ſenes in certa ætate, ſcilicet quando habent talem ſenectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi, vel quia perdiderunt dentes, & comedunt ſæpe, vel ſæpius, ſicut faciunt pueri. Sed ſenes octoginta annorum, vel amplius, qui ſemel bene poſſunt comedere, tales non excuſantur in aliquo prædictorum; quin ipſi peccant mortaliter: & ideo cum diligentia omnes ieiunemus.* S. Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* 11. *§.* 6. inquit. *Senes, ſi ſunt multum debiles, eo modo poſſunt excuſari, ſicut dictum eſt de infirmis. Ratione autem ſenectutis tantum non excuſantur, ſi ſint fortes ad ſufferendum ieiunium. Nec eſt determinata ætas ab aliquo uſque ad quos annos quiſque tenetur ad ieiunium.* Navarrus hanc eamdem defendit ſententiam in Man. cap. XXII. num. 16. *Impotentia eximit ab hac lege pueros uſque ad vigeſimum primum annum: hæc eadem eximit ſexagenarios ſenes ſecundum communem: quamvis ſanctus Thomas nihil de hoc dicat: & merito, quia, ut ibi ait Caietanus, alii aliis citius fiunt ad id impotentes: & ideo arbitrio prudentis, aut ſuperioris id relinquendum eſt. Et quidem (gratia Deo) octuageſimum annum agens perinde poſſum ieiunare, ac cum agerem ſexageſimum, immo & quinquageſimum.* Ioannes Pontas, qui noſtram, communemque ſententiam defendit, poſt relatum Navarri deſcriptum teſtimonium de ſemetipſo hæc addit verb. *Ieiun.* caſ. 18. *Idem de nobis affirmare poſſumus, qui octuageſimum ſeptimum ætatis noſtræ annum menſe ianuario an. 1725. attigimus.* Omnes fere ſenes quos ipſe agnovi, & agnoſco, exceptis debilibus, & infirmis, felicius quam iuvenes viginti quinque, & triginta annorum, & viri quinquaginta annorum, ieiunant. Quare, ut dixi, hæc noſtra ſententia communiſſima eſt penes graviores Theologos. Sylveſter *verb. Ieiun.* Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *artic.* 4. Medina in *Inſtruct. Conf.*

Lib. I. cap. XIV. *§.* 10. Ludovicus Lopez *II. Part. Inſtr. tract. de pœn. cap.* III. Toletus *Lib. VI. Sum. cap.* IV. *num.* 12. ambigue tamen loquitur. Armilla *verb. Ieiun.* Layman *Lib. IV. tract.* VIII. *cap.* III. *numer.* 1. Valentia 2. 2. *diſput.* IX. *quæſt.* II. *punct.* 5. Tannerus *diſp.* III. *quæſt.* III. *dub.* 5. *num.* 192. Leſſius *Lib. IV. cap.* II. *dub.* 6. *num.* 112. Reginaldus *Lib. IV. cap.* XVII. *ſec.* 1. *num.* 209. Azorius *Lib. VII. cap.* XVII. *quæſt.* 1. Villalobos *Tom. I. tract.* XIII. *diff.* 4. *num.* 6. Bonacina *diſp. ult. de præcep. Eccl. quæſt.* 1. *punct. ult. num.* 4. Ledeſma *Tom. II. Sum. tract.* XXVII. *cap.* 11. *dub.* 3. Ioannes a Cruce *Part. I. direct. præc.* III. *art.* 4. *dub.* 9. *concl.* 2. Fernandez *Part. II. Sum. cap.* VIII. *§.* 2. *num.* 20. VVigandt *tract.* V. *exam.* IV. *num.* 91. Paulus Gabriel Antoine *in append. de ieiun. quæſt.* VII. Unde contraria opinio nullo probabilitatis gradu fruitur. Dum hæc ſcribo, ſexageſimum annum ago, & felicius nunc quam ætate triginta, vel quadraginta annorum ieiunia obſervo. Quare opinio oppoſita pugnat cum experientia, pugnat cum doctrina SS. Patrum. Unum allegare Baſilium ſufficiat. *Senibus aſſuetudo ac familiaritas ab antiquo ad ipſum* (ieiunium) *levem facit laborem*: ſerm. 2. de ieiunio.

IX. Obiiciunt PP. Salmanticenſes *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 7. *num.* 130. S. Pius V. anno 1570. de hoc interrogatus, viva voce reſpondit, eſſe excuſatos; ut teſtatur Llamas *III. Part. methodi cap.* V. *§.* 20. *Ergo ita tenendum eſt*. Fateor me, legentem hanc decretoriam deciſionem, Llamæ auctoritate unice fultam, maximam erga talem Auctorem concepiſſe exiſtimationem, eumque reputaſſe primi ſubſellii Doctorem. Et, cum mihi ignotus eſſet, eius librum ſollicite conquiſivi; ac præter expectationem reperii Summulam parvulam, ſeu collectionem quamdam dubiorum, ex aliis Auctoribus conſarcinatam. Quæ hac de re habet, iſthuc tranſcribo, ut inde lector colligat, quanti ſit faciendus Llamas iſte. Parcat lector, ſi prolixior fuero quam oporteat: quia a multis admonitus fui, plurimos auctoritate Llamæ decipi. *Non etiam* (inquit loc. cit.) *ſecundo obligantur ieiuniis eccleſiaſticis ſenes: qui autem ſenes dicantur, & in qua ætate deobligentur, nemo dixit determinate hucuſque, neque aliquo iure cautum video, nec taxatum. Tamen gratias Deo, quod deinceps regula tenebitur certa, a ſummo Eccleſiæ Paſtore decreta. Pius enim quintus, ſanctiſſimus Pontifex, anno* 1570. *viva voce, tum etiam in bulla Cruciatæ, ab eodem conceſſa anno* 1569. *& anno* 1570. *decernit homines ſexagenarios ad ieiunium non teneri ex Eccleſiæ præcepto. Excipit enim illos, etiam ſi Regulares eſſent, ab abſtinentia ovorum, & lacticiniorum in Quadrageſima, cum alios Regulares omnino extra privilegium quoad hoc reliquerit, etiam accipientes Cruciatam. Inſuper interrogatus viva voce aſſeruit, & certe ſatis iuſte: nam, cum infirmitas a ieiunio liberet, & ſenectus infirmitas magna ſit, immo infirmitatum congeries, & incurabilis morbus, ut optime Caietanus in Summa verbo Ieiunium, ſatis commode annus* 60. *taxatur, qui medius eſt, hiſce præcipue temporibus debiliſſimis, quibus vix ad talem æta-*

ætatem pervenitur, ne dicam robuſte ad ieiunandum vivitur. Omnia verba tranſcribere placuit, ut inde colligas, Salmanticenſes fidem nimis cæcam adhibuiſſe Llamæ, quem ipſos non legiſſe probabile eſt; ſed de more apud alios citatum retuliſſe illius teſtimonium, ex quo intulerunt: *Ergo ita tenendum eſt*. Sed verba Llamæ expendamus. *Pius V. anno* 1570. *viva voce, tum etiam in bulla Cruciatæ, ab eodem conceſſa an.* 1569. *& an.* 1570. *decrevit homines ſexagenarios ad ieiunium non teneri ex Eccleſiæ præcepto. Excipit enim illos ab abſtinentia ovorum*. Quot falſitates, quantum confuſionis, quor diſparata ſophiſmata paucis in verbis? Statuit, & viva voce, & bulla Cruciatæ Pium V. diſpenſaſſe ſexagenarios. Bulla Cruciatæ Hiſpaniæ, Luſitaniæ, aliiſque paucis provinciis conceſſa eſt. Illud vivæ vocis oraculum eſt ne univerſale pro omnibus fidelibus, pro quibus certe non eſt bulla Cruciatæ? Cur cum bulla Cruciatæ copulatur illud vivæ vocis oraculum? Deinde quæ documenta producuntur, quæ teſtimonia in confirmationem illius *vivæ vocis?* Nulla. In re ergo tanti momenti, qualis eſt declaratio doctrinalis pontificia, unius Summiſtæ confuſiſſimæ narrationi ſtandum erit? Quid quod Navarrus, Auctor graviſſimus, & Pio V. ſuppar, difficultatem hanc verſans, iſtius *vivæ vocis* nec verbum facit, facturus certiſſime, ſi vera fuiſſet talis vox? Quid quod reipſa eam impugnat? Ait namque in *Man. cap.* XXI. *num.* 16. nihil de hoc determinaſſe D. Thomam: & merito, inquit, quia alii citius, alii tardius ſeneſcunt: quare id arbitrio prudentis relinquendum concludit. An, ſi Pontifex ſummus ſuo tempore declaraſſet, ſexagenarios ad ieiunium non teneri, aſſeruiſſet id incertum eſſe Navarrus? qui tempore Pii V. Romæ degebat, ipſique Pontifici, ac illius ſucceſſoribus percarus fuit (ut legitur in illius Epitaphio apud Bellar. de Script. edit. Venet. *Martinus Navarrus ... Romam profectus, Pio V. Gregor. XIII. Sixto V. P.P. M. M. carus*.) Nonne hoc ſatis eſſet ad reiiciendam, tamquam falſam, & arbitrariam, Llamæ narrationem? Verum Llamas ipſe ſe ſe manifeſtæ falſitatis reum prodit. Ait, in bulla Cruciatæ Pium V. declaraſſe, ſexagenarios *ex præcepto Eccleſiæ* ad ieiunium non teneri. Ut falſitas evidens evadat, integrum bullæ paragraphum tranſcribo. *Item, ut dicto anno durante in omnibus & ſingulis regnis, inſulis, locis, terris, oppidis, & dominiis prædictis (& non extra illa) carnibus de conſilio utriuſque medici temporibus ieiuniorum totius anni, etiam quadrageſimalibus veſci, ac pro eorum libito ovis, & lacticiniis; ita quod qui carnes comederint, ſervata in ceteris ieiunii eccleſiaſtici forma, dicto ieiunio ſatisfeciſſe cenſeantur. Et ſub hoc indulto veſcendi carnibus, ovis, & lacticiniis comprehenduntur omnes cuiuſvis militiæ regularis. Patriarchis vero, Archiepiſcopis, aliiſque inferioribus Prælatis, nec non aliis perſonis regularibus, & qui in ordine presbyteratus fuerint ſæcularibus id minime conceditur, niſi ſexagenarii fuerint*. Duas itaque falſitates ſcribit Llamas. Prima eſt, quod aſſerit Pium V. declaraſſe, ſexagenarios *ex præcepto Ec-*

cleſiæ ad ieiunium non teneri. Ubi in toto illo paragrapho vel minimum verbum de præcepto Eccleſiæ? Quin Pontifex conceptis verbis docet, privilegium reſtringi ad illa determinata pauca regna, *& non extra illa*. Sermo eſt igitur de ſolo privilegio indulto illis regnis quibus bulla Cruciatæ conceſſa eſt. Falſus eſt ergo Llamas ex hoc capite, dum aſſeruit, Pontificem declaraſſe, ex præcepto Eccleſiæ ſexagenarios non teneri ad ieiunium. Quid plura? Falſus quoque eſt, aſſerens, vel vi ipſius bullæ Cruciatæ Pontificem diſpenſaſſe ſexagenarios a ieiunio. Solum namque eos exemit ab abſtinentia a carnibus, & lacticiniis; ut ex ſola lectione citati textus patet. Porro ex conceſſione lacticiniorum inferre diſpenſationem a ieiunio eſt conſequentia diſparatiſſima, propria Summiſtæ Llamæ; non declaratio pontificia. Si vero hic Summiſta non erubuit evulgatæ bullæ, non ſenſum modo, ſed narrationem de præcepto Eccleſiæ, & diſpenſationem a ieiunio omnino falſam affingere; anne fides habenda ei erit in arbitraria aſſertione de vivæ vocis oraculo? Quid, ſi vellem alias ſubiicere evidentiſſimas falſitates, quas Auctor iſte, non dico in tota ſua Summula, ſed in hoc ipſo de ieiunio tractatu venditat pro veris? At unicam ſufficiat indicare, quam eidem Pio V. & Gregorio XIII. & Sixto V. aliiſque Pontificibus adſcribit, dum *loc. cit. §.* 26. non erubeſcit aſſerere, tamquam rem certam, præfatos Pontifices declaraſſe & vivæ vocis oraculo, & bulla Cruciatæ, quod illi qui ſunt diſpenſati a carnibus, ſint diſpenſati quoque eo ipſo a ieiunio. Quod, ut dixi, evidentiſſima falſitas eſt. Quoniam, ut vidimus *cap.* IV. Gregorius XIII. aperte aſſerit oppoſitum in ſua bulla Cruciatæ, ut eſt apud P. Graveſon *colloq.* VI. *in hiſt. ſæculi* 16. ſic enim legitur .... *ita quod qui carnes comederint, ſervata in ceteris ieiunii eccleſiaſtici forma &c.* &, ſi univerſus ille paragraphus præfatæ bullæ perpendatur, particulam *non* typographorum oſcitantia irrepſiſſe in eamdem bullam conſtabit. Ut ut res iſta ſe habeat, illud certiſſimum eſt, in ea bulla ſermonem haberi de ſolis illis regnis, ubi eadem recepta eſt, & ſolis dubitanter infirmis, iudicio utriuſque medici diſpenſatis. Quam ob cauſſam P. Franciſcus Vidal *tract.* XVII. *append.* 2. ad VVigandt *exam.* II. *de bulla Cruc. quæſt.* III. *num.* 5. docet, diſpenſatum per bullam cruciatam in eſu carnium non teneri ad ieiunium; negat tamen hinc inferri, non teneri alios qui diſpenſantur, non vi bullæ, ſed ab Epiſcopo, vel ab alio ſuperiori. Quidquid ſit de hac opinione, in cuius probationem falſas omnino rationes Auctor promit, ex eadem etiam conſtat, nec verbum ibi haberi de fidelibus univerſis, nec de iis qui non infirmitatis titulo, ſed ſolummodo ob piſcium, lacticiniorumque faſtidium carnes comedunt: quos teneri ad ieiunia Navarrus, qui præfatis Pontificibus ſuppar fuit, & iam communiter Theologi docent. Ex quibus omnibus colligitur, Llamam, bona utique fide, ut ſuppono, falſitatem manifeſtam ſcribere de eiuſmodi ſummis Pontificibus, qui nec vivæ vocis oraculo, nec in bulla Cruciatæ concedunt quod ipſe aſſerit. Parcat lector iuſto

iuſto zelo, piæque iracundiæ, ſi aſpera aliquantulum fuit oratio: quoniam non poteſt non accendi Chriſti caritas, cum videt obtrudi facta manifeſte falſa, quæ cum magno animarum damno pro morum regulis ſuſcipiuntur. Si enim vel ipſi Theologi Salmanticenſes tantum tribuunt Llamæ narratiunculæ, ut ſcripſerint: Ita Llamas, *ergo ita tenendum eſt*: quanto maiore obſequio lectores non adeo periti dicta ſimilium Summiſtarum ſuſcipient? Verum de hoc pluſquam ſatis. Solum igitur prudentum ſuperiorum arbitrio relinquendum eſt, ut definiant, quando ſenes, non ratione ætatis, ſed morborum, qui provectam ætatem comitari ſolent, indigeant a ieiunio diſpenſari. Expendenda hic eſſent quæ ex aliis tranſcribit P. Patritius Sporer. Sed brevitatis gratia miſſa facio.

X. Quæſt. VI. *Num ſenes regulares expleta ſexagenaria, & mulieres moniales expleta quinquagenaria ætate eximantur a ieiuniis propriæ Regulæ?* Reſp. Leander *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* XIX. *& ſeq.* in primis tamquam quid probabilius ſtatuit, citius feminas quam homines ſeneſcere: & conſequenter reſolvit, mulieres quinquagenarias ſolutas eſſe a ieiunii lege; allegatque alios recentiores, hanc ſuam opinionem propugnantes; atque invehitur adverſus Layman, eo quod hanc opinionem, tamquam improbabilem; reiiciat. Probabilem quoque eſſe hanc opinionem, defendit P. Viva *quæſt.* x. *art.* 6. *num.* 8. ob auctoritatem Dianæ, ad cuius tribunal qualibet fere pagina morales quæſtiones revocat. Addit P. Viva, deſinere obligationem hanc in feminis quinquageſimo anno *inchoato*. Hæ ſunt opiniones quæ populo arrident. Ego autem non modo improbabilem, ſed laxam, ſed ſcandali plenam, hanc appello opinionem, mecumque appellabunt omnes docti & pii, ſi ad id animum intenderint quod addit præfatus Leander. Quæſtione ſiquidem ſequenti in controverſiam vocat, num præfati Religioſi, & Religioſæ liberæ ſint a ieiuniis propriæ Regulæ. Refert ſententiam affirmantem, tum mulieres quinquagenarias, tum viros ſexagenarios ſolutos eſſe a dictis ieiuniis: & futiliſſima diſtinctione præmiſſa, ait vi Regulæ obligatos eſſe Religioſos, & Religioſas; ſed ratione ſenectutis liberos eſſe a præfato ieiuniorum onere. Anne dubitandum quod ratione promiſſionis factæ, eſſent obligati Religioſi profeſſi? Reſpondet recentior Caſuiſta P. Viva *quæſt.* x. *art.* 4. (ubi alios paucos, quos legit apud Dianam, citat) præſumi poſſe, *nolle Regulam obligare ſub mortali eum quem non vult Eccleſia obligare. Et idem dicitur de ſexagenariis*. Præſumendum ergo eſt, Regulas monachales non obligare ſub culpa ſuos Religioſos? Cur? Quia ſub culpa eos non obligat Eccleſia. Quis definivit, eos Eccleſiam non obligare? Nonne ſolida ratio tantæ præſumptionis? Concludit P. Viva. *Qui vovit tota vita ieiunare ſingulis ſabbatis, probabiliter non tenetur, quando eſt ſexagenarius*. Quod opinio iſthæc, potiſſimum ſi ad Regulares reſtringatur, non modo improbabilis, ſed laxa, & ſcandalorum plena ſit, manifeſtum eſt. Quandoquidem, ſi Sanctimoniales quinquage-

Digitized by Google

nariæ, & Regulares ſexagenarii exempti ſunt a ieiuniis Regulæ proprii ordinis, quis cœnobiis, & monaſteriis præſidebit? Hæc eſt enim ætas aptiſſima ad cœnobiorum regimina, ut omnes fatentur. Porro, ut omnes itidem docent, ſuperiores exemplo ſubditis ſuis præire debent. Quin Regulæ ipſæ, & ordinum conſtitutiones a præfecturis excludunt eos qui ad onera profeſſionis implenda apti non ſunt. Si ergo ſexagenarii, & quinquagenariæ eximuntur a ieiuniis; quis cœnobiis, & monaſteriis præerit? Quis ieiuniorum obſervantiam promovebit? An ſexagenarii, & quinquagenariæ, ventre pleno, ſubditis ieiunia prædicabunt? Hæc itaque opinio diſciplinæ regulari infeſta eſt, laxitatem in cœnobia invehit, atque aures ipſas offendit. Ratio quam in mulierum ſavorem hæc opinio producit, inanis eſt. Mulieres, inquit, quinquagenariæ ineptæ ſunt ad conceptionem: ergo etiam ad ieiunia. Quid ineptius dici valeat, non video. Hac ratione deberet Leander cum aliis ſuis recentioribus obligare viros fortes, & ſanos ſexagenarios ad ieiunium: quia certe iſti apti ſunt ad generationem. Sed, ut clarius perſpicias, quo tandem pertingat iſtius opinionis laxitas, animadvertas velim, ex illa conſequi, mulieres, ſaltem nuptas, toto vitæ ſuæ curſu communiter ſolutas eſſe a lege ieiunii. Quandoquidem uſque ad vigeſimum primum, defectu ætatis, liberæ ſunt a ieiunio. Poſtea, ſi nuptæ ſint, ut debitum maritis robuſtis frequenter petentibus ſolvere valeant, ad ieiunium non tenentur, quemadmodnm Leander cum aliis docet. Prægnantes, & lactantes pariter non adſtringuntur. Quouſque ergo ad generandum ſunt aptæ, a lege ieiunii excuſantur. Si ergo inhabiles ad generandum factæ a ieiunio quoque eximerentur; certe conſequens foret, mulieres nuptas vix umquam ad ieiunium teneri; maxime quod iuxta P. Viva quinquageſimo anno *inchoato* mulieres ad ieiunium probabiliter non tenentur. Vides nunc, quam merito reiecerimus hanc opinionem, tamquam improbabilem, falſam, laxam, ſcandali plenam, & diſciplinæ regulari infeſtam? Quoniam, ut communiter Theologi docent, quibus accedit & ipſe Leander, profeſſi Regulares, qui in omnium ſententia ante vigeſimum primum annum exempti ſunt a ieiuniis Eccleſiæ, tenentur ſervare ieiunia Regulæ, quia ſponte ad eadem ſe ſe obligarunt. (Probabiliter tamen de more oppoſitum ſentit P. Viva.) Quanto ergo magis Regulares ſexagenarii, & Moniales quinquagenariæ, quæ iuxta communiſſimam ſententiam præcepto ieiunii eccleſiaſtici ſubiectæ ſunt, ad ieiunia Regulæ adſtringuntur? Voventes ieiunare ſtatis diebus per totam vitam, tenentur etiam poſt ſexageſimum annum; quidquid in oppoſitum dicant Paſqualigus, Leander, & Tamburinus, & noviſſime P. Viva loco citato. Lubet huic capiti finem ſacere verbis D. Baſilii ſerm. 11. de ieiun. *Mulieribus autem velut reſpirare, ita etiam ieiunare proprium eſt, & ſecundum naturam. Pueri velut plantæ virides ieiunii aqua irrigantur. Senibus aſſuetudo, ac familiaritas ab antiquo ad ipſum levem facit laborem.*

Digitized by Google

rem. Heu quam longiſſime abeſt Theologia Sanctorum a Theologia quorumdam recentium Caſuiſtarum!

CAPUT XX.

De advenis, peregrinis, & viatoribus.

I. OMnes Catholici obſervare adſtringuntur ieiunia quæ Eccleſia Romana generaliter omnibus fidelibus indicit. At præter hæc ieiunia generalia, dantur ieiunia particularia provinciarum, & civitatum, quæ vel voto civium, vel ſtatuto alicuius Synodi incolæ ſervare tenentur. Et de his nulla eſt difficultas. Quæ ſequuntur diſputationi ſunt obnoxia.

II. Quæſt. *An viatores, peregrini, & vagi teneantur obſervare ieiunia locorum in quibus verſantur?* Reſp. Non pauci Auctores negant præfatos teneri. Sed cum Suarez *Tom.I. de Relig. Lib. II. cap.* XIV. *num.* 2. dico, viatores, peregrinos, & vagos teneri obſervare ieiunia locorum in quibus verſantur; & contrariam opinionem non eſſe practice probabilem, ſed eſſe contra communem ſenſum, & contra bonum regimen, ut docent non ſolum laudatus Suarez, ſed etiam Leander *tract.*I. *diſp.* III. *quæſt.* X. Fagundez *Lib. I. cap.* VIII. *num.* 6. Sanchez *Lib. III. de matr. diſp.* XVIII. *num.* 9. Baldellus in *Theol. Mor. Lib.V. diſp.* XXXII. *num.* 4. Filliucius *tract.* XXVII. *num.* 14. Baſilius *Lib.V. de Matr. cap.* VII. *§.* I. *num.* 5. Caſtropalaus *I. Part. tract.* III. *diſp.* I. *punct.* 24. *§.* 3. *num.* 2. Hi Auctores omnes contrariam opinionem, tamquam falſam, & improbabilem, explodunt. Noſtram vero, communemque ſententiam conceptis verbis docet Auguſtinus *epiſ.* CXVIII. ad Ianuarium, in qua narrat, ſe conſuluiſſe D. Ambroſium ſuper anxietate qua mater ſua Monica vexabatur. Hæc ſiquidem filium ſuum Mediolanum uſque, ubi ieiunium, ſicuti in Africa, non ſervabatur, ſecuta, conſcientiæ motibus conflictabatur, ignorans, an nec ne ieiunare deberet. Porro ſanctus Auguſtinus a divo Ambroſio, quem ſuper hac re conſuluit, hoc ſe accepiſſe reſponſum teſtatur. *Cum Romam venio, ieiuno ſabbato. Cum hic ſum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quamcumque Eccleſiam veneris, eius morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. Qua auctoritate poſtea uſus eſt Auguſtinus *epiſ.* CXIX. ad Caſulanum, & *Lib. III. de doctr. chriſt. cap.* XII. & habetur etiam in *cap.* Quæ contra *diſt.* VIII. & *cap.* Quiſquis *diſt.* XLI. ubi Gloſſa ait: *Nota, quod quilibet conformabit ſe ſociis ſuis in cibis, & in moribus*. Unde poſtea ortum duxit illud effatum quod refert Petrus de Palude: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi, vivito ſicut ibi*. Reſpondent adverſarii, doctrinam Auguſtini, & Ambroſii conſilii eſſe, non præcepti; vel eos loqui de peregrinis, advenisque diuturno tempore ibi

com

Digitized by Google

commorantibus. Quæ ſane reſponſio ſua exilitate corruit. Hac enim via omnium Patrum auctoritates vel manifeſtiſſimæ eludi poſſent. Utique laudati Patres, Ambroſius, & Auguſtinus, præceptum non imponunt; ſed præceptum conformandi ſe ad leges loci, in quo quiſque degit, explicant. De habitatoribus, qui domicilium ſtatuunt in aliquo loco, nulla eſt difficultas. Loquuntur ergo de veris advenis, peregrinis, & vagis, & de obligatione ſtricte accepta; ut evidentius conſtat ex verbis quibus Auguſtinus ſententiam D. Ambroſii exponit, quæ referuntur cap. *Illa* diſt. XII. *Ego vero* (inquit Auguſtinus) *de hac ſententia etiam atque etiam cogitans ita ſemper habui, tamquam eam cæleſti oraculo ſuſceperim*. Si plura de hoc cupis, vide quæ diximus *differt.* I. *cap.* IX. *quæſt.* IV. & ſequentibus, ubi reſolutas reperies omnes quæſtiunculas quæ hac de re agitari ſolent. Idcirco, ne actum agam, eas nunc miſſas facio.

CAPUT XXI.

De iis qui cooperantur ieiunii violationi, materiamque præbent illud violandi.

I. DE peccatis quæ violatores ieiuniorum perpetrant, ſupra actum eſt, ubi demonſtravimus, toties aliquem peccare, quoties in die ieiunii comedit; duoque peccata committere, quando ieiunium violat, ad quod tenetur tum ex præcepto, tum ex voto; unum vero peccatum committere, ſi violat ieiunium duplici præcepto imperatum, ut cum quis tranſgreditur ieiunium in pervigilio S. Mathiæ in Quadrageſima, vel S. Matthæi, quod in quatuor anni tempora incidat: quia hæc duo præcepta ſunt eiuſdem rationis, & idem obiectum inſpiciunt. In præſentia vero pauca dicturi ſumus de iis qui cooperantur ieiunii tranſgreſſioni.

II. Quæſt. I. *An, urgente ieiunii præcepto, invitans alium paratum frangere ieiunium ad cœnandum, graviter peccet?* Reſp. In primis certum eſt quod, ſi obligatus ad ieiunium, parviſaciens ieiunii legem, alium inducat ad ſecum cœnandum, duo peccata committat: quia & ipſe præceptum violat, & alium ad violandum inducit. Certum itidem eſt eum graviter peccare qui, licet ad ieiunium non teneatur, inducit tamen alterum, ieiunii lege obſtrictum, ad ſecum cœnandum, & conſequenter ad tranſgrediendum ieiunium. Hæc omnia certa ſunt, & extra diſputationem poſita. Difficultas eſt, an peccet ille qui alium, paratum frangere ieiunium, invitat ad ſecum cœnandum? Diana coordinatus *tract.* VI. *reſol.* 125. negat, hunc invitantem peccare; citatque pro ſua opinione alios recentiores. P. Viva fuſo calamo Dianæ, apud quem alios Caſuiſtas ſe legiſſe paſ-

ſim

Digitized by Google

ſim teſtatur, ſententiam refert: item alios dicendi modos ſimilium Caſuiſtarum, qui diſtinguunt inter eum qui eſt paratus ad violandum ieiunium, & eum qui eſt tranſgreſſurus ieiunium, & alias ſubtilitates recenſet, quas piget ſub examen inducere; licet ille omnes a ſe deſcriptas opiniones afferat eſſe iuxta Tamburinum probabiles. Verum, inanibus omiſſis diſtinctiunculis, dico cum communi ſententia, Chriſtianum peccare mortaliter, dum invitat alterum Chriſtianum ad cœnam; quamvis invitatus paratus ſit ieiunium frangere. Ratio evidens eſt: quoniam invitare ad actum malum peccatum eſt. Porro qui invitat lege ieiunii obſtrictum ad cœnandum, ſeu ad tranſgrediendum ieiunium, invitat ad actum malum. Ergo peccat. Ulterius, qui invitat ſecum ad cœnandum hominem ieiunio obſtrictum, illi occaſionem præbet tranſgrediendi præceptum, & conſequenter peccandi: ſed hoc malum eſt: ergo manifeſtum eſt huiuſmodi invitantem peccare. Hac ratione non licet famulo aperire ianuam domino ſuo, parato ad furandum, vel ad violandam virginem; quemadmodum ex propoſitione quinquageſima prima damnata ab Innocentio XI. conſtat.

III. Obiicies. Licet invitare, & provocare iuſta de cauſſa alium ad aliquem actum ex genere ſuo bonum, aut indifferentem. Sic parochianus poteſt petere a ſuo Parocho concubinario ſacramenta. Licitum eſt locare meretrici domum, & ab uſurario mutuum depoſcere cum pacto ſolvendi uſuram. Reſp. Hæc, & ſimilia exempla nihil concludunt adverſus concluſionem noſtram. Concedimus, iuſta urgente cauſſa, licitum eſſe invitare aliquem ad actum reipſa indifferentem; ſed negamus, id contingere in noſtro caſu. Nam, licet cœnare in genere ſit quid indifferens; nihilominus cœna in eo qui lege ieiunii obſtrictus pranſus eſt, ita eſt actus malus, ut in praxi nequeat a malitia ſeparari. Quapropter invitare illum ad cœnam, ſeu ad ſecundam comeſtionem, licet ad eam paratum, idem eſt ac invitare ad actum reipſa malum; quemadmodum, ſi invitaret ad comedendas carnes, quarum comeſtio, licet abſolute indifferens ſit, in die tamen ieiunii ita eſt actus malus, ut, ſublata iuſta cauſſa, nequeat concipi tamquam indifferens in eo qui lege abſtinentiæ devinctus eſt. Ab uſurario licitum eſt homini, in gravi neceſſitate conſtituto, non petere ad uſuram, ſed accipere pecuniam mutuo, quam alter ſine peccato dare poteſt; quamvis ſua iniquitate indigentem urgeat ad ſolvendam uſuram. Parochianus habet ius petendi ſacramenta, petitque actum bonum, quem Parochus ſine peccato exercere valet. At ieiunans, qui pranſus eſt, ſine peccato cœnare nullo modo valet. De eo qui locat domum meretricibus, plura ſuo loco dicta ſunt. Nunc ſolum addimus, quod, ſi locatio eſſet actus malus, ſicut eſt cœna in eo qui tenetur ieiunare, illicita foret. Ideo nulla ex paritatibus productis vim habet.

IV. Quæſt. II. *An liceat tabernariis, & cauponibus in diebus ieiunii ſponte cœ-*

nam

Digitized by Google

nam miniſtrare hoſpitibus? Reſp. Dico, caupones ſua ſponte minime poſſe cœnam miniſtrare hoſpitibus, quos aut certo, aut probabiliter credunt lege ieiunii teneri. Hæc namque miniſtratio adverſatur tum dilectioni Dei, quæ iubet cavere, quantum fieri poteſt, & in nobis, & in aliis divinæ maieſtatis offenſam; tum dilectioni proximi, cuius ſpiritualem perniciem pro viribus evitare debemus. Præfata autem cœnæ miniſtratio ruinæ ſpirituali proximi ianuam aperiret, utpote quæ occaſionem præberet in peccatum prolabendi. Hæc autem cooperatio dubio procul peccatum mortale eſt, ut declaratur cap. *Facientis* diſt. lxxxvi. *Facientis culpam procuidubio habet qui quod poteſt corrigere, negligit emendare: ſcriptum quippe eſt: Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, participes iudicantur. Et negligere, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt quam fovere. Nec caret ſcrupulo conſenſionis occultæ qui manifeſto facinori deſinit obviare.* Hæc opinio communior eſt, & ego unice veram, & ſequendam iudico.

V. Contrariam ſententiam ſuſtinent plures recentiores, Leander *tract.* v. *diſp.* ix. *quæſt.* xiv. Ledeſma *tract.* xxvii. *cap.* 11. *dub.* 4. Salon 2. 2. *quæſt.* lxxvii. *art.* 4 *contr.* 6. & alii apud eumdem Leandrum, ac noviſſime P. Viva *loc. cit. art.* 4. ubi pro hac ſententia plures Caſuiſtas allegat de more apud ſuum Dianam. *Suum* appello, non quod ignorem alterius eſſe inſtituti; ſed quia fere ubique illum, tamquam ſuum magiſtrum, ſectatur. At (quod mirari ſatis non poſſum) in hanc quoque opinionem concedere videtur Caietanus 2. 2. *quæſt.* cxlvii. *art.* 4. in fine, qui hanc obiicit rationem. Miniſtrantes cibos non cooperantur peccato, ſed comeſtioni, quatenus eſt actus deſerviens facultati nutritivæ, & ſuſtentationi naturæ. Hoc autem licitum eſſe, ex eo conſtat quod Deus ipſe cooperetur illi comeſtioni, quatenus ſervit naturæ. Reſp. Si hæc Caietani ratio conſiſteret, nullus foret actus malus, cui cooperari non poſſet homo: quia nullus eſt actus malus in quem Deus, ut proviſor generalis, ſub ratione entis non influat. Nulli autem homini hoc conceditur. Quare, licet comeſtio abſolute ſit actus indifferens; in eo tamen qui ieiunii præcepto obnoxius eſt, actus malus evadit. Neque præciſiones metaphyſicæ, potiſſimum ſine urgenti neceſſitate, in morum controverſiis tranſigendis admittendæ facile ſunt.

VI. Quæſt. III. *An caupones requiſiti poſſint peregrinis, & viatoribus cœnam præbere?* Reſp. Neque requiſiti poſſunt licite caupones cœnam præbere, quando certo, vel probabiliter credunt, hoſpites ſuos lege ieiunii obſtrictos eſſe, ob rationes modo allegatas. Sicuti enim non licet petenti gladium concedere, quo ipſum prævidemus male uſurum; ut patet de Amalecite illo (*II. Reg. cap.* 1.) qui Saulem haſtæ infixum preſſit, & pœna mortis reatum diluit, licet Sauli petenti mortem acceleraſſet: ita vetitum eſt præbere cibos illi quem certo, vel pro-

Digitized by Google

probabiliter credimus eoſdem adhibiturum ad mortem animæ ſuæ, nempe ad violationem ieiunii. Quando caupones probabiliter credunt hoſpites ſuos non teneri ad ieiunium, poſſunt licite illis cœnam præbere. Et, dum viatores cœnam petunt, poſſunt, & debent caupones præſumere, illos ad ieiunium non teneri, vel quia impranſi ſunt, vel quia ob aliam cauſſam excuſantur; quando tamen aliunde cauponibus oppoſitum non conſtet: quia de proximo, non quod deterius; ſed quod melius eſt, præſumere debemus; & nemo præſumitur malus, niſi probetur.

VII. Quæſt. IV. *An caupones cœnam præbere hoſpitibus poſſint quos certe ſciunt ad ieiunium teneri, quoſque prævident alio ituros ad cœnandum, ſi cœnam dare ipſi renuant?* Reſp. Neque in hoc caſu licite poſſunt cœnam præbere; licet aliquam lucri iacturam patiantur: quia non licet propter commodum temporale ruinæ ſpirituali proximi cooperari.

VIII. Quæſt. V. *An caupones, cum dubitant, utrum hoſpites teneantur ieiunare, debeant eos interrogare?* Reſp. Ut dictum eſt, quando peculiares rationes dubitandi non occurrunt, caupones præſumere debent, hoſpites cœnam petentes ieiunii lege non eſſe adſtrictos. Cum vero rationes dubitandi habent, vel dubium deponere debent, vel eos modeſte interrogare. Oppoſitum defendit Leander cum aliis *tract.* v. *diſp.* IX. *quæſt.* XIII. quia, inquit, hæc interrogatio nimis oneroſa eſſet; & quia ad caupones non pertinet hoſpitum conſcientias moderari. Rationes iſtæ inanes ſunt. Verum eſt caupones curam ſpiritualem hoſpitum ſuorum non habere: nec ideo interrogant, ut directe illorum conſcientiæ, ſed ut propriæ ſaluti conſulant. Ob curam ergo quam de propria ſalute caupones habere debent, interrogare hoſpites de ieiunii obligatione tenentur. Nec oneroſum putandum eſt id quod in propriæ animæ ſalutem confert. Præterquamquod, ſicuti ſine difficultate caupones interrogant de quantitate, & qualitate epularum; ita & de obligatione ieiunii, ſine rubore, & onere valent interrogare.

IX. Quæſt. VI. *An caupones qui nolunt recipere hoſpites, niſi cœnent, peccatum grave perpetrent?* Reſp. Negat Paſqualigus *deciſ.* CCCLXVII. eo quod caupones non intendant niſi lucrum, minime vero ieiunii tranſgreſſionem. Hanc opinionem inter nimis laxas *cap.* I. *diſſ.* 2. recenſuimus. Et revera adeo laxa eſt, ut neminem, præter unum Paſqualigum, reperire mihi licuerit qui illam doceat. Peccant ergo mortaliter eiuſmodi caupones, qui nolunt hoſpites ieiunii tempore recipere, niſi cœnent: quia in hoc caſu non modo hoſpitum peccato cooperantur, verum etiam ad peccandum eos inducunt. At alios ad peccatum inducere, grave peccatum eſt. Ergo præfati caupones graviter peccant. Diſtinctio Paſqualigi dicentis, caupones lucrum, non peccatum, intendere, futiliſſima eſt, quæ flagitiis, & criminibus viam aperit latiſſimam. Neque uſurarii peccatum, ſeu uſu-

uſuram, ſed lucrum percipere intendunt. Quis eſt qui peccatum, ut peccatum, intendat? Sufficit velle illam actionem quæ vel culpabilis eſt, vel peccatum neceſſario parit. Cœna ieiunantium poſt primam comeſtionem reipſa eſt culpabilis. Ergo qui illam volunt, nequeunt non velle peccatum.

X. Quæſt. VII. *An caupones qui carnes miniſtrant in diebus quibus earum eſus prohibitus eſt, graviter peccent?* Reſp. Diſtinguunt communiter Doctores loca Catholicorum a locis hæreticorum. Communiſſima ſententia eſt, graviter peccare caupones qui diebus prohibitis carnes hoſpitibus non requiſiti miniſtrant: quia hac via ipſos pertrahunt ad peccandum. Excipe caſum neceſſitatis, aut privilegium. Peccant quoque caupones, ſi hoſpitibus, diebus prohibitis carnes poſtulantibus, eas miniſtrent: quia numquam licitum eſt in aliorum peccatum libere conſentire: & hoc verum eſt, etiamſi poſtulantes forent hæretici. Quare, tamquam manifeſte falſam, reiicimus opinionem Leandri, qui *tract. v. diſp. IX. quæſt. XVII.* docet, poſſe caupones licite diebus prohibitis carnes præbere iis hoſpitibus qui iam decreviſſent carnes comedere: eo quod iam per ipſorum intentionem violatum ſit præceptum; & executio fiat virtute præcedentis intentionis. Hæc ſunt mera figmenta, omni fundamento deſtituta. Quandoquidem non ſolum intentio, ſed etiam carnium comeſtio mala eſt. Quin Eccleſia directe non intentionem, ſed eſum carnium vetat. Ergo caupones, præbentes carnes ad comeſtionem malam & prohibitam, peccant graviter. Peccant quoque caupones qui diebus prohibitis indiſcriminatim tum piſces, tum carnes apponunt. Peccant pariter caupones, ſi in civitatibus hæreticorum, vel mixtæ religionis, ubi nempe & Catholici, & hæretici inhabitant, hæreticos ad manducandas carnes invitent diebus ab Eccleſia prohibitis. Quid, ſi hæretici carnes poſtularent? Primo certum eſt non poſſe caupones carnes miniſtrare, ſi hæretici in religionis contemptum illas peterent. Si vero non in religionis contemptum, ſed ad communem uſum carnes poſtularent; tunc caupones, ſi miniſtrationem evitare poſſunt, debent; ſi nequeunt carnes illis negare ſine gravi, & notabili damno, dicunt Auctores communiter, eos poſſe ad evitandam gravem vexationem carnes ſuppeditare, eo quod appoſitio iſta non ſit ſuapte natura mala. Quid nos ſentiamus, in diſſertatione de peccatis explicabimus.

XI. Quæſt. VIII. *An qui in ieiunio quadrageſimali cibos vetitos venales exponunt, graviter peccent?* Reſp. Quæſtio vertitur de ieiunio Quadrageſimæ: quia in ieiuniis infra annum conſtat licitum eſſe cibos prohibitos exponere: præſumuntur enim expoſiti ad uſum ſequentium dierum. Hoc autem non contingit in Quadrageſima, quæ plures hebdomadas continet. Communiter obſervant Auctores, quod, cum ad magiſtratus, ſeu Principes, & ſuperiores civitatum pertineat regimen, eorum eſt etiam vetare ne cibi prohibiti publice venales tempore Quadra-

geſi-

Digitized by Google

geſimæ exponàntur. Heinc in magnis civitatibus ob multitudinem eorum qui carnibus indigent, loca deſignari ſolent determinata, ubi dumtaxat cibi vetiti vendantur. Communior ergo ſententia eſt, non licere tempore Quadrageſimæ publice exponere venales cibos prohibitos: quia hæc publica venditio occaſionem multis præbet violandi præceptum; & ſcandalum puſillis ingerit dubitandi de præcepti obligatione. Quiſque autem caritatis lege tenetur impedire, & ſubmovere aliis, quoad fieri poteſt, peccandi occaſionem. Conſequitur hinc, venditores graviter peccare, dum in Quadrageſima vendunt carnes illis quos certe ſciunt eiſdem ad violandum ieiunium abuſuros: quia dant operam rei illicitæ, materiamque illis præbent violandi præceptum. Nec amiſſio lucri eos excuſare valet: quoniam nullum ius habent ad vendendos cibos vetitos. Qui vendunt cibos vetitos privatim, & ſine ſcandalo illis quos certo, vel probabiliter credunt habere vel privilegium, vel diſpenſationem, ſeu iuſtam cauſſam manducandi præfatos cibos, non peccant: quia bona fide procedunt, & venditio ſuapte natura indifferens eſt. In dubio, an emptor abuſurus ſit cibis vetitis, abſolute præſumere venditor poteſt in favorem emptoris: quia nemo præſumitur malus, niſi probetur. Vel poteſt, & debet, niſi valeat deponere dubium, emptorem interrogare, & iuxta reſponſionem ipſius actionem ſuam moderari. Leander *tract.* v. *diſp.* ix. *quæſt.* xix. cum quibuſdam aliis oppoſitum docet. Sed quæ nos docuimus, communiora, & probabiliora ſunt, ac in praxi ſequenda.

XII. Quæſt. IX. *An famuli, & ancillæ, parantes menſam, & cibos vetitos dominis ſuis ieiunii tempore, graviter peccent?* Reſp. Quæſtio eſt de dominis qui iuſtam cauſſam non habent edendi carnes; ſed volunt ieiunium frangere. Communiter Auctores recentes, ut Leander, Diana, Paſqualigus, Bonacina, Reginaldus, immo & Caietanus, Azorius, Fagundez, aliique plures id aſſerunt ſine culpa præſtari: quia, inquiunt, coquere cibos, eoſque ad menſam apponere, res eſt indifferens. Ex altera parte famuli, & ancillæ officio funguntur quod aliis diebus præſtant. Non ergo operam dant rei ſuapte natura illicitæ; neque comedenti domino inſerviunt, quatenus ieiunium violat, ſed quatenus prandet, vel cœnat. Fateor, tantam eſſe ingenii mei tenuitatem, ut vim rationum iſtarum percipere nequeam. Quid ergo? Numquid communem Theologorum ſententiam improbaverim? Minime. Sed palam ſolum fateor, mihi eorum rationes non probari. Anne vetitum mihi erit hoc aſſerere? Rationem autem aſſigno, cur mihi eorum non probetur ſententia; quamquam ſummo obſequio reverear eorum auctoritatem. (Hac enim demiſſione animi utimur, dum per obſcura, & abrupta ambulamus.) Utique carnes coquere, & illis inſtruere menſam, ſunt actiones indifferentes ex genere ſuo; quemadmodum & comedere carnes abſolute ex genere ſuo eſt actio indifferens. At carnes coquere, & ad menſam apponere die ieiunii, actiones malæ

læ ſunt; ſicut & die ieiunii carnes comedere malum eſt. Die igitur iovis poteſt famulus coquere, & apponere carnium patellam ad menſam; die veneris id non valet, quia carnes die veneris ſunt vetitæ: ſicuti non poteſt die iovis introducere in domum domini concubinam ut ea abutatur; poteſt eam introducere die veneris, ſi eam in ſponſam duxiſſet. Clarius. Famulus qui tenet ſcalam, ut dominus aſcendat per feneſtram ad furandum, vel ad virginem violandam, peccat mortaliter: quoniam opinio oppoſita damnata fuit ab Innocentio XI.

XIII. Reſpondent, diſcrimen eſſe: quia tenere ſcalam ad furandum, vel ſtuprandam virginem eſt actio ſuapte natura mala, ideoque numquam licita; appoſitio vero carnium, & menſæ inſtructio ſunt actiones indifferentes. Hæc reſponſio mihi videtur evidenter falſa. Enimvero tenere ſcalam, ut dominus per feneſtram aſcendat ſuapte natura indifferens eſt; & ex ſola finis circumſtantia bona, vel mala evadit. Aſcenſus per ſcalam, coniunctus cum furto, actio mala eſt; coniunctus cum defenſione innocentis, eſt actio bona. Idem omnino contingit in noſtro caſu. Appoſitio carnium abſolute indifferens eſt; coniuncta cum circumſtantia inſerviendi domino ad corporis nutritionem bona eſt; coniuncta cum circumſtantia tranſgrediendi præceptum ieiunii eſt mala. Neque reponere potes, famulum non apponere cibos, ut dominus violet ieiunium; ſed ut comedat, quod eſt indifferens. Quoniam etiam famulus ſuſtentans ſcalam dicere poſſet, ſe non ſuſtinere ſcalam, ut dominus furetur, ſed ut aſcendat; quod indifferens eſt ad bonum, & ad malum. Quid ergo? Anne cogendi ſunt omnes famuli, & ancillæ, ut famulatum relinquant, quo vitam alunt; alioſque dominos inquirant, quos non ſemper reperire valent? Interim quomodo vivent, cum nihil habeant? Quomodo ſe gerere debet Confeſſarius, cum illorum audit confeſſiones? En clara, ut ego quidem arbitror, difficultatis reſolutio. Domini indigere poſſunt eſu carnium. Non oportet ut hæc neceſſitas famulis innoteſcat; ſed iſti præſumere debent dominos ſuos eſurialibus feriis ex iuſta cauſſa carnes comedere, & cœnare. Et quia communiter Catholici, dum præfatis diebus carnes comedunt, aliquam neceſſitatis cauſſam allegare ſolent; idcirco communiter famuli coquere cibos, & parare menſam etiam his diebus ſine peccato valent. Nec eorum eſt inquirere, num vera, vel apparens ſit cauſſa quam allegant. En pro tua praxi facillimam reſolutionem. Ceterum, ſi eſſent aliqui domini ita ſceleſti, & impudentes, ut aperte dicerent, ſe nullam habere neceſſitatem manducandi carnes, ſed velle eas comedere, quia de præcepto nihil curant; & conſequenter ſi famuli certo ſcirent, dominum revera peccare carnes illas comedendo: dico, hoc in caſu, non adeo frequenti, nec tamen rariſſimo, peccare mortaliter famulos carnes apponentes, menſamque inſtruentes, atque, ut peccatum evitent, debere a talibus dominis recedere, alioſque inquirere. Ratio in promptu eſt: quoniam comedere carnes ad tranſgre-

grediendum præceptum ieiunii eſt actio mala; ſicut aſcenſus per ſcalam ad furandum, & ſicut introductio mulieris concubinæ ad concumbendum cum domino. Quemadmodum ergo famulus, iuſſus a domino, ut in domum ſuam introducat mulierem, poteſt eam introducere, dum ignorat, introductionem hanc eſſe ad malum finem; & adiuvare herum, ut aſcendat per feneſtram, cum pariter ignorat, id eſſe ad finem malum; ſic apponere cibos, & inſtruere menſam valet, quouſque probabiliter credit, iuſta ex cauſſa dominum ſuum vetitos cibos comedere. Contra, ſicuti numquam licet tenere ſcalam domino ad furandum, vel introducere mulierem ad concumbendum; ſic numquam licet apponere cibos vetitos ad transgrediendum præceptum. Et tandem, ſicuti famulus, certo ſciens dominum per ſcalam aſcendentem furaturum, non poteſt uti præciſione influendi in aſcenſum, ſecus in furtum; ita quoque famulus, ſciens dominum comedere carnes ad transgrediendum præceptum, eadem præciſione uti nequit, apponendi videlicet cibos ad comeſtionem, ſecus ad violationem præcepti. Hæc eſt mea ſententia. Iuniores Probabiliſtæ communiter ſunt contra me; ſed rationem a me ſtare, mihi videtur maniſeſtum. Inſuper in tractatu de ſcandalo plures tum Patres, tum graviſſimos Theologos pro mea ſententia recenſui. Nec onus, quod famulis imponitur, relinquendi præfatos dominos, nimis aſperum videbitur, ſi ad Scripturam animum intenderimus, quæ, ut ſcandalum evitemus, duriora nobis præſcribit. Domini autem illi qui perfracta fronte ſe nolle Eccleſiæ præcepta ſervare iactant, & reipſa transgrediuntur, famuloſque ſuos cogunt ut ſibi in tam iniquo opere ſervitutem præſtent, tamquam religionis contemptores, ſcandalorumque ſeminatores fugiendi ſunt. At famuli iſti ex diſceſſu a tali domo notabile patiuntur detrimentum; cum non habeant, unde ſuſtententur proindeque deberent oſtiatim panem mendicare. Inſuper, quamquam hæc omnia, immo & acerbiora, ſuſtinere debeamus potius quam in ea conſentire quæ reipſa mala ſunt, præcepta tamen Eccleſiæ cum tanto incommodo non obligant. Fateor, plures eſſe cauſſas quæ ab obſervantia præceptorum Eccleſiæ excuſant: idcirco dictum eſt, debere famulos, niſi oppoſitum pro certo habeant, præſumere dominos ſuos ob iuſtam neceſſitatem carnibus veſci, & hac ratione poſſe communiter carnes apponere, & menſam inſtruere, illis inſerviendo. Contra vero, cum domini aperte declarant, ſe carnibus veſci, non propter aliquam peculiarem indigentiam, ſed quia nolunt præceptum ieiunii obſervare (hoc in ſenſu Theologi adverſarii quæſtionem hanc verſant) & famulis hoc innoteſcit; domini iſti profecto ſuſpicionem iniiciunt, male ſe de religione ſentire, cum præceptum ieiunii inter characteres religionis catholicæ computetur, perditæque conſcientiæ homines ſe ſe produnt: ab illis proinde, tamquam ab occaſione iniquitatis, ſcandalorumque ſentina, recedere famuli debent. Neque panis, quo alantur, eos deficiet, ſi propter re-

regnum Dei occaſionem relinquant peccatorum. Sententia ſic explicata; & mitis, & vera mihi videtur. Tu eam, quam magis veritati, & pietati conſentaneam iudicaveris, elige.

XIV. Quæſt. X. *An poſſit quis in die ieiunii invitare amicum ad cœnandum ſecum, cum certo ſciat eum alibi cœnaturum?* Reſp. Leander *tract.* v. *diſp.* IX. *quæſt.* XXII. docet, poſſe illum qui a ieiunio diſpenſatus eſt, alium invitare amicum ad ſecum cœnandum, quem certo ſcit alibi cœnaturum, & conſequenter fracturum ieiunium. Hanc opinionem defendit, præter alios, etiam Caietanus 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *ſ. ult. verſ. Si autem omnino.* Sed nos hanc ſententiam, tamquam improbabilem, & falſam, reiicimus: quoniam erroneum eſt aſſerere, licitum eſſe etiam parato ad perpetrandum malum cooperari, materiamque illud exequendi præbere. Sic ſentiunt Vaſquez de *ſcandalo art.* 1. *&* 3. Sylvius 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 3. *quæſt. unic. poſt concluſ.* 2. Trullenchus *Lib. III. in Decal. cap.* 11. *dub.* 5. *num.* 10. Leſſius *Lib. IV. cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 20. Bonacina *diſp. ult. de præcep. Eccl. quæſt.* 1. *punct.* 3. *num.* 9. Fagundez *de* 4. *præcep. Eccl. Lib. I. cap.* X. *num.* 12. Comitolus *Lib. IV. Reſp. mor. quæſt.* LVI. *num.* 6. prope finem. Quid, ſi amicus invitatus ad cœnandum paratus non ſit? Etiam hoc in caſu licitum eſſe illum invitare docet Leander *loc. cit. quæſt.* XXIII. quamvis credatur, invitatum probabiliter obſecuturum amico invitanti. Hanc quoque opinionem reſpuimus, ut improbabilem: quia hoc eſt præbere occaſionem reipſa cœnandi, & violandi ieiunium. Quænam enim efficacior occaſio quam menſa inſtructa eſurienti vicina, & ſitienti pocula proxima? Sed audi Leandrum reſpondentem: *Si iſte* (invitatus) *aliquando inde occaſionem violandi ieiunium accipiat; id propriæ eius malitiæ eſt imputandum, non invitanti.* Hæc non impugnationem, ſed contemptionem expoſcunt. Sunt enim aperte ſacræ Scripturæ, quæ tot ſupplicia offendiculum proximo præbentibus minatur, contraria.

XV. Quæſt. XI. *An patresfamilias teneantur compellere filios, ſervos, & domeſticos ſuos ad ieiunandum?* Reſp. Quæ penes omnes certa ſunt, præmittamus oportet. Extra diſputationem eſt, ad parentes, dominoſque curam filiorum, & domeſticorum diſciplinam pertinere. Id aperte & ius naturæ, & lex Dei præcipiunt. Inquit enim Apoſtolus Paulus I. ad Tim. cap. V. *Si quis ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior.* Et in epiſtola ad Epheſ. cap. VI. *Patres nolite ad iracundiam provocare filios veſtros; ſed educate illos in diſciplina, & correptione Domini.* Adfirmant omnes, in eo maxime paterni, & herilis officii religionem ſplendere, ut domeſtici omnes, ſive filii, ſive famuli, præcepta tum divina, tum eccleſiaſtica obſervent. Debent propterea patresfamilias, dominique domeſticis ſuis congrua ad ieiunandum alimenta miniſtrare. Eorum eſt, ſi ieiunia filii, vel ſervi frangant, illos admonere, corripere, increpare, &

Digitized by Google

& ad implendum præceptum urgere. Hæc omnia communia ſunt. His præmiſſis, dico, patresfamilias debere filios ſuos compellere ad ieiunandum eo validiore modo quo poſſunt; ſervos vero, nolentes ieiunare, e domo pellere tenentur. Primam partem docent graviores Theologi. Gabriel *diſt.* XVI. *quæſt.* III. *art.* 3. *dub.* 6. Toletus *Lib. VI. cap.* V. Sylvius 2. 2. *q.* CXLVII. *art.* 3. Comitolus *Lib. IV. quæſt.* LVI. Navarrus *cap.* XXI. *num.* 26. & alii plures. Veritas hæc aperte ex Scriptura ſacra colligitur. Nam hæc habentur Proverb. XXIII. *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam .... Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* Et cap. XIII. *Qui parcit virgæ, odit filium ſuum.* Non modo conſiliis, & adhortationibus, ſed virga etiam imperii, ac afflictionis, ſeu percuſſionis, Spiritus ſanctus vult parentes compellere filios ſuos ad ſervanda ea præcepta quorum obſervantia illorum animas ab inferno liberat. Quare pluſquam falſam reputamus opinionem Leandri, aſſerentis non pertinere ad parentes *regere conſcientias ipſorum*, ſcilicet filiorum: quia (inquit Leander) ad parentum munus pertinet providere filiis de victu, non vero regere conſcientias eorumdem: quam propoſitionem *diſſert.* 1. *cap.* 1. inter nimium laxas opiniones recenſuimus. Et quæ, malum, eſt Theologia iſthæc? Ad parentes non pertinet regere conſcientias filiorum in obſervantia exteriori præceptorum Eccleſiæ; ſed tantum providere eis de victu. Hanc diſciplinam bruta exercent erga partus ſuos. Homines ratione præditi, & religionem chriſtianam profitentes, lege caritatis mutuo ſe ſe inſtruere in religionis propriæ virtutibus, & præceptis adſtringuntur. Patres vero, præter commune caritatis debitum, lege tum naturali, tum divina erudire filios ſuos tenentur in religione quam profitentur, illis divina explicare mandata, iuxta illud: *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*: Iſai. XXXVIII. Itaque caritatis lege tenentur patres non ſolum admonere, & hortari filios ſuos ad obſervanda Eccleſiæ mandata; ſed etiam virga percuſſionis, ut inquit Salomon, compellere rebelles debent, & cogere. Ad quid valeret paterna poteſtas, ſi nihil iuris haberet ad ea impedienda quæ mortem ſpiritualem filiis ingerunt? Debent ergo patres & cibos vetitos, & ſecundam comeſtionem filiis in die ieiunii ſubtrahere, aliiſque modis eos cogere ad ieiunandum. Prudentia ſolum opus eſt. Maius malum ex duobus neceſſariis malis ſemper vitandum. Hinc, ſi pater prudenter ſcandala gravia prævideret ex violenta coactione filiorum ad ieiunium ſervandum, poſſet exercitium poteſtatis paternæ ſuſpendere. Famulos vero ieiunare nolentes e domo pellere domini tenentur: quia, ſi domini non habent poteſtatem cogendi famulos, ut obſervent Eccleſiæ præcepta; poteſtatem habent eos expellendi e domo, dum eadem obſervare recuſant. Heinc inter laxiſſimas propoſitiones recenſuimus opinionem Paſqualigi, aſſerentis, dominos non teneri negare cœnam famulis; etiamſi ſcirent id famulis profuturum. Vide *diſſertationis huius cap.* 1.

Digitized by Google

XVI. Quæſt. XII. *An domini, compellentes ſervos ad laborem impedientem ieiunium, vel nolentes eos conducere, niſi cum pacto, ut non ieiunent, peccent mortaliter?* Reſp. Dico cum communiſſima ſententia, quam fere omnes graviores Theologi defendunt, peccare graviter dominos compellentes ſervos, & domeſticos ad opera quæ ieiunium impediant, quoties opera poſſunt ſine gravi damno in aliud tempus differri. Ratio evidens eſt. Domini tenentur pro viribus curare ut famuli, & domeſtici ieiunium obſervent. Si autem compellerent illos ad ea opera quæ ieiunium impediunt, non ſolum non curarent eos ad obſervantiam ieiuniorum inducere; ſed e contrario obſtacula ponerent, quæ eoſdem a ieiunii obſervatione abducerent. Hanc ſententiam defendunt Navarrus, Toletus, Azorius, Ricardus, Gabriel, Paludanus, Aſtenſis, Roſella, Angelus, Cardinalis Cozza, & alii plures. Secundam partem docet expreſſe D. Thomas in IV. diſt. xv. quæſt. iv. *Nec iterum illi a peccato immunes ſunt qui operarios conducere nolunt, niſi tali pacto, ut ieiunium ſolvant; niſi forte ſit cauſſa neceſſaria, quæ feſtinationem operis pro quo laboratur, expoſcat.*

CAPUT XXII.

Cauſſæ a ieiunio excuſantes ſunt quatuor: impotentia, labor, pietas, & diſpenſatio.

I. QUatuor propoſitas cauſſas, quæ a ieiunio ſæpius excuſare ſolent, in quatuor diſtincta capita tribuemus: quia de ſingulis plures quæſtiunculæ diſcutiendæ, & reſolvendæ occurrunt. In præſenti de ſola impotentia ſermonem habebimus. Impotentia duplex eſt, phyſica, & moralis: & utraque a ieiunio excuſat; cum lex impoſſibilia non præcipiat. Ut, quæ hoc in capite dicturi ſumus, facilius capiantur, diſtinguenda eſt impotentia a difficultate. Impotentiam eam appellamus quæ vel naturam ſupponit reipſa deſtitutam viribus ad effectum præſtandum, vel effectum præſtare nequit niſi cum notabili eiuſdem naturæ detrimento. Et hæc impotentia a ieiunio excuſat. Difficultas illa dicitur quæ incommodum utique naturæ affert in exercitio ieiunii; ſed naturam non lædit, neque ineptam ad ſua munia obeunda reddit. Hinc excuſantur infirmi, qui quotidiana, vel tertianā febri laborant; ſicuti & valetudinarii, ac convaleſcentes; quin non modo a ieiunio, ſed etiam ab abſtinentia a carnibus immunes ſunt. Quando vero dubitatio occurrit, num infirmitas, & debilitas excuſent nec ne; medicus conſulatur, & a ſuperiore diſpenſatio pro maiori ſecuritate petatur.

II. Quæſt. I. *An qui data opera impotentem ſe conſtituit ad ieiunandum, teneatur ieiunare; & an iſte talis qui ea intentione expreſſa vacat ludo, venationi, vel rebus ve-*

Digitized by Google

venereis, ideſt nimio coitui, ut impotens efficiatur ad ieiunandum, peccet contra præceptum ieiunii? Reſp. Noli adverſus me commoveri, quod eiuſmodi quæſita exponam; ſed illis indignare qui eadem propugnant. Quæſtiuncula duas habet partes. Ad primam partem reſpondeo, impotentem ad ieiunium non teneri lege ieiunii, etiam quando impotentia oritur ex propria culpa: quia ad impoſſibile nemo tenetur, quocumque ex capite impoſſibilitas iſthæc proficiſcatur. Hæc communiſſima ſententia eſt. Secundam quæſiti partem inter propoſitiones laxas iam ſub initium diſſertationis recenſui *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 2. & non modo laxa, ſed erronea item videtur, quatenus aſſerit, poſſe quempiam expreſſa intentione nimio coitu ſe impotentem efficere, ne ieiunet, quin peccet contra præceptum ieiunii nec tunc quando apponit tale impedimentum. Quid enim peius ab Ethnico excogitari poſſet? Nam qui libere apponit cauſſam, ex qua neceſſario ſequitur omiſſio præcepti, ſeu effectus a præcepto prohibitus, peccat contra illud præceptum. Prava ſiquidem illa, & expreſſa intentio, qua ideo ſe impotentem quis efficit ad ieiunium, ut reipſa non ieiunet, directe reſpicit tranſgreſſionem præcepti iubentis ieiunium. Reſpondent, præceptum ieiunii non prohibere ludum, neque venationem, neque coitum. Quæ ſane reſponſio non minus futilis eſt ac ipſa propoſitio. Nam verum eſt, præceptum ieiunii præfata opera abſolute non prohibere; ſed illa prohibet, quatenus impedimenta ſunt ad ieiunandum. Neque plus temporis impendendum in impugnatione opinionis aperte falſæ, quamque communiter, non modo antiqui, ſed & recentes fere omnes reiiciunt, tamquam improbabilem, & nimium laxam.

III. Quæſt. II. *An excuſentur a ieiunio qui caleſieri, & dormire ſine cœna nequeunt, qui habent duo cauteria, quive vertiginem capitis, vel ſtomachi debilitatem patiuntur?* Reſp. Caſuiſtarum plures inter impotentes ad ieiunandum recenſent omnes quos in quæſito deſcripſimus. Ut prudens, ſolidaque reſponſio exhibeatur, in memoriam revocanda eſt diſtinctio impotentiæ, & difficultatis: illa ſiquidem, non hæc, a ieiunio excuſat. Igitur, ſi ob cœnæ privationem ita frigidum corpus remaneret, ut ad ſomnum omnino redderetur inhabile per plures noctes; ſi periculum infirmitatis immineret, vel prudenter timeri poſſet: tantum cibi capere tunc poſſent ii qui talia perferunt incommoda, quantum ſufficeret ad ſolitam calefactionem, & ſomnum percipiendum. Si collatio aliquantulum abundantior ſufficiat, cœnare non poterunt. Si quatuor unciæ panis aquæ immiſceantur, & per coctionem papparium fiat; ac poſtea duæ unciæ panis, & duæ obſonii comedantur (quæ eſt refectio a pluribus Caſuiſtis excogitata) incredibile eſt, corpus ſic refectum ad ſomnum, & calefactionem ineptum eſſe. Ceterum hæc omnia prudentis arbitrio relinquenda ſunt. Illud ſolum ſemper præ oculis habeatur, impotentiam, non difficultatem, a ieiunio excuſare.

IV. Quid, ſi, collatione mane ſumpta, & prandio in veſperum dilato, ieiunare poſſent, tenerentur ne id præſtare, ut præceptum obſervarent? Negant plures recentiores, Eſcobarius, Diana, Filliucius, Paſqualigus, Leander *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* XXX. Sed talem opinionem inter laxas recenſuimus *cap.* I. Nunc vero, iſtorum Auctorum rationem expendentes, laxiſſimam eam appellamus. Ait namque Leander cum aliis, homines præfato incommodo laborantes poſſe, ſi vellent, collationem mane ſumere, prandio in cœnam commutato, & hac via implere præceptum; ſed, cum ius habeant prandendi in meridie, non teneri ſe tali iure privare. En illius verba loco laud. *Si vellent, poſſent collationem mane ſumere, & ſic ieiunando implere præceptum ieiunii. Sed quia quilibet habet ius ad ſumendam principalem refectionem in meridie in diebus ieiuniorum, ergo nullus tenetur, ut ieiunet, hoc iure ſe privare.* Cur, quæſo, ius habent prandendi in meridie, præcepto ieiunii urgente? Nonne quiſque meliori modo quo poteſt præcepta Eccleſiæ implere adſtringitur? Si Eccleſia tolerat ut fideles qui vel concionari, vel alia gravia negotia peragere debent, poſſint mane collationem ſumere, prandio in veſperum dilato; cur non debebunt fideles, ut præcepto Eccleſiæ obediant, collationem, cum poſſint, anticipare, & prandium differre? Quis fidelibus tale ius contulit, ut cum ieiunii diſpendio in meridie prandere valeant? Non ergo fideles præceptis, ſed præcepta fidelium voluntati ſubiecta ſunt? At quid plura congero contra opinionem ſua nimia laxitate corruentem? Opinio quæ illos eximit a ieiunio qui duo habent cauteria, etiam nimis laxa eſt, & improbabilis: quoniam deſtituta eſt tum extrinſeca auctoritate (ſoli enim Sancius, & Quintanadvennas, prout mihi ſcire licuit, eam defendunt) tum intrinſeca ratione. Enimvero cauteria idcirco ab arte medica præſcribuntur, ut natura per eadem, veluti per duos canales, humores ſuperfluos, & nocuos expellere valeat; & hac via firmior, ac robuſtior efficiatur, & conſervetur. Tantum abeſt ut iiſdem debilitetur. Qui ſtomachi, vel capitis debilitatem patiuntur, ſi his incommodis ſuccurrere valeant, aliquid panis, vel alterius cibi mane ſumendo, tali remedio contenti ſint. Si incommoda eiuſmodi ſint quæ reparari nequeant, niſi ieiunium frangatur; ieiunium frangi poteſt.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

An Chriſtiani tempore ieiuniorum a re uxoria ſe abſtinere debeant, potiſſimum ſi debitum coniugale ſine tranſgreſſione ieiunii perſolvere nequeant. Variæ quæſtiunculæ de mulieribus prægnantibus, lactantibus, & virginibus, timentibus venuſtatis formam amittere propter ieiunium, reſolvuntur.

I. DE debito Chriſtianorum abſtinendi in ieiunio quadrageſimali a re uxoria verba facturus, quæ docent Patres, antiquioreſque Theologi in medium adducam; atque cum iis quæ iuniores, recenteſque Doctores excogitarunt, conferam. Fatentur omnes tum antiqui, tum recentes, Apoſtolum Paulum conſulere omnibus nuptis continentiam, quando ſolemnibus precibus, & ieiuniis vacandum eſt. *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi:* Græcus textus addit, *& ieiunio*, ut teſtatur Cornelius a Lapide *I. Cor.* VII. Patres, non modo conſuluiſſe, ſed etiam iuſſiſſe Apoſtolum nuptis continentiam diebus precum, & ieiuniorum, docere videntur. Recentes e contrario videntur ſolvere a ieiunii lege Chriſtianos nuptos, ut commodius rei uxoriæ operam dare queant. Sed, ut omnia fiant manifeſta, tum Patrum, tum recentiorum textus tranſcribamus.

II. Recenſentur plura Scripturarum, & Patrum teſtimonia, quibus indicitur nuptis abſtinentia ab uſu matrimonii ieiunii tempore. In primis Ioel *cap.* II. inquit: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum .... egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo.* Deinde Paulus Apoſtolus *I. Cor.* VII. & Apoſtolus Petrus Epiſt. I. cap. III. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ, ut non impediantur orationes veſtræ.* Heinc S. Hieronymus Lib. I. cont. Iov. pag. 15. edit. Rom. *Quandiu impleo mariti officium, non impleo continentis ..... Petrus Apoſtolus, experimentum habens coniugalium vinculorum, vide, quomodo informet Eccleſiam, quid doceat Chriſtianos.* Similiter viri cohabitantes &c. *Ecce eodem ſenſu, quia eodem & ſpiritu impediri dicit orationes officio coniugali .... Si abſtinemus nos a coitu, honorem tribuimus uxoribus; ſi non abſtinemus, perſpicuum eſt honori contrariam eſſe contumeliam.*

III. S. Auguſtinus *ſerm.* CCV. olim LXVIII. de diverſis, & in Quadrageſima I. inquit: *Per alios dies adulteria, fornicationes, omneſque illicitas corruptelas nolite continge-*

re; per hos autem (Quadrageſimæ) *etiam a coniugibus abſtinete . . . . Tempus quod reddendo coniugali debito occupabatur, ſupplicationibus impendatur. Corpus quod carnalibus affectibus ſolvebatur, puris precibus proſternatur. Manus quæ amplexibus implicabantur, orationibus extendantur*. Hoc idem docet *ſerm.* lxxii. de diverſis, nunc ccvii. *Quapropter, cariſſimi, a quibuſcumque cibis vobis placuerit abſtinere, memento te ut propoſitum veſtrum pia temperantia conſervetis, non ut Dei creaturam ſacrilego errore damnetis. Quicumque enim eſtis coniugibus alligati, nunc maxime apoſtolica monita nolite contemnere; ut* invicem abſtineatis ad tempus, ut vacetis orationibus: I. Cor. vii. *Quod enim & aliis diebus utiliter fit, nimis inverecundum eſt, ſi modo non fiat. Arbitror onerofum non eſſe debere, anniverſaria obſervatione, ſolemnibus diebus hoc facere coniugatos quod viduæ ex quadam vitæ parte profeſſæ ſunt, quod tota vita ſanctæ virgines ſuſceperunt*. Item *ſerm.* lxxiii. nunc cciv. de diverſis, ſub finem hæc ſcribit. *Eſtote igitur his diebus & crebrius ieiunantes, & vobis parcius impendentes, & egenis largius tribuentes. A coniugali quoque concubitu hi dies poſtulant continentiam*. Item *ſerm.* lxxiv. nunc ccx. cap. vi. *Nunc tempus eſt quo coniugati ab uxoribus, & nuptæ a ſuis viris abſtineant, ut orationibus vacent; quamquam & per totum annum certis diebus hoc facere debeant; & quanto crebrius, tanto utique melius*. Item cap. vii. *Quadraginta diebus ieiunavit Moyſes legis adminiſtrator: quadraginta dies Elias excellentiſſimus Prophetarum: quadraginta ipſe Dominus, teſtimonium habens a lege, & Prophetis . . . Nos autem, qui tam longum ieiunium perpetuare non poſſumus, ut per tot dies, & noctes nihil alimentorum, ſicut & illi, accipiamus . . . . Sed numquid, ſicut a cibo, & potu abſtinentia per tot dies non poteſt eſſe continua; ſic & a concubitu non poteſt? Cum videamus in nomine Chriſti multos utriuſque ſexus ab hac re penitus immunia membra Deo dicata ſervare? Puto non eſſe magnum ut tota paſchali ſolemnitate poſſit coniugum caſtitas quod poteſt tota vita virginitas*. Similia ſcribit Auguſtinus pluribus aliis in locis.

IV. Sanctus Eligius Noviomenſis Epiſcopus comparat concubitum coniugum in Quadrageſima cum eſu carnium. Inquit enim hom. xvi. *Diebus autem Quadrageſimæ vos omnibus modis a coniugum commixtione veſtrarum, ſicut decet Chriſtianos, abſtinere oportet. Nam, ut quidam ſapiens ait, ſimilis reatus eſt fideli Chriſtiano diebus Quadrageſimæ etiam cum propria uxore concumbere, ſicut & carnes in cibo ſumere*. Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in Capitulari *cap.* xli. inquit: *Abſtinendum eſt in his ſacratiſſimis diebus a coniugibus, & caſte, & pie vivendum, ut ſanctificato corde, & corpore iſti ſancti dies tranſigantur; & ſic perveniatur ad diem ſanctum Paſchæ. Quia pene nihil valet ieiunium quod coniugali opere polluitur*. Nicolaus I. Pontifex ſummus in reſponſis ad conſulta Bulgarorum *cap.* ix. ait: *Si enim ex conſenſu coniugatorum, etiam alio forte tempore, mundo corpore vacatur orationi; quanto potius iſto, quo Deo etiam carnis noſtræ decimas damus, quo ipſum in abſtinentia*

ſia Dominum imitamur, quo non ſolum illicita, verum etiam multa a nobis etiam licita reſecamus, omni eſt voluptati renuntiandum; & ut libenter orationi vacetur, caſtitati mentis & corporis incumbendum? Pœnitentiale Romanum *titul.* VII. *cap.* X. hæc habet. *Qui in Quadrageſima ante Paſcha cognoverit uxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea, annum unum pœniteat.*

V. Proſper Fagnanus fuſo calamo verſat quæſtionem, num licitum ſit feriarum tempore matrimonium conſummare? Et auctoritate omnium fere Canoniſtarum, & antiquiorum Theologorum evincit, licitum minime eſſe temporibus iis quibus vetitum eſt ab Eccleſia ſolemnes nuptias celebrare, copulam matrimonialem exercere. Hæc pauca referam ex pluribus quæ habet in II. Decret. cap. *Capellanus* de feriis num. II. *Similiter quoad copulam carnalem, tametſi Sanchez exiſtimaverit, nullatenus prohibitum eſſe matrimonium conſummare, idemque ante ipſum ſenſerit Navarrus &c..... tamen illorum rationes ſunt valde infirmæ.... Quare contra prædictos ſtat communis Canoniſtarum fere omnium ſententia.* Et pluribus allegatis concludit. *Ex quibus patet, hanc eſſe unanimem Canoniſtarum ſententiam, quam etiam tenuerunt ex Theologis Petrus de Palude in IV. Sent. diſt.* XXXII. *quæſt.* I. *artic.* 4. *Caietanus in Summa in verb. Matrimonium cap. ult. §. Publico autem loco. S. Antoninus in III. Part. tit.* I. *cap.* XVII. *in fin. Sylveſter in ver. Matrim.* VII. *quæſt.* VII. *poſt dictum* 5. *dub.* 9. *& alii.* Allegat etiam auctoritatem Concilii Toletani, celebrati anno 1473. ſub Sixto IV. in titulo, *Quod non fiant nuptiæ*, ubi hæc præſcribuntur. *Cum ſecundum legitimas ſanctiones non ſit dubium eos in legem delinquere qui verba legis amplexi contra eius nituntur voluntatem: & quia tempore quo ſacrorum canonum decretis nuptiarum celebratio interdicitur, & carnalis copula prohibetur &c... Nos contendentes, quod ſacrorum canonum intentio fuit, non tam Eccleſiæ ſolemnitates, & nuptiales benedictiones, quam carnales commixtiones prohibere: conſuetudinem huiuſmodi divellere cupientes, ſacro approbante Concilio, commixtiones prædictas... prohibemus, ſtatuentes* &c. Refert etiam Fagnanus Congregationem Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, quæ ad dubitationem ſibi propoſitam ſic reſpondet. *Sed temporibus comprehenſis in cap.* X. *ſeſſ.* XXIV. *de refor. matrim. nuptiarum ſolemnitates, traductiones ad domum, & carnalem copulam prohiberi.* Ex Theologis, quos Fagnanus adducit, ut ingenue fatear, ſanctus Antoninus non adeo clare loquitur. Nam hæc ſunt verba D. Antonini in III. Part. tit. I. cap. XVII. in fine. *Contrahentes nuptias his temporibus prohibitis debent puniri in quo deliquerunt, ut ſcilicet ad tempus ſeparentur; ſed, ſi ſit periculum incontinentiæ, alia pœnitentia imponatur, & in iſta diſpenſetur.... Non autem eſſet mortale exigere talibus temporibus ab uxore prius rite benedicta debitum. Petrus de Palude. Ita etſi mortale ſit conſummare matrimonium tempore tali; tamen poſt primam copulam iterum cognoſcendo non peccat mortaliter, niſi hoc faceret in contemptum Eccleſiæ ordinantis.*

VI.

VI. Thomas Sanchez *Lib IX. de debito coniugali diſp.* XII. recenſet circa rem hanc quatuor ſententias. Prima docet eſſe culpam letalem petere debitum coniugale diebus ſacris, & ieiuniorum: quam opinionem plures Canoniſtæ defendunt. Secunda aſſerit eſſe culpam venialem: & pro hac opinione allegat ipſemet Sanchez omnes fere Canoniſtas, & antiquiores, gravioreſque etiam ex recentioribus Theologos, Magiſtrum Sententiarum, D. Thomam, Albertum Magnum, Durandum, Paludanum, Gabrielem, Raynerium, Ioannem de Friburgo, Gerſonem, Carthuſianum, Monaldum, D. Antoninum, Adrianum, Sylveſtrum, Tabienam, Turrecrematam, Sotum, Viguerium, Margaritam, Matienzum, Goffredum, Ioannem Andream, alioſque plures. Tertia ſententia admittit aliquando eſſe culpam venialem, aliquando conſilium eſſe abſtinendi. *Quarta ſententia, cui adhæreo* (concludit Sanchez) *licet exiſtimem duas præcedentes eſſe valde probabiles, ait ſolum eſſe conſilium* &c.

VII. Patres ergo, Canoniſtæ fere omnes, & antiquiores Theologi docent, Chriſtianos ieiuniorum tempore minime exercere poſſe coniugalem copulam. Dubium ſolummodo eſt, num ſub culpa mortali, aut veniali ab ea abſtinere debeant. Communior, & mitior ſententia, cui & ipſe adhæreo, eſt illa quæ ſub culpa tantum veniali debitum omittendi copulam matrimonialem præfatis temporibus imponit: & hanc ſententiam valde probabilem etiam ipſemet Sanchez reputat.

VIII. Conferas nunc velim cum doctrina Patrum, Theologorum, & Canoniſtarum, doctrinam plurium recentiorum Caſuiſtarum. Iſti non modo defendunt, Chriſtianos non teneri intermittere coitum coniugalem ſacro ieiuniorum tempore; non modo aſſerunt, Patrum exhortationes conſilii eſſe, non debiti, ſeu præcepti; non modo evulgant, Patres per exaggerationem locutos fuiſſe, & Rhetorum amplificatione uſos; non modo hæc omnia excogitarunt; ſed, quod peius eſt, docent Chriſtianos a lege ieiunii ſolutos eſſe, ut debitum matrimoniale perſolvere, copulamque ſine detrimento exercere valeant: docent, non teneri coniugem hortari precibus, conſilio, aliove modo alterum coniugem, ut deſiſtat a petitione debiti, quod ipſe ſine fractione ieiunii reddere nequit. Quod ne ipſis imponere videar, tranſcribam verba Tamburini ex Lib. IV. in Decal. cap. V. §. 7. numer. 37. *Quod ſi precibus, aliove modo poſſet coniux removere alterum a petendo debitum; adhuc tamen non teneretur uti hoc remedio; atque adeo poſſet non ieiunare, & ſic reddere. Ita Thom. Sanchez. Ratio eſt, quia perſonalis obligatio reddendi eſt ex iuſtitia, quæ non obligat, niſi ad reddendum perſonaliter debitum; non vero ad conquirenda, vel ponenda remedia, ne alter petat.* Hanc eamdem doctrinam prius docuerant Paſqualigus, & Leander *tractat.* V. *diſput.* VIII. *quæſt.* XLVIII. aliique plures.

IX. Viden' quantum doctrina quorumdam recentiorum a Patrum, a Conciliorum,

rum, ab Eccleſiæ doctrina diſtet? Non tenetur coniux precibus hortari alterum coniugem, ut ſe abſtineat a petitione illius debiti quod ipſe ſine violatione præcepti eccleſiaſtici reddere nequit: neque hoc ſuaviſſimo remedio chriſtianæ exhortationis abducere illum a tali petitione tenetur. Poterunt ergo coniugati ad ſatietatem petere, & reddere cum diſpendio ieiunii eccleſiaſtici? Iſthæc ne chriſtiana Theologia? Patres, & Concilia una voce iubent, chriſtianos coniuges a concubitu matrimoniali abſtinere, ut exactius ieiunium obſervent, ac ſanctificent: & laudati iuniores contra docent, coniugatos poſſe ieiunium eccleſiaſticum infringere, ut copulam matrimonialem exequantur. Quid temperantiæ evangelicæ, quid caſtitati chriſtianæ infeſtius?

X. Obiiciunt. Maritus iure naturali divino, & ex iuſtitiæ præcepto adſtringitur reddere uxori, & uxor marito debitum coniugale, iubente Apoſtolo: *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter autem & uxor viro*: I. Cor. VII. Præceptum ieiunii humanum, & poſitivum eſt. Cedere itaque priori debet obligationi. Ergo omittere ieiunium maritus debet, quoties, dum ieiunium ſervat, ineptus ad perſolvendum coniugale debitum efficitur. Reſp. Omnes fatentur, coniuges devinctos eſſe iure naturali divino ad debitum matrimoniale mutuo ſibi reddendum. Quid inde? Anne in omni loco, tum publico tum privato, tum ſacro tum profano, copulam coniugalem exercere debent? Minime gentium. Tenentur ſibi invicem debitum ſolvere; ſed ſervatis debitis circumſtantiis loci, & temporis. Porro tempore ieiuniorum eſt Deo vacandum, non matrimonio incumbendum. At, inquies, cum duo debita ſimul ſolvi nequeunt, illud ſolvere debemus quod præcipuum eſt. Reddere autem debitum coniugale ieiunii obſervantiæ prævalet: nec Eccleſia obligat ad ieiunium, quoties iſtud impediat exercitium matrimonii. Unde colligis, Eccleſiam te non obligare ad ieiunium, ut copulam matrimonialem exercere valeas? Unde? A Patribus, quos Deus poſuit regere, aut docere Eccleſiam ſuam? At iſti, ut ieiunium exactius ſerves, abſtinere te a coniugii uſu iubent. Unde ergo? A recentioribus Caſuiſtis? At iſti in conſpectu antiquiorum Theologorum, & ſanctorum Patrum nullius ſunt auctoritatis; niſi ratione evidenti oſtendant, antiquos erraſſe: quod hic minime præſtant. Ipſemet benigniſſimus Claudius la Croix *Lib. III. part. II. cap. III. num. 1338.* reſolvit, quod, licet coniux reddatur minus potens ad reddendum debitum, non ideo teneatur omittere ieiunium.

XI. Ut quæ fuſius diſputata ſunt, in pauca contrahamus, atque maiori, quoad fieri poteſt, claritate difficillimam quæſtionem reſolvamus, quæ certa ſunt præmittam; deinde quæ mihi probabiliora videbuntur, explicabo. Certum in primis eſt Patres communiter hortari fideles nuptos, ut tempore ieiuniorum a copula carnali abſtineant. Hæc res facti eſt, omnibus comperta. Certum quoque eſt tempore quadrageſimalis ieiunii, & Adventus ſolemnem nuptiarum celebrationem

Eccle-

Eccleſiam prohibere. Iſtius prohibitionis rationem aſſignat D. Thomas in *IV. diſt.* XXXII. *quæſt.* I. *art.* 4. *quæſt.* IV. his verbis. *Quia, quando novæ ſponſæ traducuntur, animus coniugum magis ex ipſa novitate ad curam carnalium occupatur: propterea illis temporibus in quibus homines præcipue debent ſe ad ſpiritualia elevare, prohibitum eſt nuptias celebrare*. Quare non ideo eiuſmodi nuptiæ prohibentur, quia, dum celebrantur, choreæ, ſtrepitus, aliaque profana exerceri ſolent; neque ipſa ſacramenti celebratio prohibitionis ratio eſt; ſed prohibentur, quia exercitium nuptiarum, ſeu copula carnalis, nimis mentem hebetat, rationem, ſin abſorbet, obnubilat, animumque magnopere a rebus divinis abſtrahit. Ex quibus manifeſte conſequitur quod illis temporibus in quibus homo ieiuniis, & precibus potiſſimum vacare adſtringitur, copula carnalis intentioni Eccleſiæ adverſetur. Illud pariter certiſſimum eſt, copulam carnalem, etiam inter coniuges, iuxta temperantiæ, & caſtæ ſobrietatis leges exerceri debere; neque unum coniugem alterius intemperantiæ indulgere teneri. Habenda item ratio eſt ætatis: nam frequentior eſt inter iuvenes quam inter provectos matrimonii uſus. Non æque tenetur ad debitum uxor quadraginta, ac ſponſa viginti annorum. Utraque debitum reddere debet; ſed hæc frequentius, illa rarius. Item corporis conſtitutio in utroque coniuge conſideranda eſt. Si maritus robuſtus eſt, & uxor imbecilla; ille petere debet, habito reſpectu ad coniugis debilem corporis habitudinem; & hæc reddere non adſtringitur cum ſanitatis detrimento. Deſinant ergo non pauci Caſuiſtæ exclamare, quod reddere debitum coniugale eſt actus iuſtitiæ, a iure naturali & divino præſcriptus: quoniam nemo in contentionem hoc adducit. Sed ipſi ſubdere debent, plura eſſe quæ iure impediunt eiuſmodi debiti ſolutionem. Nam infirmitas, ſanitatis detrimentum, locus publicus, locus ſacer abſolute impediunt. Quidni ergo & tempus ſacrum? Debilis corporis conſtitutio, intemperantiæ exceſſus, non a toto, ſed a frequentiori redditione ſolvit. His tamquam certis præmiſſis, quæ mihi tum a ſeveritate, tum a laxitate declinare videntur, ſequentibus quæſtiunculis exhibebo.

XII. Quæſt. I. *An coniux reddere debitum teneatur, dum eſt periculum incontinentiæ in petente; etiamſi reddens impotens evaderet ad ieiunii obſervantiam?* Reſp. Ad evitandum peccatum incontinentiæ tenetur coniux debitum reddere ſub gravi culpa; etiamſi (quod vix contingere poteſt) frangere ieiunium deberet. Hocque certum eſt apud omnes, quando periculum incontinentiæ, non ex culpabili intemperantia, ſed ex fragilitate ortum ducit.

XIII. Quæſt. II. *An, quando coniux reddere nequit debitum, niſi ieiunium frangat, teneatur precibus, adhortationibus, aliiſque modis abducere alterum coniugem a debiti petitione?* Reſp. Tenetur omnino: & contraria opinio, ut dictum eſt, minus eſt conſona caſtis auribus, & pietati chriſtianæ. Iuxta communem Patrum,

Digitized by Google

trum, & inſignium Theologorum doctrinam tenentur coniuges ſe ſe invicem excitare ad obſervantiam continentiæ coniugalis, ut ſanctius ieiunium exequi, & liberius Deo vacare queant: & poſtea, quando exercitium copulæ coniugalis inferat tranſgreſſionem eccleſiaſtici ieiunii, nullum illis incumbet debitum ſe ſe invicem hortandi ad continentiam eo fine ut ieiunium obſervent? Cum ieiunii diſpendio rei uxoriæ navare operam licitum erit; ſi cum ieiunii obſervantia id licitum negant Patres?

XIV. Quæſt. III. *An frequens ſit caſus in quo coniugati ob debiti redditionem liberentur a lege ieiunii?* Reſp. Ex diuturna experientia in exercitio miniſterii audiendi fidelium confeſſiones, & ex plurimorum Confeſſariorum atteſtatione, vix ac ne vix quidem contingit ut coniuges liberi ſint ab obſervantia ieiunii ob copulam coniugalem, propter rationem Paludani aſſerentis in IV. diſt. xv. quæſt. IV. *Non autem coniugati excuſantur pro eo quod indigent alimento pro generatione, ſicut iuvenes pro augmento: quia diebus ieiuniorum non debent uti illis actibus: & quia ſufficit ſemel in anno imprægnare: & cum ieiuniis adhuc plus abundant ſemine quam ſit neceſſe.* Neque vero ob hanc ſolum Petri de Palude rationem, qua aſſerit, ſufficere ſemel imprægnare; verum etiam quia coniuges vel iuvenes ſunt, vel provecti. Si iuvenes, ut ait etiam Paludanus, abundant ſemine in ipſis ieiuniis, pluſquam neceſſe ſit: calida enim & fervens eſt communiter ætas illa. Quare non modo ieiunium non impedit eos ad debitum reddendum; ſed potius e contrario ieiunium illis neceſſarium eſt, ut concupiſcentiam comprimant, & humores abundantes minuant, ut copulam maritalem exerceant ſecundum leges caſtæ ſobrietatis. Quid, ſi maritus eſſet adeo effrenis, ut frequentiſſime peteret, & uxor ieiunando impotens foret ad tam frequentem redditionem? Uxor deberet in primis maritum hortari, ut concupiſcentiam ſuam ieiuniis, & aliis afflictionibus maceraret, ut precibus divinum imploraret auxilium, aliiſque viis adniteretur moderari petitiones ſuas ad leges ſobrietatis, & iuxta gracilem uxoris conſtitutionem corporis. Quod ſi vir, his remediis adhibitis, adhuc frequenter peteret; illius fragilitati, etiam cum ieiunii diſpendio, indulgere uxor deberet. Sed caſus rariſſimus eſt. Quod ſi maritus (& idem eſt de uxore) adeo effrenis foret, ut ſpretis omnibus remediis, precibus, & conſiliis, vellet concupiſcentiæ ſuæ habenas laxare, nullo habito reſpectu vel ad imbecillam conſtitutionem corpoream uxoris, vel ad ſupplicationes eiuſdem, vel ad præcepta Eccleſiæ, in hoc eventu ſicut uxor non teneretur reddere cum detrimento propriæ ſanitatis, ita neque cum diſpendio ieiunii reddere teneretur. Et in tali viro periculum incontinentiæ eſſet ex eius malitia, non ex fragilitate. Maritus habet ius petendi; ſed intra leges ſobrietatis, & temperantiæ, habito reſpectu ad ſanitatem uxoris, & ad præceptum ieiunii. At Eccleſia mater benigna eſt: nec obligat ad ieiunium cum tan-

ta

Digitized by Google

ta ſeveritate. Veriſſimum eſt. Liberat te a ieiunii lege, ut fragilitati ſuccurras tui coniugis; ſed non te liberat, ut illius contumaci malitiæ morem geras. Ex quibus omnibus colligo, rariſſimum eſſe caſum in quo coniugati eximantur a ieiunii lege. Et, quod plus eſt, neque in mentem venit coniugatorum, ſe liberos eſſe a ieiunio, ut copulam exerceant maritalem.

XV. Aliqui Caſuiſtæ eo progreſſi ſunt, ut doceant, poſſe coniuges ieiunium omittere, ut robuſtiores fiant ad petendum moderate debitum. Sed hæc opinio improbatur etiam ab ipſo Tamburino: nec maiore indiget impugnatione: quamvis enim debitum ſit reddendi, non tamen petendi.

XVI. Quæſt. IV. *An uxor quæ ieiunii cauſſa macilenta, & conſequenter minus grata marito redditur, & puella quæ, volens nubere, ieiunans formam perdit venuſtatis, a ieiunio excuſentur?* Reſp. Pudet me ſane eiuſmodi quæſita proponere; ſed ad hoc me coegerunt recentes Caſuiſtæ plures, qui eadem & proponunt, & magna contentione verſant; atque illorum non pauci reſolvunt excuſari a ieiunio tum uxores, tum puellas præfatas. Vide Leandrum *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* XLIX. *& ſeqq.* & Tamburinum *loc. cit.* Verum hæc omnia mera inventa ſunt iſtorum Scriptorum, qui ſuas omnes ſpeculationes in morum materia ſcriptis conſignare voluerunt. Ex quo profecto maximum damnum conſecutum eſt, ſcilicet Chriſtianos legentes illorum volumina eas laxitates perdiſcere quas antea ignorabant; & quæ Auctores ſpeculandi gratia, vel ex occaſione cuiuſdam rari, & fortuiti eventus ſcripſere, iſtos pro praxi tuto ſuſcipere. Dico ergo, vix umquam contingere ut vel mulier ratione ieiunii ita macilenta efficiatur, ut deformis appareat, vel puella ſpecioſitatem amittat; quin ieiunium, ut Eccleſia docet, ad corporis ſanitatem, & conſequenter ad pulchritudinem confert. Nonne Daniel cum aliis pueris venuſtior ex ieiunio evaſit? Nonne puellæ ipſæ & a vino, & a cibo abſtinent, ut candidiores, agilioreſque efficiantur? *Ieiunant* (inquit alicubi Auguſtinus) *ne corpore nimis impinguent*. Si quæ mulieres ieiunantes deformes fierent; id non ex ieiunio, ſed ex peculiari infirmitate eveniret. Numquam ergo puellæ ſanæ nubere volentes excuſantur a ieiunio prætextu venuſtatis amittendæ; neque nuptæ prætextu placendi maritis.

XVII. Quæſt. V. *An uxores prægnantes, & lactantes excuſentur a ieiunio?* Reſp. Non modo recentiores, ſed etiam antiqui Theologi communiter prægnantes, & lactantes mulieres a ieiunio excuſari aſſerunt. Sanctus Antoninus *II. Par. tit.* VI. *cap.* 11. *ſ.* 6. inquit. *Quinto prægnantes, & lactantes, ſi debilitas impediat eas, vel ſi ex hoc timetur de periculo earum, aut abortus, vel defectus alimenti pueri, excuſantur a ieiunio, immo deberent dimittere ieiunium*. D. Bernardinus Senenſis *ſerm.* v. *in die cin. art.* 3. addit: *Inſuper ſolent prægnantes habere deſideria inordinata diverſorum ciborum, & quandoque ita intenſa, quod, niſi aliquo modo poſ-*

ſent

Digitized by Google

ſent ſatisfacere appetitui ſuo, eſſet periculum fetus. Ideo in ſimili caſu poſſunt etiam carnes comedere. Quid, ſi prægnantes adeo validæ, & robuſtæ forent, ut abſque periculo fetus, & proprio detrimento poſſent ieiunium ſervare? Quando hæc evidenter, evidentia tamen morali, conſtarent; illas non excuſarem: tametſi eas aliqui Caſuiſtæ adhuc excuſent. Quid, ſi maritus prohibeat ne uxor ieiunet? Reſp. Abſolute uxor non tenebitur obedire marito: quia debitum obediendi Eccleſiæ antecedit debitum obediendi marito in iis quæ ſimul componi nequeunt: tamen ob graves rixas, & magna ſcandala vitanda poſſet ad tempus omittere ieiunium. Verum & caſum hunc rarum iudico. Quoniam, ſi maritus rationabiliter iubet, mulier parere debet. In dubio etiam mariti vere chriſtiani iudicio ſtare debet; niſi oppoſitum evidenter ſibi conſtet. Si poſtea maritus abſque ulla rationabili cauſſa, ſed ex ſua mera iniquitate iuberet tranſgreſſionem ieiunii; in hoc eventu ſcandalum foret phariſaicum, quod mulier evitare non tenetur: multo minus, ſi in marito deprehenderet animum contemnendi præcepta Eccleſiæ: tunc enim abſolute ad ieiunium adſtringeretur. Hæc omnia docent Petrus de Palude, & D. Antoninus II. Par. tit. VI. cap. 11. *§. 6. De uxoribus dicit Innoc. quod, quamvis debeant dimittere ieiunia quæ habent ex voto, prohibentibus viris*, XXXII. *quæſt.* V. *non tamen ieiunia Eccleſiæ. Sed forte propter ſcandalum vitandum poteſt Sacerdos diſpenſare cum tali . . . Sed Petrus de Palude in IV. dicit, quod hoc videtur eſſe ſcandalum Phariſæorum; & per conſequens contemnendum, ſi non vult vir uxorem ieiunare.*

XVIII. Quæſt. VI. *Quid de femina viro hæretico nupta?* Reſp. Ad evitanda diſſidia gravia poſſet aliquando intermittere ieiunia; dummodo tamen maritus non iuberet omittere obſervantiam ieiunii in contemptum Eccleſiæ. Secus dicendum communiter eſt de viro uxoris hæreticæ: quia vir abſolute caput eſt mulieris, & in illam dominatur; illamque facilius ad ſuum vivendi modum perducit.

CAPUT XXIV.

De labore a ieiunio excuſante. Plures quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. Certum eſt quemcumque laborem corporalem a ieiunio non excuſare; quemadmodum aſſerebant plures recentiores Caſuiſtæ, quorum opinionem damnavit Alexander VII. his verbis. *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione ieiunii: nec debent ſe certificare; an labor ſit incompatibilis cum ieiunio.* Ex hac propoſitione evidenter conſtat plures

res eſſe in Republica qui corporaliter laborant, & ad ieiunium nihilominus tenentur. Antequam ultra progredior, lubet recenſere quoddam vivæ vocis oraculum Eugenii IV. quod ſub anno 1440. evulgatum refertur in compendio privilegiorum Fratrum Minorum his verbis. *Idem Eugenius declaravit, quod artifices laborioſas artes exercentes, & ruſtici, ſive divites, ſive pauperes non tenentur ieiunare ſub præcepto peccati mortalis. Et quod abſolvi poſſunt, & induci ad eleemoſynas, & alia bona opera facienda.* Hoc oraculum, quod vivæ vocis dicitur, purum putumque commentum eſſe, plurima ſuadent. In primis D. Antoninus, qui hoc tempore ſcribebat, iſtius oraculi oralis non meminit. Quid quod oppoſitum aperte docet? ut infra videbimus. Deinde contradictiones, & ambigui ſenſus, quos continet, illius falſitatem produnt. Quid, quæſo, ſignificant hæc verba? *Ruſtici, ſive divites, ſive pauperes, non tenentur ieiunare ſub præcepto peccati mortalis?* Tenentur ne ſub peccati venialis pœna? Quænam eſt hæc declarationis forma? *Sub præcepto peccati mortalis.* Sed ultra pergamus. *Et quod abſolvi poſſunt, & induci ad eleemoſynas.* Si liberi ſunt a ieiunio; cur abſolvi, cur ad eleemoſynas, cur ad alia bona opera peragenda inducendi ſunt, ut ieiunii obſervantiam compenſent? Si excuſantur a ieiunio, qua indigent abſolutione? Hæc omnia redolent falſitatem præfati oraculi, quo abutuntur non pauci recentiores, etiam in ampliori ſignificatu, ut iam iam oſtenſuri ſumus.

II. Quæſt. I. *Quinam laborantes, ſeu artifices excuſentur a ieiunio?* Reſp. Quia certum eſt, ut ex recitata propoſitione ab Alexandro VII. proſcripta conſtat, non omnes artifices ſolutos eſſe a lege ieiunii; idcirco declarandum eſt, quinam reipſa excuſentur, & qui teneantur. In primis excuſantur omnes illi qui exercent artes vere laborioſas. Huiuſmodi vero ſunt agricolæ, fabri ferrarii, lignarii, lapidicinæ, cæmentarii, figuli, textores, fullones, lanarii, baiuli, aurigæ, deinde alii ſimiles, qui exercent artes laborioſas.

III. Quæſt. II. *An præfati artifices, qui ita robuſti ſunt, ut abſque gravi incommodo ieiunare valeant, habeantque cibum ad ieiunium opportunum, teneantur ieiunare?* Reſp. Negant illos teneri Leander, & Paſqualigus: quia, inquiunt, ſic declaravit Eugenius IV. ſed teneri nos probabilius adfirmamus. Artes laborioſæ excuſant, quia communiter tales artes exercentes ieiunare nequeunt; at, data hypotheſi quod reperiantur perſonæ ita robuſtæ, ut abſque incommodo notabili ieiunare poſſint; qua ratione eximi debent a ieiunio? Oraculum Eugenii iam dictum eſt eſſe apocryphum: quod confirmabitur *num. ſequenti*. Noſtram ſententiam docet S. Antoninus II. Par. tit. VI. cap. II. §. 6. *Multum laborantes, quibus immineat neceſſitas multum laborandi, ſi non poſſunt ieiunium obſervare, excuſantur. Alias, ſi poſſunt utrumque facere commode, tenentur ieiunare.*

IV. Quæſt. III. *An divites qui exercent artes laborioſas, non ex indigentia, ſed ſo-*

ſolum maioris lucri acquirendi gratia, a ieiunio excuſentur? Reſp. Excuſari defendunt Leander *tract.* v. *diſput.* VIII. *quæſt.* lxxxiii. Paſqualigus, Filliucius, Trullench, aliique: & allegant oraculum Eugenii IV. declarantis artifices, tum divites, tum pauperes a ieiunii lege ſolutos. Contrariam opinionem conceptis verbis docet D. Thomas 2. 2. quæſt. cxlviii. art. 4. ad 3. *Si operis labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ; non ſunt propter hoc Eccleſiæ ieiunia prætermittenda.* Similia habet *in IV. diſt.* xv. *quæſt.* III. *artic.* 2. *quæſtiunc.* 4. *ad* 3. D. Antoninus idem aſſerit II. Par. tit. vi. cap. II. §. 6. *Si poſſunt differre .... aut ſubtrahere, vel diminuere laborem, ita ut poſſint ieiunare; & ex hoc non incurrerent detrimentum ſui ſtatus; tenentur ad ieiunium.* Hanc eamdem ſententiam propugnant Gabriel, Durandus, Armilla. Hinc colliges argumentum aliud falſitatis oraculi Eugenii IV. ſi verum namque fuiſſet, D. Antoninus Auctor ſynchronus oppoſitum non docuiſſet. E contrario veriſimile non eſt Eugenium ſententiam evulgaſſe, Sanctorum, & illius temporis Theologorum doctrinæ adverſam. Illud ergo ſolum lucrum quod neceſſarium eſt ad propriam ſuſtentationem, vel ad alendam familiam, excuſat a ieiunio; ſecus acquiſitio maioris lucri non neceſſarii. Qui vero eximuntur laboris cauſſa a ieiunio, illis diebus quibus non laborant, ad ieiunium tenentur; niſi debilitas peculiaris eos excuſaret.

V. Quæſt. IV. *An ſutores, ſartores, pictores, barbitonſores, ſculptores, argentarii, piſtores, mollitores, furnarii, coqui, ſimileſque ad ieiunium teneantur?* Reſp. Adfirmant plures recentiores præfatos artifices omnes a ieiunio ſolutos eſſe: quia, inquit Leander loco citato, Eugenius IV. excuſatos declaravit omnes artifices; quod falſiſſimum eſt. Oraculum enim commentitium Eugenii excipit ſolos artifices exercentes artes laborioſas: quin nec iſtos excipit; ſed abſolvi poſſe declarat, & ad alia pia opera induci. Quare opinio Leandri, aliorumque plurium Caſuiſtarum damnata eſt ab Alexandro VII.

VI. Dico itaque, recenſitas artes non eſſe abſolute laborioſas; ſed ad ſummum aliquas illorum dubie tantum laborioſas eſſe. Quare ſutores, ſartores, pictores, & barbitonſores a ieiunio nullo modo excuſantur per ſe, & abſolute, ut docet ſanctus Vincentius Ferrerius *ferm.* I. *de ieiunio fer.* IV. *ciner.* his verbis: *Sutores autem, & ſartores, notarii, & ſimiles, qui ſedendo faciunt opera ſua, non excuſantur a ieiunio.* Eſtque penes antiquos, & graviores Theologos ſententia communis. Si aliquis debilis eſſet conſtitutionis, & neceſſitatem haberet exercendi artem, ut ſe, familiamque aleret, neque poſſet cum artis labore ieiunii obſervantiam componere; a ieiunio excuſaretur, non ratione artis, ſed ob peculiarem ſui corporis habitudinem. Ceteri artifices, piſtores, molitores, furnarii, ſculptores; ar-

argentarii, & coqui, quorum artes aliquando, attenta perſonarum qualitate; inter laborioſas collocari poſſunt, aliquando non, abſolute, & per ſe non excuſantur. Sed, quia non omnes æque fortes, & robuſti ſunt; licet non magna brachiorum contentione, nec nimia corporis defatigatione artes ſuas exerceant: propterea arbitrio Superioris, vel Confeſſarii prudentis exempti a ieiunio plures declarari valent pro temporum, & perſonarum varietate. Et in hac materia cum artificibus, qui ob neceſſitatem alendæ familiæ laborant, benignus & facilis ſit Superior, ſive Confeſſarius. Non excuſantur famuli, & famulæ nentes, & fila ducentes, nec incidentes corium pro calceis, nec coqui Religioſorum; quidquid fabuletur Paſqualigus *deciſ.* CCXCVII.

VII. Typographi qui torcular, & prælum tractant, excuſantur; ſecus compoſitores characterum: licet abſque ullo fundamento oppoſitum doceat Leander *quæſt.* lxxxviii. cum aliis recentioribus. Qui torcular tractant, nautæ tota die remigantes, vel alia navis exercitia peragentes, mercenarii, ſeu qui merces per urbem deferunt, a ieiunio excuſantur, quoties per totum diem artes ſimiles laborioſas exercent: ſi enim per paucas horas laborarent, non eximerentur. Quamobrem communiter iudicium Confeſſarii, vel Superioris neceſſarium eſt, quo in praxi declaretur, hunc ad ieiunium teneri, ſecus alterum. Procuratores, advocati, iudices, muſici, cantores, conſiliarii, ceterique ſimiles ad ieiunium abſolute tenentur. Oppoſitum docet Leander *quæſt.* CXXII. & ſequentibus cum aliis recentioribus: quorum opiniones ſi veræ forent, vix eſſent Chriſtiani ieiuniorum obſervantiæ ſubiecti. Quoniam non ſolum Leander cum aliis ſui ſimilibus excuſat præfatos artium liberalium profeſſores a ieiunio; ſed inſuper docet, Cathedraticos legentes cum magno plauſu a ieiunio ſolutos eſſe. *Addo*, inquit quæſt. CXVIII. *idem affirmandum eſſe de legentibus unam aut alteram lectionem oſtentationis, aut oppoſitionis cauſa*. Duo laxiſſima in hac propoſitione continentur. Primum, quod una aut altera lectio, quæ opus potiſſimum intellectuale eſt, afferat laborem liberantem a ieiunio. Secundum, quod labor, oſtentationis, & contradicendi prurigine libere ſuſceptus, a ieiunio excuſet. Nimis prolixus eſſem, ſi recenſere vellem omnes cuiuſque ſtatus, & profeſſionis perſonas, quas a ieiunio eximit Leander cum Paſqualigo, aliiſque *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* CXVI. *& ſeq.* Indicare ſufficiat, præfatos Auctores declarare ſolutos a lege ieiunii, variis diſtinctiunculis adiectis, Lectores Theologiæ, iuris civilis, canonici, Medicinæ, Philoſophiæ, Lectores præſidentes diſputationibus publicis, legentes quatuor lectiones Grammaticæ, ſcholares per totum diem ſtudentes, ſcribas, notarios, Principum ſecretarios, medicos, chirurgos, cantores: adde viros ſexagenarios, feminas quinquagenarias, coniugatos, & exercentes artes vere laborioſas, iter agentes, equitantes. Quid plura? Quærit Leander, an labor ingenii excuſet a ieiunio? Et reſpon-

Digitized by Google

ſpondet *quæſt.* CVIII. laborem ingenii magnum eximere a lege ieiunii. Et, cum nullus fere ſit qui ingenium valde non exerceat; ſic omnes fere a lege ieiunii ſoluti erunt iuxta Leandrum, & aliquos alios recentiores. Sed tædet longius in his laxitatibus confutandis immorari. Soli ne otio diffluentes ieiunabunt? Nonne omnes in ſudore vultus comedere panem debent? Et nihiloſecius ieiunia Deus, & Eccleſia imponunt hominibus laborantibus.

VIII. Quæſt. V. *An iter pedeſtre agentes excuſentur a ieiunio?* Reſp. Qui iter pedeſtre neceſſarium inſtituunt, ſi longum ſit, & per integrum diem, communiter excuſantur; ſecus, ſi iter liberum ſit, & differri poſſit in aliud tempus. Sic docent D. Thomas, Antoninus, Paludanus, Sylveſter, & fere omnes antiqui. Non ergo iter breve excuſat. Habenda tamen ratio eſt viæ arduæ, & lutoſæ, quæ multum debilitat itinerantem.

IX. Quæſt. VI. *An equitantes a ieiunio liberentur?* Reſp. Abſolute eos excuſatos eſſe, adfirmant Leander *quæſt.* CI. Diana, Ortiz, & alii. Sed hæc opinio damnata eſt ab Alexandro VII. his verbis: *Excuſantur abſolute a præcepto ieiunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* Divus Vincentius Ferrerius *ferm.* I. *fer.* IV. *ciner.* a ieiunio excuſat itinerantes pedeſtres propter neceſſitatem. *Equitantes autem* (inquit) *non excuſantur. Equus, vel mula poterit cœnare; ſed non vos ſine peccato.* Curſores pedeſtres, quorum uſus neceſſarius eſt dominis, ſi non poſſunt iter agere cum ieiunio, excuſantur, inquit ſanctus Antoninus loco ſæpius laudato. Potiori iure ad ieiunium tenentur qui ciſio, curru, vel lectica iter agunt. Milites ſive in caſtris, ſive in munitionibus communiter a ieiunio eximuntur, tum ob magnos labores, tum quia ſtatis horis nec poſſunt comedere, nec habent cibum congruum pro ieiunio. De labore a ieiunio excuſante, quæ nobis probabiliora viſa ſunt, docuimus in communi, & etiam ſingillatim. Verum tot in praxi occurrunt circumſtantiæ, ut nequeat regula conſtans, & certa aſſignari; ſed frequenter iudicium Superioris, vel Confeſſarii neceſſarium eſt. Ex regulis vero præſcriptis facillime poterit Superior, vel Confeſſarius ab extremis ſeveritatis, & laxitatis declinare, & ſolvere, aut ligare iuxta temporum, & perſonarum diverſitatem.

CAPUT XXV.

De iis qui ratione pietatis a ieiunio excuſantur. Aliquæ difficultates explicantur.

I. TErtia cauſſa, quæ non raro a ieiunio excuſat, eſt pietas. Illi enim qui opera miſericordiæ, pietatis, religionis exercere debent, vel ſolent, & nequeunt ſimul cum præfatis operibus ieiunare, poſſunt ieiunium omittere. Siquidem, quando ieiunii præceptum impedit id quod evidenter maius bonum eſt, non obligat. Idque communiter omnes adfirmant. In hoc ſolum diffident, quod aliqui velint tunc ſolum opera pietatis a ieiunio excuſare, quando ex officio, vel obedientia exercentur; ſecus, cum libere, & ex arbitrio peraguntur. Ego vero cenſeo, opera pietatis, caritatis, & miſericordiæ, ſive ſpiritualia, ſive corporalia, a ieiunio excuſare, quoties cum ieiunio coniungi non poſſunt, ſive ex officio, & obedientia, ſive ex propria voluntate fiant; dummodo in fraudem ieiunii non peragantur. Quare, ſi quis idcirco præfata opera aggrederetur, ut a ieiunio liber foret, iſte violaret præceptum ieiunii. In hanc ſententiam propendet D. Thomas in IV. diſt. xv. quæſt. III. art. I. quæſtiunc. 2. ad 3. *Si enim ſit tanta abſtinentia, quod homo ab operibus utilioribus impediatur, quamvis ad ea de neceſſitate non teneatur; indiſcretum eſt ieiunium, etſi non ſit illicitum.* Hoc tamen verum eſt, quando eiuſmodi opera differri nequeunt; & ſunt evidenter maius bonum quam ieiunium. Tunc autem conſtat de maiori bonitate, quando manifeſta eſt proximi noſtri indigentia, quæ noſtra caritate, pietate, & religione ſublevari opus habet. Heinc excuſantur qui per totam noctem vigilantes, & laborantes infirmis opem ferunt, & qui in hoſpitalibus, vel Monaſteriis iiſdem infirmis aſſiſtunt, quando ſimul ieiunare non poſſunt.

II. Quæſt. I. *An peregrinatio voluntaria excuſet a ieiunio, quod cum eadem ſimul coniungi nequit?* Reſp. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 4. *ad* 3. huic quæſito reſpondet his verbis. *Ad tertium dicendum, quod circa peregrinos, & operarios, diſtinguendum videtur. Quia ſi peregrinatio, & operis labor commode differri poſſit, aut diminui abſque detrimento corporalis ſalutis, & exterioris ſtatus, qui requiritur ad conſervationem corporalis, vel ſpiritualis vitæ, non ſunt propter hoc Eccleſiæ ieiunia prætermittenda. Si autem immineat neceſſitas ſtatim peregrinandi, & magnas diætas faciendi, vel etiam multum laborandi vel propter conſervationem vitæ corporalis, vel propter aliquid neceſſarium ad vitam ſpiritualem, & ſimul cum hoc non poſſint ieiunia Eccleſiæ obſervari; non obligatur homo ad ieiunandum: quia non videtur fuiſſe intentio Eccleſiæ ſtatuentis ieiunia, ut per hoc im-*

Digitized by Google

impediret alias pias, & magis neceſſarias cauſſas. Similia habet Angelicus in IV. diſt. xv. quæſt. iii. art. 2. quæſtiunc. 4. ad 1. *Si autem peregrinatio commode differri non poteſt, vel quia tempus ieiunii hominem in via præoccupat, vel quia dies feſtus alicui imminet, ad quem ex devotione homo pergere cupit .... poteſt cum diſpenſatione Superioris, omnia prædicta penſantis, peregrinari, & ieiunium ſolvere. Hoc tamen intelligitur de his qui labore itineris ita affliguntur, quod ſimul cum ieiunio itinerare non poſſunt.* Adeo clara, & decretoria eſt D. Thomæ doctrina, ut ſuperfluum ſit fuſius eam explicare.

III. Ex hac ſancti Thomæ doctrina colligas velim, quam adverſa ſit ſanctorum menti, & quam laxa opinio Paſqualigi, & aliorum recentiorum, aſſerentium licitum eſſe aſſumere non modo peregrinationem religioſam, & piam, ſed etiam opera illicita, nempe nimium (erubeſcit atramentum ipſum) cum meretricibus coitum, ebrietatem, & id genus ſimilia ad ieiunia evitanda. Sancti Doctores negant, licitum eſſe religionis ergo ſuſcipere peregrinationem non neceſſariam, vel quæ differri poſſit, quando prævidetur ieiunii transgreſſio; hi vero novi Doctores effutiunt, aſſumi media illicita poſſe cum expreſſa intentione non ieiunandi, quin peccetur contra præceptum ieiunii. Hanc opinionem inter laxiſſimas recenſui ſupra *cap.* 1. *num.* 13. Sed fuſius ſuo loco.

IV. Quæſt. II. *An qui feria quinta hebdomadæ ſanctæ, vel feria ſexta diſciplina ſe ſe publice flagellant excuſentur a ieiunio, quod cum eadem diſciplina componi nequit?* Reſp. Salmanticenſes *tractat.* xxiii. *cap.* ii. *punct.* 7. *§.* 3. *num.* 146. probabiliorem eſſe opinionem illam aſſerunt quæ docet, præfatam diſciplinam, potiſſimum eo modo quo fit in Hiſpania, excuſare a ieiunio: quia, inquiunt, eſt actus pietatis, pœnitentiæ, & religionis. Deinde addunt, ieiunium inſtitutum fuiſſe ab Eccleſia ad corpora caſtiganda, & paſſiones rebelles compeſcendas. Publica autem flagellatio plus macerat corpus, & paſſiones ſubigit quam plura ieiunia. Ergo hæc omitti valent, quando ob publicam macerationem ſervari nequeunt. Quam infirma, quamve inepta ſint eiuſmodi argumenta, nemo non videt. Quoniam non ſolum conſiderandum eſt in ieiunio, quod corpus, & ſenſus maceret; ſed præcipue eſt attendendum, quod præcipiatur ab Eccleſia, & quod præter corporis afflictionem, ſenſuumque refrenationem, ſecum afferat obſequium, & obedientiam quam fidelis præſtare debet matri ſuæ Eccleſiæ. Non modo publica, ſed etiam privata flagellatio plus corpus macerare valet quam ieiunium. Licitum ne propterea erit cuique dorſum percutere, etiam uſque ad effuſionem ſanguinis, & ventrem contra præcepta Eccleſiæ implere? Non modo hæc publica flagellatio cum ieiunii diſpendio non ædificat proximum, non confundit hæreticos, non promovet Eccleſiæ decorem; ſed contra tum prudentes Catholici, tum invidi hæretici commoventur, dum vident Eccleſiæ præcepta violari ob volunta-

riam corporis carnificinam. Quare hic appoſite uſurpari poteſt illud: *Melior eſt obedientia quam victima*. His paucis contrita remanent argumenta producta.

V. Quæſt. III. *An licitum ſit ieiunium obligans ſub mortali ſolvere ob hoſpitem ſuſcipiendum?* Reſp. Paſqualigus *deciſ.* 350. eo laxitatis proceſſit, ut docuerit licitum eſſe ſolvere ieiunium, quoties ſuſcipitur hoſpes, maxime ſi ſit nobilis, vel Princeps: quia, inquit, ſi non parares cœnam, hoſpes putaret te cœnæ expenſas ægre ferre; ſi cœnam paras, & accumbis, ſed non comedis, aut parum comedis, licet obtrudas obligationem ieiunii, id tibi ad importunam correptionem imputabitur. Quare non modo hoſpitem tuum beneficio tibi non devincires; ſed potius male de illo mereneris. Hanc Paſqualigi opinionem inter laxas recenſuimus *cap.* 1. *num.* 17. Iniuſte Leander *tract.* v. *diſp.* VIII. *quæſt.* cl. laudat pro hac ſententia Azorium, & Trullench. Quoniam hi Auctores ſolum docent, quod in caſu quo amicus, vel hoſpes ob ſuam aliquam infirmitatem, vel ignorantiam, nollet manducare, vel cenſeret, erronea conſcientia deceptus, quod peccaret comedendo, eſſetque periculum vitæ, vel gravis damni, tunc ſolum, ut proximi damno conſuleret, poſſet ſpiritu caritatis comedere eo fine, ut amicum, hoſpitem, vel infirmum ad comedendum induceret: quemadmodum patet exemplo ſancti Spiridionis, quod profert Azorius. Ceterum quod Chriſtianus ieiunium frangere poſſit ob vanos illos reſpectus, & mundanum timorem, aliaque futilia commenta, quæ obtrudit citatus Auctor, a veritate, & a chriſtianæ religionis ſenſu omnino abludit. Quandoquidem aut hoſpes catholicus eſt, aut non. Si eſt catholicus, dum audit hoſpitem ſuum ieiunii lege teneri, nihil eorum quæ comminiſcitur Paſqualigus, poteſt rationabiliter ſuſpicari. Si hæreticus eſt, utique obſervatorem ieiunii deridebit; ſed non ob id deſerenda eſt ieiunii obſervantia. Denique, ſive hæreticus ſit, ſive catholicus, non poteſt ob vanas ſuſpiciones, & iniuſtas deriſiones ieiunii præceptum violari.

VI. Quæſt. IV. *An Concionatores, Confeſſarii, aliique, qui doctorum, vel magiſtrorum officium exercent, ſint a ieiunio excuſati?* Reſp. Antequam Theologorum opiniones, meamque ſententiam promo, id conſiderandum obiicio quod de ſemetipſo ſcriptum reliquit Concionatorum magiſter D. Paulus Apoſtolus I. Cor. IX. *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar*: ubi D. Thomas in commentariis hæc ſcribit: *Ergo implet facto quod docet verbo, ne ſe damnet ore proprio*. Laudat deinde Auguſtinum dicentem: *Suo timore nos terruit Apoſtolus: quid enim faciet agnus, ubi aries timet, & tremit?* His veſtigiis inſtiterunt omnes ſancti Concionatores. Plus corporis, ſenſuumque afflictione, atque interiori virtutum exercitio quam vocis ſonitu, auditores commovebant; plus exemplo quam verbo docebant. Hæc exempla imitentur oportet noſtri temporis Concionatores, ut parem verbi divini fructum aſſe-

Digitized by Google

aſſequi valeant: væ namque illis, ſi quod verbis ædificare ſatagunt, moribus deſtruant.

VII. Dico itaque primum, Concionatores non poſſe ob prædicationis quadrageſimalis officium carnes comedere. De hac abſtinentia nec Theologi, nec Caſuiſtæ, quos ego legi, verbum ullum faciunt: quoniam fortaſſis ut certum ſupponunt, id non licere. Et in primis conſtitutiones ſacrorum Ordinum communiter ſtatuunt, ut Concionatores qui cibis quadrageſimalibus veſci nequeunt, concionari deſiſtant in Quadrageſima. Conſtitutiones Ordinis Prædicatorum apud Fontanam titulo *de Prædicatoribus* ita decernunt. *Concionatores qui tempore Quadrageſimæ a carnibus abſtinere non valent, per Quadrageſimam ad populum concionari non poſſint, ne plus tanto ſcandalo offendant, quam verbis ædificent*. Conſtitutiones Societatis Ieſu. *Tom. II. pag.* 124. *ult. edit.* hæc ſtatuunt: *Qui cibis quadrageſimalibus veſci non poſſunt, hi propter ædificationem proximi extra domos noſtras concionaturi ne mittantur*. Aliarum conſtitutionum textus recenſere omitto, quia exemplaria ad manus non habeo. Sed omnes quas me legiſſe memini, carnium eſum vetant Concionatoribus tempore Quadrageſimæ. Et merito. Qua enim efficacitate ſuadere abſtinentiam, ieiunium, pœnitentiam, aliaſque corporis afflictiones valent Concionatores illi qui, cum ratione & ſtatus religioſi, & miniſterii apoſtolici, ſeveriori vivendi inſtituto ſint adſtricti, lautitias, & ſelectiores epulas conſectantur? Et tamen (heu tempora perditiſſima!) Concionatores nonnulli ſingulis diebus, vel ipſo veneris die, carnibus in Quadrageſima veſcuntur. Mirum ergo eſſe non debet, ſi nullam divini amoris ſcintillam in peccatorum cordibus accendant. Extincto enim in ipſis cæleſti igne, & carnis ſpiritu prævalente, ſermo illorum ad aures cordis non pertingit. Carnes, inquis, comedo, quia magna totius corporis agitatione, ac laterum vi, & reſonante voce concionem recito. Quapropter vires corporis nimium debilitantur, multique conſumuntur ſpiritus. Excuſationes iſtæ carnales ſunt. Quid quod omnes e. g. concionatores Cappucini ſine carnium eſu, non modo magna corporis contentione, ſed & ſpiritus fervore ſingulis diebus in Quadrageſima concionantur? Nonne homines illi æque ac tu? Cur illi, quamquam aliis ſeverioribus conflictationibus extenuati, valent quotidie concionari ſolis cibis quadrageſimalibus nutriti; tu vero id nequis? Cur? Non certe ex impotentia, quam illorum experientia evincit eſſe commentitiam. Unde ergo in te tanta teneritas? Unde tanta mollities? Tumet originem perquirito: ego enim eam retegere nolo. Id ſolummodo addo, rationem vivendi quorumdam Concionatorum nimium laxam in cauſſa eſſe cur pauci peccatores pœnitentiæ viam arripiant. Quod ſi quandoque etiam Concionatorum aliqui qui laxe vivunt, fructus pœnitentiæ in ſuis auditoribus pariunt; id divinæ miſericordiæ tribuendum eſt, quæ luto, & ſputo interdum utitur, ut cæcorum oculos aperiat. Per ſe, & abſolute ſecus ac-

Digitized by Google

cidit. Quia ſicut Sacerdos, ſic & populus. Quod ſi cœpto concionum curſu in ipſa Quadrageſima vel vocis defectio, vel virium imbecillitas contigerit; poterit Concionator diſpenſationem a ſuperiore impetrare carnes comedendi.

VIII. Dico ſecundo, Concionatores qui ſingulis diebus conciones ad populum habent, ſi ieiunare nequeant, diſpenſationem a ſuperiore impetrare debere ſolvendi ieiunium: quam diſpenſationem facillime impertiri poteſt ſuperior. Iuſta enim adeſt ratio diſpenſandi; quin Theologi communiter docent, præfatos concionatores a ieiunii lege liberos eſſe. Sed ego afferere non audeo officium ipſum Concionandi a ieiunio excuſare; cum potius e contrario ſanctitas talis miniſterii & ſeveram ieiunii obſervantiam, & precum fervorem, & alia pœnitentiæ tum internæ, tum externæ opera expoſcat, ut Patres docent, & ſancti Concionatores omnes reipſa præſtiterunt. Quare Concionatores qui ieiunare poſſunt, ad ieiunium teneri puto. Qui certo impotentes ſunt, vel qui dubitant de ſua impotentia, a ſuperiore ieiunii diſpenſationem, vel commutationem obtineant. Sub initium maxime miniſterii diſpenſatio facile tribuenda eſt.

IX. Dico tertio, nimis laxam eſſe opinionem Thomæ Sanchez, qui *Lib. V. conſil. cap.* 1. *dub.* 13. *num.* 6. excuſat a ieiunio eos qui ter, vel quater in hebdomada concionantur: quoniam debent conſervare vires pro aliis futuris Quadrageſimis. *Concionatores*, inquit, *qui in Quadrageſima concionantur ter, vel quater in hebdomada, communiter & regulariter excuſantur, ita ut nullo die Quadrageſimæ teneantur ieiunare; & hoc maxime, ſi cum fervore concionentur . . . . quia hoc videtur requiſitum ad robur neceſſarium ad bene, & fructuoſe concionandum: quia, ut viri docti dicunt, qui debet officium exercere, non tantum debet attendere, an poſſit in hac Quadrageſima, vel in hac die ſimul ieiunare, & prædicare, ſed etiam ut conſerventur vires, & poſſit plures dies, & Quadrageſimas prædicare. Sic docti iuniores.* Hanc opinionem inter propoſitiones nimium laxas recenſui *cap.* 1. *num.* 18. Ex ea enim ſequitur, etiam artifices qui ter in hebdomada artes laborioſas exercent, in nullo die ad ieiunium in Quadrageſima teneri: quod quam ſit abſurdum, per ſe patet. Neque iis diebus quibus Concionatores non exercent miniſterium concionandi, ieiunare debent? Quia tribus in hebdomada diebus prædicant, aliis quatuor diebus ieiunium ſolvere poterunt? Cur? Quia docti iuniores docent conſervandas vires eſſe pro futuris Quadrageſimis. *Quia hoc videtur requiſitum ad robur neceſſarium ad bene, & fructuoſe concionandum.* Papæ! Fructus evangelicæ prædicationis non ex corporis maceratione, non ex precum fervore; ſed ex robore pleni ventris, ex pinguedine terræ? Quid Hieronymus ad Nepotianum *Lib. II. epiſ. famil. epiſ.* XII. clamat. *Non confundant opera tua ſermonem tuum; ne, cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt qui pleno ventre de ieiuniis diſputat. Accuſare avaritiam & latro*

po-

Digitized by Google

poteſt. Revera præfata opinio apoſtolicum miniſterium, quod divinæ gratiæ potiſſimum innititur, deriſioni, & ſibilis exponit; atque Concionatores ipſos ad nimias provocat laxitates. His ſimilibus Caſuiſtarum opinionibus decepti Concionatores quidam in villis, & pagis ter in hebdomada miniſterium exercent, & cum maximo populorum ſcandalo in *nullo Quadrageſimæ die* ieiunant. Et, quod ultimum malorum eſt, in tanta opinionum pravitate educati, non modo ieiunia, ſed frequentiſſime ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, & interdum divinum officium recitare negligunt. Et hi potiſſimum ſunt qui ideo conciones ad populum habent, ut ſtipendium aſſequantur temporale, atque auram, clamoremque popularem captent: contra quos hæc ſcribit Hieronymus in laudata epiſtola. *Docente te in Eccleſia, non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrymæ auditorum laudes tuæ ſint, ſermo Presbyteri Scripturarum lectione conditus ſit. Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam, garrulumque ſine ratione; ſed myſteriorum peritum, & ſacramentorum Dei tui erudititiſſimum. Verba volvere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt . . . Nihil tam facile quam vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ, quidquid non intelligit, plus miratur*. Sed hæc obiter, & per tranſennam dicta ſint.

X. Dico quarto, Confeſſarios, Magiſtros, Lectoreſque ſcientias docentes nullo modo a ieiunio excuſari. Quia eiuſmodi officia ſunt mentis potius quam corporis partus; ſeu iſtis plus mens quam corpus deſatigatur. Porro ad mentis exercitia peragenda ieiunia conferunt potius quam noceant. Non negaverim tamen, ſecus aliquando contingere. Idcirco arbitrio prudentis id relinquendum eſt. Quando enim munera ſpiritualia, quæ animarum profectum promovent, exerceri non poſſunt cum ieiunii obſervantia; ieiunia omittenda eſſe nemo negaverit. Si enim labor corporalis ſufficiens cauſſa ſæpe eſt cur aliquis a ieiunio excuſetur; quanto magis excuſabit a ieiunio labor mentis, ſuſceptus propter aliquid ad ſalutem æternam neceſſarium, vel ad vitam ſpiritualem ordinatus? Id ſolum dicimus, laborem hunc mentalem ſuapte natura non excuſare communiter a ieiunio. Doctores, Lectoreſque ob ſuas quotidianas conſuetaſque lectiones, quemadmodum & magiſtri Grammaticæ, qui plures lectiones, & per plures horas docent, a ieiunio non excuſantur ullo modo. Si vero in aliquibus publicis diſputationibus ob peculiarem mentis attentionem, & ſtudium inſolitum aliquis virium delibitatem experiretur; diſpenſationem a ieiunio impetret, quam ſuperior facillime, & iuſte in ſimilibus caſibus concedere poteſt, & debet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De diſpenſatione, quæ ab ieiunii obſervantia liberat. Quinam poſſint banc diſpenſationem concedere.

I. QUarta cauſſa, quæ ab obſervantia ieiunii exſolvit, eſt diſpenſatio, quæ communiter definiri ſolet his verbis: *Eſt iuris alicuius relaxatio ab eo qui legitimam habet poteſtatem, facta*. De natura, & cauſſis diſpenſationis ſuo loco pro dignitate tractabitur. In præſentia breviſſime dico, diſpenſationem iuſtam a ieiunio excuſare: idque omnes fatentur. Quinam porro ii ſint qui hanc diſpenſationem impartire valeant, paucis declarabimus.

II. Pontifex ſummus in univerſam Eccleſiam poteſtatem habet diſpenſandi a ieiunii lege, quæ humana eſt, quatenus determinata ieiunia, & dies, quibus ieiunandum ſit, præſcribit. Si Pontifex abſque iuſta cauſſa diſpenſaret a lege, culpam committeret, maiorem, vel minorem, prout maioris, aut minoris momenti eſſet lex a qua eximeret, Et; quia magni ponderis eſt ieiunii lex, quæ divinam quamdam ſapit originem, ſi ab ea ſine rationabili cauſſa diſpenſaret, dubio procul gravis culpæ reus evaderet.

III. Epiſcopus cum ſuis ſubditis diſpenſare valet, ut ex D. Thoma in *IV. diſt.* XV. *quæſt.* III. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 3. & 2. 2. *quæſt.* CXLVII. *art.* 4. docent communiter Theologi, & Canoniſtæ. Idque experientia conſtat: quoniam reipſa Epiſcopi in ſuis diœceſibus diſpenſant. Et revera id ratio optimi regiminis poſtulat, ut ſcilicet ſatis provide ſubditis pro occurrentibus caſibus conſultum ſit. Porro, ſi Epiſcopus poteſtate deſtitutus foret diſpenſandi ſubditos ſuos a ieiunii lege, ſatis illis proviſum minime foret: quoniam frequens eſt cauſſa diſpenſandi; & difficilis eſt ad ſummum Pontificem acceſſus. Diſpenſatio Epiſcopi a ieiunio, univerſæ Eccleſiæ indicto, ſine iuſta cauſſa illicita eſt, & invalida: quia Epiſcopus non habet poteſtatem ſupra ius commune univerſæ Eccleſiæ. Quare, dum a lege ieiunii quadrageſimalis ſubditos ſuos ſolvit, iuxta aliquos Auctores non diſpenſat; ſed tantum declarat in hoc aut illo caſu legem non obligare. At, ut ego arbitror, vere diſpenſat: quoniam licet lex univerſalis pro tota Eccleſia ſit ſupra facultatem Epiſcopi; prout tamen hæc lex ſpectat hanc diœceſim, ſubiacet iuriſdictioni epiſcopali, quatenus Epiſcopus valet legem illam interpretari, & ex iuſta cauſſa ab eadem ſuos ſubditos diſpenſare: alioquin Epiſcopus non plus, a hoc quod attinet, auctoritatis haberet quam ſimplex Confeſſarius. In lege vero vel a ſemetipſo, vel a Synodo diœceſana lata, non ſolum poteſt diſpenſare, verum etiam eamdem iuſta de cauſſa abrogare valet.

IV.

IV. Parochis diſpenſandi poteſtatem denegant plures Theologi: quia Parochorum poteſtas ultra fori interioris limites non extenditur. At, quidquid ſit, num vi iuris communis Parochi valeant diſpenſare nec ne, communiſſima eſt Theologorum, & Canoniſtarum ſententia, iure conſuetudinis ſaltem Parochos diſpenſare ob iuſtam cauſſam poſſe ſuos ſubditos parochianos. Nam non ſemper facilis ad Epiſcopum acceſſus eſt; & alioquin ſæpe urgent diſpenſandi rationes. Quin mihi probabilior videtur ſententia, defendens poſſe Parochum valide & licite diſpenſare ſubditos ſuos, etiam præſente Epiſcopo: quia, experientia teſte, id conſuetudine invectum eſt. Diſpenſant enim Parochi, nec Epiſcopi reclamant. Idque conſonat ſuavi regimini Eccleſiæ. Nimis enim grave foret, ſi fideles ex locis remotis adire deberent Epiſcopos ad impetrandam diſpenſationem ieiunii, cuius neceſſitas in diem occurrit, & in diem tranſit, ſeu deficit. Vicarii quoque Parochorum, ſeu eorum vices gerentes, niſi Parochi expreſſe repugnent, poſſunt diſpenſare parochianos ob iuſtam cauſſam; qua ſublata, diſpenſatio illicita eſſet, & invalida; peccarentque tam Parochi, quam eorum Vicarii illam impertientes.

V. Superiores Regularium poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare: quia iuriſdictionem ſpiritualem habent providendi ſubditis ſuis in omnibus iis quæ ad eorum optimum regimen congrua iudicaverint. Communis enim ſententia eſt, id poſſe Prælatum regularem cum ſuis ſubditis quod poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. Eadem ſiquidem utriuſque ratio eſt, ut ſcilicet ſubditis omnibus in neceſſariis bene proviſum ſit. Superiores autem Regularium ſunt Generales, qui in univerſo Ordine ſubditos diſpenſare valent, Provinciales in tota provincia, & Priores, Rectores, ſeu Guardiani conventuum in toto conventu. Vicarii quoque ſuperiorum localium, abſentibus ſuperioribus, diſpenſare valent, cum illorum vicibus funguntur. Hi omnes in ieiuniis, ſive a Regula, ſive ab Eccleſia præceptis, & in abſtinentia a carnibus diſpenſare ob iuſtam cauſſam poſſunt. Diſpenſantes vero ſine iuſta cauſſa peccant. Et, ſicut cum aliis, ita quoque cum ſemetipſis diſpenſare valent.

VI. Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & aliæ quævis ſuperiores Moniales, cum nullam habeant clavium poteſtatem, nullamque ſpiritualem iuriſdictionem, ad quam feminæ non ſunt idoneæ, nequeunt Moniales diſpenſare; poſſunt tamen declarare, in hoc vel illo caſu Moniales ſubditas ad ieiunium non teneri. Quæ omnia communia ſunt.

VII. Epiſcopi, iuſta urgente cauſſa, belli, peſtis, ſimiliſque neceſſitatis, poſſunt cum tota diœceſi, vel civitate diſpenſare. Parochus tamen id non poteſt reſpectu totius parochiæ ſibi ſubditæ; ſed Epiſcopum adire debet in ſimili eventu, qui raro contingit.

VIII. Confeſſarii poteſtatem haud habent diſpenſandi ſuos pœnitentes; ſed ſolum

lum quandoque poſſunt declarare in dubio pœnitentis legem non obligare in tali caſu. Confeſſarii enim iuriſdictionem nullam habent ſupra pœnitentes, niſi in iis quæ ad forum internum ſpectant. Diſpenſatio autem actus eſt iuriſdictionis, quam, ut dixi, Confeſſarius non habet.

IX. Medici nullo modo diſpenſare valent a ieiunio; ſed ſolum iudicium proferre, quod infirmitas, vel debilitas nocumentum notabile afferat, niſi ieiunium ſolvatur. Non quælibet difficultas, non quodvis incommodum, ut capitis levis dolor, vel ſtomachi quæcumque debilitas, ſed illa tantum corporis moleſtia quæ notabile detrimentum naturæ inferre probabiliter poteſt, ſufficit medico, ut licite, & tute atteſtationem faciat ſuperiori, qui diſpenſare, hac poſita atteſtatione, valet. Sed miſeri medici potiſſimum in cauſſa ſunt cur ieiunia paſſim violentur. Iſti enim, ut auram popularem aucupentur, ut numeroſam clientum turbam ſibi concilient, ut res ſuas promovere valeant, omnibus, potiſſimum nobilibus, & mollioribus feminis, non modo quæſiti atteſtationem faciunt, ſed ſponte offerunt: omnibus lenocinantur, ac blandiuntur. Caveant miſeri, ne, dum aliorum concupiſcentiæ, gulæ, & intemperantiæ indulgent, ipſi perpetui incendii pœnas luere debeant. Illis dumtaxat atteſtationem faciant quorum infirmitas, aut debilitas notabilis eſt. Incommoda quæ remota ſunt, contemnant. Quæ tantum probabiliter proxime imminent, cauſſæ ſufficientes ſunt iuſtæ diſpenſationis, & atteſtationis. Quando infirmitas, vel incommodum grave, & manifeſtum eſt, non eſt neceſſaria diſpenſatio; ſed medicus ipſe declarat, infirmum excuſatum eſſe a ieiunio. Quare S. Antoninus *II. P. tit. VI. cap. 11. §. 6.* inquit: *Item de conſilio rationabili medicinæ infirmus ſolvens ieiunium, vel comedens carnes diebus prohibitis non peccat; ſed peccaret medicus, ſi ſine cauſſa rationabili, vel ſaltem dubia talia mandat, vel ordinat infirmis.*

X. De cauſſis iuſtæ diſpenſationis in diſſertatione de diſpenſationibus ſermo erit. Cauſſæ quæ ſufficiunt ad impartiendam diſpenſationem a ieiunio, ex iis quæ dicta ſunt, conſtant. Lubet dumtaxat hic ſubiicere doctrinam Sylveſtri verb. *Ieiun.* quæſt. VII. num. 20. *Tertium quantum ad diſpenſationem ſuper ſolutione ieiunii talis regula ſervanda videtur ex mente omnium Doctorum. Si certum eſt quod quis ieiunare non poſſit ex cauſſæ evidentia, poteſt quis ieiunium propria auctoritate dimittere ſecundum Vervec, & omnes. Si vero ſit dubium, conſulendus eſt vir bonus, & peritus, puta medicus, aut Confeſſor, vel alius. Et, ſi iudicio eius cauſa eſt evidens, iterum poteſt quis propria auctoritate dimittere ſecundum mentem eiuſdem Vervec, quia eo caſu cauſa eſt evidens. Si vero ipſe ſit dubius, oportet adire ſuperiorem, ideſt Epiſcopum, vel proprium Sacerdotem, qui declarare poteſt auctoritative diſpenſando in dubio. Limita tamen totam regulam, ceſſante ſcandalo: quia, etiam cauſa extante evidente in ſe, vel aliquibus, ſi inde aliqui ſcandalizarentur, petenda eſſet diſpenſatio.*

XI.

Digitized by Google

XI. Quando itaque infirmitas, ſeu debilitas evidens eſt, non requiritur diſpenſatio: quoniam, certa exiſtente cauſſa impediente ieiunium, lex non obligat. Dum infirmus, vel valetudinarius, ſive quolibet alio incommodo gravatus dubitat, conſulat medicum, vel Confeſſarium. Si iſti declarant, cauſſam excuſantem eſſe certam; abſque diſpenſatione ſolutus eſt a ieiunio. Si iſti dubii ſunt, num cauſſa ſatis ſit nec ne; tunc Superiorem adeat pro diſpenſatione, & Superior in aliud pium, ſed non grave, neque petenti diſpenſationem incongruum, opus commutet debitum ieiunandi. Illud animadvertant Superiores, maiorem requiri cauſſam ad diſpenſandum in eſu carnium quam in ieiunio. Quare, ſi ſufficiat ſecunda comeſtio, non diſpenſent in ciborum qualitate: ſi carnium eſus ſuccurrat indigenti, non concedatur duplex refectio. Ad diſpenſandum in lacticiniis cauſſa ſatis levis ſufficit. Quando quis in Quadrageſima diſpenſatus eſt in eſu carnium abſolute, non intelligitur diſpenſatus in feriis ſextis, & ſabbatis, nec in quatuor temporibus, niſi in diſpenſatione id fuerit expreſſum.

XII. Ex his quæ dicta ſunt, improbata manet opinio plurium Caſuiſtarum, qui aſſerunt, non teneri ad ieiunium illos qui dubitant, an ſint obligati: quia melior eſt conditio poſſidentis: quam rationem falſam eſſe alibi probavimus. Si autem dubii eſſent excuſati, vix foret diſpenſationi locus. Sed de hoc fuſius ſuo loco. Referuntur pro Regularibus aliqua privilegia & Sixti IV. & Leonis X. quibus declaratur, Regulares, dubitantes ſuper obligatione ieiunii, excuſatos eſſe, & a petendæ diſpenſationis debito exemptos. Addunt etiam Salmanticenſes ex Rodriquez *tract.* XXIII. *cap.* II. *punct.* 7. *num.* 159. Leonem X. conceſſiſſe Religioſis itinerantibus ut ieiunium ex præcepto Eccleſiæ unius diei in alium diem transferre valeant; vel horam comeſtionis anticipare. Sed hæc privilegia mihi commentitia ſunt; nec videre ea licuit. Explicatio vero quam Paſqualigus exhibet *deciſ.* CCCCXVI. *num.* 3. quamque refert Leander *quæſt.* LIV. *diſp.* X. *tract.* V. laudati privilegii, illud apocryphum evincit. Ait enim hoc privilegium locum habere, quando iter breve eſt, & commode fieri poteſt. Si enim longum foret, itinerans excuſatus eſſet. Item, ſi dubitaret, non egeret iuxta iſtorum Caſuiſtarum doctrinam diſpenſatione. Privilegium ergo diſpenſaret eos qui nulla indigerent diſpenſatione. Cur Religioſi, qui ubique exemplum pœnitentiæ præferre debent, diſpenſandi ſunt in itinere brevi, & commodo? Non diſpenſantur laici, & diſpenſabuntur Religioſi? Quo fundamento præſumi id poteſt? Niſi præſumere velimus, Pontifices ſummos approbaſſe iſtorum Caſuiſtarum nimiam opinandi licentiam: quod dicendum nullo pacto eſt. Profecto igitur nullum adeſt fundamentum prudenter credendi, Pontifices citata privilegia conceſſiſſe.

C A-

Digitized by Google

CAPUT XXVII.

Chriſtianorum ieiunium comitari debent abſtinentia a peccatis, oratio, eleemoſyna, aliarumque virtutum exercitia.

I. QUamquam capite quarto primæ diſſertationis adverſus Lutheranos, Calviniſtaſque demonſtratum eſt, ieiunium eccleſiaſticum, quod Catholici obſervant, officium eſſe virtutis, cum in honeſtum finem referatur; nihilominus placet in hoc capite Chriſtianos breviter edocere regulas quas in ieiunii executione ſervare debent. Tota ſiquidem iſtius diſſertationis oratio ſicca, & arida fuit, quoniam tota occupata in reſolvendis difficultatibus, & innumeris quæſtiunculis, quas nimia opinandi licentia invexit. Congruum ergo eſt ut poſt explicatas difficultates quæ ieiunii obligationem, vel illius exactam obſervantiam in diſcrimen adducebant, ea nunc in medium promamus quæ ieiunium perficiunt, ornant, & mirum in modum animæ utile, ſingulariſque meriti fecundum conſtituunt. Ex iis quæ hucuſque diſputavimus, conſequens eſt, paucos eſſe qui phyſicas, ut ita loquar, ieiunii regulas, ſeu verum ieiunium hodiedum obſervent; pauciſſimos vero qui ieiunii fructum, meritumque aſſequantur. Nam plures ieiunant, quia, quid comedant, non habent. Ieiunant avari, ut pecuniis parcant: ieiunant alii, ut corporis ſanitatem conſervent: ieiunant hypocritæ, ut inanem gloriam aucupentur. Peccatores plures a cibis abſtinent, ſed vitiis indulgent. Habent ventrem piſcibus, & leguminibus alitum; ſed avaritia carnes pauperum vorat, & pelles excoriat, lingua proximi famam lacerat, innocentiam ſordibus contaminat. Utinam hæc concionatoria eſſet amplificatio, & oratoria exaggeratio, ac non ſimplex, & ſincera iſtius ætatis ieiuniorum narratio, & deſcriptio. Adverſus eiuſmodi ieiunia invecti ſunt tum Prophetæ, tum Patres. Iſaias cap. lviii. *Ecce in die ieiunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. Nolite ieiunare, ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?*

II. Sancti Patres, hunc Prophetæ textum explicantes, toti ſunt in inculcanda a vitiis abſtinentia, ut corporale ieiunium Deo gratum evadat. S. Baſilius hom. 1. de ieiun. *Cave, ne ieiunii utilitatem ſola ciborum abſtinentia metiaris. Verum enim ieiunium eſt ab omnibus eſſe vitiis alienum. Solve omne vinculum iniquitatis, condona iniuriam proximo, ac debitum dimitte. Noli ad lites, & contentiones ieiunare. Carnes non edis; at interim devoras fratrem tuum. Vino abſtines; at interim ab*

inju-

iniuriis tibi non temperas. Sanctus Ioannes Chryſoſtomus *hom.* VIII. in Geneſim. *Ieiunium dico abſtinentiam a vitiis. Etenim abſtinentia a cibis propter hoc recepta eſt, ut vigorem carnis refrenet. Ieiunantem ante omnia oportet iram refrenare, manſuetudinem, & lenitatem addiſcere, habere cor contritum, abſurdas concupiſcentias repellere.* Sanctus Leo ſerm. XLIII. in Quadrageſima VI. cap. II. *Apoſtolica inſtitutio quadraginta dierum ieiuniis impleatur, non ciborum tantummodo parcitate, ſed privatione maxime vitiorum. Nam, cum ob hoc caſtigatio iſta ſumatur, ut carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur; nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus quam ut ſemper ſimus ab iniuſta voluntate ſobrii, & ab inhoneſta actione ieiuni,* Sanctus Bernardus ſerm. I. de Quadrag. *Si gula ſola peccavit, ſola quoque ieiunet, & ſufficit: ſi vero peccaverunt & cetera membra, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet ergo oculus, qui prædatus eſt animam, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus.... Sed multo magis ieiunet anima ipſa a vitiis, & propria voluntate ſua.*

III. Sanctus Antoninus *II. Part. tit.* VI. *cap.* II. *§.* 7. ieiunii characteres, qui ipſum comitari debent, optime deſcribit, inquiens. *Ieiunium ſumitur ad tria ſecundum Thomam... Primo ad carnis concupiſcentiæ repreſſionem. Unde Apoſtolus II. Cor.* VI. *ait:* In ieiuniis, in caſtitate exhibeamus noſmetipſos; *præmittit ieiunium caſtitati, quia per ieiunium caſtitas conſervatur... Secundo aſſumitur ieiunium ad mentis elevationem in divina: quia homo ieiunus eſt magis liber a fumoſitatibus cerebri, unde magis aptus ad intelligendum... Tertio ieiunium valet ad culparum ſatisfactionem.* Deinde *§.* 8. deſcribit vitia a quibus ieiunium immune eſſe oportet. *Primo quidem debet tolli de mente omnis intentio vana, quæ poteſt eſſe multiplex ſecundum illum verſum:* Abſtinet æger, egens, cupidus, gula, ſimia, virtus. *Ieiunat enim aliquis, quia ſentit ſe gravatum cibo; &, ſi comederet, ſibi noceret, ſicut prima die Quadrageſimæ. Alius ieiunat propter avaritiam, quia non vult tantum expendere bis comedendo: vel quia habet lucra præ manibus in apotheca, quæ non vult amittere: unde uſque ſero manebit ieiunus. Alius ieiunat propter gulam, quia forte iturus eſt ad aliquod convivium; & ideo, ut famelicus accedat, & melius comedat, illa die, vel præcedenti ieiunat. Alius ieiunat propter hypocriſim, ut ſimia, quæ effingit actus humanos, & tamen homo non eſt: ita ſcilicet hypocrita ieiunat, ut teneatur bonus, qui tamen non eſt bonus. Quicumque iſtorum ieiunat, alias non ieiunaturus, non ſervat præceptum Eccleſiæ... Secundo debet habere affectum liberum a peccato commiſſo, & committendo. Nihil enim prodeſt ieiunare, & alia religionis, ideſt chriſtianitatis, opera facere, niſi mens ab iniquitate coerceatur...* Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, *conſcientiam ſcilicet a peccatis. Et Iſaiæ* LVIII. *dicit Dominus:* Hoc eſt ieiunium quod ego elegi. Diſſolve colligationes impietatis, *ideſt malas ſocietates, cum quibus ligatus es in officiis, vel contractibus, vel maleficiis:* ſolve faſciculos deprimentes, *ideſt obligationes reſtitutionum:* & dimitte eos

qui

qui confracti ſunt, liberos, *ſcilicet dimitte qui ſolvere non poſſunt*, *non in carcere teneas*: & onus diſrumpe, *ſcilicet peccati per contritionem*. *Tertio oportet adhibere pium affectum per orationem quoad Deum... Et*, *ut magis oratio ſit devota*, egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, *dicit Dominus Ioel.* 2. *ſcilicet ad orandum abſtinendo ſe ab actu coniugali; non tamen niſi de communi conſenſu*, & *continentia utriuſque*.

IV. Non modo Patres docent, præcipuum ieiunium abſtinentiam eſſe a vitiis: quoniam ieiunium corporale ideo inſtitutum eſt, ut concupiſcentia reprimatur, omneſque perduelles appetitus ſpiritui ſubigantur, atque anima liberius Deo vacare poſſit; verum etiam maxime inculcant, ieiunii tempore miſericordiam in pauperes abundantiorem eſſe debere. Hæc tria, ieiunium, oratio, & eleemoſyna, individuo fœdere conſociata ſint fas eſt. D. Auguſtinus ait *ſer.* ccx. olim de diverſis lxxiv. *Præcipue ſane pauperum mementote*, *ut*, *quod vobis parcius vivendo ſubtrahitis*, *in cæleſti theſauro reponatis*. *Accipiat eſuriens Chriſtus quod ieiunans minus accipit Chriſtianus*. *Caſtigatio volentis fiat ſuſtentatio non habentis*. *Voluntaria copioſi inopia fiat neceſſaria inopis copia*. S. Leo ſerm. xi. *In diſtributione quoque eleemoſynarum*, & *pauperum cura pingueſcant chriſtiana ieiunia*, &, *quod ſuis quiſque deliciis ſubtrahit*, *debilibus impendat*, & *egenis*. Sanctus Petrus Chryſologus ſerm. viii. *Eſurit ieiunium*: *ieiunium ſit*, *quod non pietatis cibo paſcitur*, *quod potu miſericordiæ non rigatur*. *Alget ieiunium*, *ieiunium deficit*, *quod non eleemoſynæ vellus tegit*, *quod non miſerationis operit veſtimentum*. *Quod eſt terris ver*, *hoc miſericordiam ſcimus eſſe ieiunio*. *Sicut vernus flatus tota facit germina florere camporum*; *ita miſericordia tota ieiunii ſemina producit in florem*, *in cæleſtem meſſem totam ieiunii facit fructificare virtutem*. Tandem concludit Auguſtinus *ſerm.* ccvi. alias de diverſis lxx. *Ieiunia veſtra non ſint talia*, *qualia Propheta condemnat*, *dicens*: Non hoc ieiunium elegi, dicit Dominus. *Arguit enim ieiunia litigioſorum*; *quærit piorum*: *arguit opprimentes*, *quærit relaxantes*: *arguit inimicantes*, *quærit liberantes*.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Conſectarium, in quo declaratur, quemadmodum lex eccleſiaſtica de ieiunio iam obſoleviſſet, ſi veræ forent recentiorum opiniones, & licitæ conſuetudines quibus hodiedum Chriſtiani a ieiunio eximuntur.

I. SUb iſtius diſſertationis finem, lubet ob oculos ponere maximum abſurdorum quod ex opinionibus quorumdam Caſuiſtarum, & manifeſta Chriſtianorum hodierna praxi profluit. Et, ut clarius quod dicturus ſum pateat, memoria recolendum eſt, inter leges eccleſiaſticas potiſſimam eſſe hanc, quæ ieiunium præſcribit: eſt enim fundata in ipſo naturæ iure, ſeu eſt iuris naturalis determinatio. Dictum eſt enim, ieiunium in communi ab ipſa naturali lege iuberi; & tempus quo ieiunandum eſt, ab Eccleſia conſtitui. Inſuper iſtius legis gravitas ex ipſo fine patentior evadit. Eo ſiquidem ſpectat, ut carnem comprimat, & perduelles appetitiones ſpiritui ſubiiciat, mentem in Deum efferat, cor a terrenis abſtrahat, voluntatem inducat ad eluenda peccata, & pro iiſdem Deo ſatisfactionem, & compenſationem perſolvendam, ac tandem ad iuſtitiam, & cæleſtium contemplationem animas aptas, & diſpoſitas reddat. Hæc omnia, & plura alia, quæ afferri poſſent, legem hanc omnium eccleſiaſticarum legum graviſſimam, ſummique momenti eſſe demonſtrant. Quare recenſenda hæc minime eſt inter illas leges quæ mere poſitivæ nuncupantur, ſi ieiunium abſolute ſpectetur. Hinc manifeſto conſequitur, grave, & ſatis evidens requiri momentum pro licita ab hac graviſſima lege diſpenſatione.

II. Porro, ſi conſiſterent opiniones plurium recentium Caſuiſtarum, ſi licitæ forent hodiernæ conſuetudines Chriſtianorum, hæc graviſſima Eccleſiæ lex iam obſoleviſſet, ac de medio ſublata eſſet. Quandoquidem omnes Theologi in tractatu de legibus docent, non pro paucis, aut minori communitatis parte leges ferri; ſed pro omnibus, & univerſa communitate, ita ut lex ſuapte natura omnes communiter comprehendat. Quoties vero lex definit obligare communiter ſubditos, ſeu maiorem ſubditorum partem, lex ipſa obſoleſcit: nulla ſiquidem lex pro paucis edicitur. Hæc penes omnes vera ſunt.

III. Si ergo veræ eſſent recentiorum plurium opiniones, ſi licitæ forent Chriſtianorum exemptiones a ieiunii lege, reipſa lex ceſſaſſet. Nam pauciſſimi ſunt qui ob aliquam rationem ex innumeris quas illi excogitarunt, ab ieiunio non ſint exempti. Exempti ſexagenarii, exempti iuvenes, exemptæ mulieres quinquagenariæ, exemptæ coniugatæ ob debitum marito reddendum, ob pulchritudinem ſer-

vandam exemptæ nubiles, ne ſponſis vileſcant; exempti artifices, & operarii ob laborem, exempti Nobiles ob mollitiem, vel ob piſcium nauſeam, quæ carnes ipſis concedens, eos a ieiunii lege ſolutos reddit; exempti artium liberalium profeſſores, & Magnatum miniſtri ob nimiam mentis applicationem; exempti Magnates ob publicum bonum; exempti ipſi Religioſi pœnitentiæ profeſſores vel ob concionandi, vel ob docendi exercitium. Hi ſunt exempti ratione ſtatus. Alii vero plurimi eximuntur ob peculiarem ſtomachi, vel corporis debilitatem: alii plurimi ob vitandas nimias expenſas: quippe, ſi unus, aut alter de familia carnibus indiget, omnes carnes comedunt, ne plures menſæ in domo fiant. Fiat nunc ſupputatio, & liquido conſtabit ieiunii legem ad paucos reſtringi Chriſtianos. Quod ſi paucos obligat, iam non eſt lex. Et ne rei ſimilitudine decipiaris, non dicimus legem ceſſare, quod pauci illam obſervent. Abſit hoc. Quoniam & Evangelium pauci obſervant, nec ideo ceſſat: quia tenentur omnes illud ſervare; & peccant, dum illud violant. At dicimus legem ceſſare, quando ipſa definit obligare: quæ enim ad paucos coarctatur, lex non eſt. Recenſiti autem cuiuſque ſtatus Chriſtiani ſe ſe a lege ſolutos reputant; & recentiores Caſuiſtæ plures ſuis opinionibus, & medici ſuis communiter illos ad legem non teneri declarant. Idcirco recte concluditur, quod lex eccleſiaſtica ieiunium præſcribens ceſſaſſet, admiſſo ſemel veras eſſe opiniones modernas, & licitas Chriſtianorum diſpenſationes, verius dixerim, relaxationes. Quandoquidem Eccleſia ieiunium præcipiens præ oculis habebat omnium ſtatuum Chriſtianos; & nullum ex his ſtatibus abſolute exemit. Sola itaque & vera impotentia, ſola infirmitas, non quam parit ieiunium (cuique enim ieiunium incommodat) ſed quam morbus gignit, aliæque extraordinariæ cauſſæ a ieiunio excuſant. Si incommodum quod parit ieiunium, a ieiunio eximeret; ipſemet legis finis a lege ſervanda abſolveret. Corporis conflictatio, carnis maceratio, ſenſuum compreſſio ſunt legis huius finis. Quid ergo inſanius quam hæc obtrudere pro legis diſpenſatione?

IV. Quæ hucuſque dicta ſunt, confirmare iuvat auctoritate Eminentiſſimi Cardinalis Pallavicini, & doctiſſimi P. Elizalda, qui *II. Part. Lib. VI. quæſt. xvii. ſ. 9.* hæc ſcribit. „ Eminens illud ingeniorum decus Cardinalis Pallavicinus inde „ opinionum harum abſurditatem, falſitatemque oſtendebat, quod ex eis ſe„ queretur legem inter eccleſiaſticas quaſi primam, & potiſſimam de quadra„ geſimali, aliorumque temporum ieiunio ceſſaſſe iam, & nullos obligare, ſed „ deſiiſſe; nihilque ſupereſſe, cur tantopere hac de re confligatur. Sequelam „ vero probat: quia in tractatu de legibus omnes ſupponunt, legem non „ pro aliquibus, & quaſi paucioribus, ſed pro omnibus, vel pleriſque ſaltem „ communitatis ferri; neque eam legem eſſe conſultam, quæ pleroſque fal-

„ tem

„ tem comprehendere, & obligare non poſſit. Sed iuxta opiniones de ieiu„ nio & abſtinentia a carne lex eccleſiaſtica de Quadrageſima, & ceteris ieiu„ niis non pleroſque Eccleſiæ, ſed pauciores comprehendit, & obligat; ut qui„ cumque eas opiniones, & apertiſſimas conſequentias tantiſper conſideraverit, „ inveniet. Ergo hæ opiniones falſæ abſurdæque ſi non eſſent, ſequeretur ceſ„ ſaſſe iam, & deſiiſſe legem eccleſiaſticam de Quadrageſima, ceteriſque ieiuniis; „ ſolidiuſque quis opinabitur, legem quæ non omnes, non pleroſque, ſed pauciores „ communitatis comprehendit, nullos comprehendere, quam ipſi opinentur, „ ſartores, Concionatores, equo etiam iter facientes non teneri ad ieiu„ nandum. Ex ſequelæ ergo abſurditate dignoſcitur opinionum eorum falſi„ tas..

„ Ex his illud inferrem, eum laborem; illud etiam ſalutis nocumentum; „ quod ex obſervantia quadrageſimali per ſe ſequitur in pleriſque cuiuſcumque „ ſtatus, non excuſare ab ea obſervantia; ſed requiri vel laborem, vel præiudi„ cium ſalutis eſſe extraordinarium, & pleriſque uniuſcuiuſque ſtatus regulariter „ non conveniens, ſed maius. Quia lex Quadrageſimæ ſtatibus omnibus Eccleſiæ „ communis eſt." Et paullo infra.

„ Ut ex publicis orationibus liquet, duplex fuit finis ſanctæ Eccleſiæ: al„ ter, & quaſi potior, ut pro peccatis noſtris hanc pœnitentiam agamus, „ qua non modo aliquid patiamur, ſed etiam, ſicut ipſa dicit, pro pecca„ tis noſtris iuſte affligamur, atque in corpore maceremur; alter, ut hac „ corporis caſtigatione mens reficiatur. Hæc publica ſunt in Eccleſia Dei, quo„ rum proinde non tam ignorantia, quam inconſideratio, & libertas neminem ex„ cuſare poteſt. *Reſpice*, inquit, *&c. ut apud te mens noſtra tuo deſiderio ful„ geat, quæ ſe carnis maceratione caſtigat*. Item. *Devotionem populi tui &c.* Item. „ *Præſta &c. ut familia tua, quæ ſe affligendo carnem ab alimentis abſtinet, ſe„ ctando iuſtitiam a culpa ieiunet*. Item &c. Et dixi ſæpe, Breviarium eſſe bonum „ certe librum moralem.

„ Hæc porro Breviarii Theologia eſt de plano illa ipſa quam S. Thomas tradit „ 1. 2. quæſt. lxv. art. 5. *Manifeſtum autem eſt quod alterius rationis eſt modus qui „ imponitur in concupiſcentiis ſecundum regulam rationis humanæ, & ſecundum re„ gulam divinam: puta in ſumptione ciborum, ratione humana modus ſtatui„ tur, ut non noceat valetudini corporis, nec impediat rationis actum; ſe„ cundum autem regulam divinæ legis requiritur quod homo caſtiget corpus „ ſuum, & in ſervitutem redigat per abſtinentiam cibi, & potus, & aliorum „ huiuſmodi*.

„ Ecce ergo unde contrarietas orta ſit legis ac intentionis Eccleſiæ, & tot „ opinionum, eius intentionem fruſtrantium: nam alia regula hi opinatores,

Digitized by Google

„ alia vero Eccleſia mater utitur. Opinatores ſcilicet utuntur regula humanæ „ rationis, idque primum habent, & reſpiciunt, utrum ieiunium, & abſtinentia a carne nocitura eſt, afflicturaque ieiunantem; & a ieiunio liberant. „ At mater Eccleſia, non hac regula, ſed altiori alia dimetitur, ſcilicet divinæ legis: & vult ut per abſtinentiam quadrageſimalem *vere pro peccatis noſtris affligamur, patiamurque in carne; item ut maceremur in corpore*, „ ſicque illud in ſervitutem redigatur, mens vero evadat robuſtior; atque „ ipſæ voces pœnitentiæ, afflictionis in carne, macerationiſque corporis ſatis palam efferunt eum modum qui per regulam divinæ legis imponitur. „ Neque opiniones contrariæ ſunt profecto caſtigativæ, pœnales, aut afflictivæ carnis, neque commercium habent cum maceratione corporis . . . . . „ Lex Dei, & ea utens mater Eccleſia in conſtitutione Quadrageſimæ haud „ ſumit valetudinem, vel invaletudinem corporis; ſed per aliquam etiam „ eius invaletudinem vult ipſum caſtigari, affligi, macerari; & ita in debitam ſervitutem redigi, atque debitas peccatorum pœnas quoquomodo exolvi . . . . .

„ Ais: Ergo nulla ratio habenda erit valetudinis, vel invaletudinis, nulla ægritudinis, vel etiam mortis? Negamus conſequentiam, vel diſtinguimus, & dicimus, eam invaletudinem, vel ſalutis detrimentum conſiderandum non eſſe quod per ſe ſequitur ex abſtinentia, pœnitentia, ac maceratione corporis; *cum hoc per ipſam intendatur*. Conſiderandum vero eſſe, „ ſi quod aliud maius, & extraordinarium immineat . . . . Ad hoc porro dignoſcendnm dedimus illud ſignum, utrum ſcilicet invaletudo, & dolor, aut „ labor ſit ſingularis, & pleriſque convenire ſoleat in quovis ſtatu, an non. „ Rari enim ſunt poſt tranſactam iuventutem, qui malo aliquo non laborent. Quod ſi labor, vel invaletudo, vel dolor regulariter convenire pleriſque ſoleat, non ſufficit, ut diximus. Aliud etiam ſignum eſſe poteſt videndo, quæ cauſſæ ſufficere ſoleant in Religionibus obſervantibus ad ſe excuſandos a Quadrageſimis, abſtinentiaque carnis, quam præcepto, vel voto „ profitentur. Et ſimiles ſufficient. Minores non ſufficient in ſæcularibus viris, „ etiam Principibus, quoad Quadrageſimam eccleſiaſticam, & communem. Sed „ vides, & dicis: Hi laici ſunt, illi autem Religioſi: ergo ſtultitia eſt utroſque „ conferre. Verum dicit Chryſoſtomus, hoc eſſe quod omnia perdit. Itaque laici „ non minus, opinor, peccant, nec item habent corpora rationi magis ſubdita. „ Ergo in eis magis urgent fines Eccleſiæ. “

V. Hinc colliges, Chriſtianos illos qui ob ieiunium noctes vigiles ducunt, in lectulo ſe ſe volutant, quin ſomnum capere valeant, capitis incommodum, ſtomachi revolutionem, faucium ariditatem, aliaque id genus obtrudunt: colliges, in-

Digitized by Google

inquam; minime diſpenſandos eſſe præfatos Chriſtianos : quia eiuſmodi incommoda plus minuſve in omnibus ieiunantibus reperiuntur. Hæc autem omnia aſſuetudine ſuperantur, ut patet in tot vere religioſis viris. Alioquin tam diſpenſati, quam diſpenſantes peccabunt. Mirari ſatis non potui, plures etiam Religioſos viros, nedum laicos, qui tranquilla conſcientia ieiunia ſolvebant ob ſolam medicorum licentiam ſeu atteſtationem.. Nam, ſicuti & Confeſſarii, & pœnitentes ſæpe in foveam cadunt; ita multo magis medici, & ficti ægroti. *Quod vero* (inquit Elizalda loc. cit.) *multi cenſent ſe habita licentia utriuſque medici peccare non poſſe, falſiſſimum eſt, ut ſupra de Magiſtris oſtenſum eſt. Et uterque medicus peccare poteſt, & etiam qui ſequitur.*

LIBER TERTIUS
DE QUINQUE
ECCLESIAE PRAECEPTIS.
DE TERTIO PRAECEPTO, QUOD EST DE DECIMIS SOLVENDIS.
DISSERTATIO PRIMA.

INTER quinque Eccleſiæ præcepta decimarum ſolutionem, Eccleſiæ miniſtris faciendam, recenſeri, res comperta eſt. Alii quinto, alii tertio loco debitum iſtud collocant. Hoc diſcrimen nullius momenti eſt: idcirco cuique licet quem maluerit ordinem ſervare. Theologiæ moralis tractatores paucis iſtius præcepti difficultates perſtringunt. Quoniam, quæ forum internum Chriſtiani populi ſpectant, paucæ ſunt; eas vero quæ forum externum inſpiciunt, ad Canoniſtas remittunt. Nos media via de more incedemus. Fuſius quidem quam Theologi ſoleant, præceptum iſtud explicabimus; non tamen omnes Canoniſtarum controverſias ſub examen inducemus.

C A P U T I.

Quid ſint decimæ, & quænam earum origo. Quo iure tum in veteri, tum in novo fœdere præſcriptæ ſint. Hæreticorum errores recenſentur, & refelluntur.

I. DEcima eſt illa fructuum pars quæ quotannis Eccleſiæ miniſtris perſolvitur. Decima nuncupatur, quia eſt omnium bonorum mobilium, ſive fructuum iure quæſitorum pars decima. Olim Eccleſiæ, plebes, & altaria nuncupabantur: nam inquit Urbanus ſecundus in Synodo Nemauſenſi. *Eccleſiæ, vel decimæ vulgari vocabulo apud nos altaria nuncupantur*. Chriſtianus Lupus *Tom. VI. edit. Ven. in ſchol. pag.* 89. hæc addit: *Eaſdem & plebes fuiſſe appellatas, audivimus ſupra a ſancto Petro Damiano. Hinc & ipſarum Rectores etiamnum hodie nun-*

nuncupantur Plebani. Plebs habet Eccleſiam, Eccleſia altare, altare decimam. In decimis duo conſideranda ſunt: nimirum & fructus qui percipiuntur, qui certe quid temporale ſunt; & ius eoſdem fructus percipiendi, quod in miniſtris Eccleſiæ quid ſpirituale eſt.

II. Decimarum origo quamcumque legem ſcriptam præcedit. Abraham ſiquidem ante ſcriptam per Moyſem legem decimam partem bonorum quæ de quatuor victis Regibus reportaverat, Sacerdoti Melchiſedech dediſſe, Scriptura teſtatur Gen. XIV. *Et dedit ei decimas ex omnibus.* Iacob quoque, cum Meſopotamiam patris iuſſu uxorem ducturus peteret, decimam omnium bonorum ſe Deo daturum vovit, ut eumdem propitium in tam arduo negotio demereretur. Genel. XXVIII. *Votum vovit, dicens: Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reverſuſque fuero proſpere ad domum patris mei; erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Quid plura? Ipſi Auctores ethnici ſcriptis prodidere, maiores ſuos decimam fructuum partem diis conſecrare fuiſſe ſolitos. Plinius enim *Lib. XIX. cap.* XIV. inquit. *Thus collectum Sabotam camellis convehitur, porta ad id una patente. Digredi via capitales leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant Sabin, menſura, non pondere, Sacerdotes capiunt, nec ante mercari licet . . . Sunt & quæ Sacerdotibus dantur portiones, ſcribiſque Regum certæ.* Tullius Lib. III. de nat. deor. cap. XXXVI. *Neque Herculi quiſquam decumam* (ſeu decimam) *vovit umquam, ſi ſapiens factus eſſet: quamquam Pythagoras, cum in geometria quiddam novi inveniſſet, muſis bovem immolaſſe dicitur.* Plutarchus quoque narrat, Lucullum, Romani iuris peritum, maximis opibus donatum fuiſſe, quod decimas diis perſolvendas voviſſet. Quæ omnia antiquam produnt decimarum originem. Ante legem ſcriptam tamen nullum extabat præceptum ſolvendi decimas. Quapropter tempore legis naturalis ſancti Patriarchæ decimas ſolvebant, non aliquo præcepto cogente, ſed religionis virtute præeunte.

III. Porro, quamvis nullum ante legem ſcriptam eſſet præceptum, quod decimas præſcriberet; congruam tamen miniſtris Eccleſiæ, pro populo divino cultui vacantibus, ſuſtentationem conferendam eſſe, lex ipſa naturalis omnibus ſemper perſuaſit. Lex autem poſitiva ſeu ſcripta definivit, hanc alimentorum quantitatem decimam debere eſſe partem omnium mobilium bonorum. Levit. XXVII. *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificantur . . . Omnium decimarum bovis, & ovis, & capræ, quæ ſub paſtoris virga tranſeunt, quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* Ratio autem ob quam Deus Levitis decimas dandas præceperit, aſſignatur Lib. Num.

Digitized by Google

cap. XVIII. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſerviunt mihi in tabernaculo fœderis.*

IV. In veteri itaque teſtamento iure divino Sacerdotibus, & Levitis decimæ debebantur de omnibus fructibus terræ: quia reipſa ſic præcepit Deus in lege per Moyſem populo data, ut ex relatis textibus planum eſt. Præceptum iſtud iudiciale fuit: ideo, mortua lege moſaica per mortem Chriſti, ceſſavit. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVII. *art.* 1. hanc de decimis quæſtionem quatuor articulis verſat, omneſque difficultates ſumma perſpicuitate reſolvit. In decimis duo conſiderat. Primo Sacerdotum, ſeu miniſtrorum Eccleſiæ congruam ſuſtentationem. Secundo determinationem iſtius ſuſtentationis in decima parte. Ex quo infert, præceptum de ſolvendis decimis partim fuiſſe iudiciale, & partim morale. Quatenus definiebat, alimenta conferenda Sacerdotibus eſse *decimam* partem, *iudiciale* fuit; quod omnino ceſsavit, promulgata Evangelii lege: prout vero præcipiebat, a populo alendos eſse miniſtros Eccleſiæ, *morale* fuit; quod etiamnum ſubſiſtit. *Unde præceptum* (inquit Angelicus) *de ſolutione decimarum partim quidem erat morale inditum naturali ratione, partim autem erat iudiciale ex divina inſtitutione robur habens.*

V. Præceptum iſtud, prout *morale* eſt, ſeu prout iubet, miniſtros Dei, ſpiritualia populo impartientes, ab ipſo populo ſuſtentandos eſse, in omni lege, ſive naturali, ſive moſaica, ſive evangelica viguit: quia ab ipſa lege naturali deſcendit. Quod evincit D. Thomas ex Apoſtolo Paulo, qui *I. Corint.* IX. hæc ſcribit: *Quis militat ſuis ſtipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Numquid ſecundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſi: Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura eſt Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos ſcripta ſunt, quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat in ſpe fructus percipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus? . . . Neſcitis quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt; & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ex hac D. Pauli auctoritate concludit D. Thomas loco laudato, miniſtris Eccleſiæ, qui populo ſpiritualia ſuppeditant, ex iuſtitia deberi alimenta ad corporis ſuſtentationem; non ſecus, nec iure inferiori, ac laicis operariis, miniſtris, & militibus debeantur, qui in commune Reipublicæ bonum laborant. *Quod enim eis* (ſubdit Angelicus) *qui divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi totius, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio naturalis dictat; ſicut & his qui communi utilitati invigilant, ſcilicet Principibus, & militibus, & aliis huiuſmodi, ſtipendia victus debentur a populo.*

VI.

VI. Ex his colligitur, in novo fœdere iure naturali, & divino, quemadmodum in veteri, populum teneri ſubminiſtrare ſuo Parocho corporis ſuſtentationem. Quod vero pro hac ſuſtentatione populus ſolvat decimam partem fructuum, ſeu bonorum mobilium, eſt tantum ex iure eccleſiaſtico. Quoniam præceptum divinum, impoſitum Iudæis ſolvendi decimam partem omnium fructuum terræ, omnino ceſsavit in morte Chriſti, ut dictum eſt. Animadvertit tamen Angelicus, hoc eſse diſcrimen inter iudicialia, & cæremonialia præcepta veteris legis. Iudicialia, licet non obligent in lege gratiæ, poſsunt tamen obſervari abſque peccato; immo ad eorum obſervantiam tenentur fideles, ſi auctoritas accedat Eccleſiæ. Et quia Eccleſia reipſa ſtatuit alimenta, quæ populus ex iuſtitia dare miniſtris Eccleſiæ tenetur, debere eſse decimam partem fructuum terræ; ideo dicitur, ſolutionem decimarum eſse iuris eccleſiaſtici, non divini, in lege gratiæ. Cæremonialia vero præcepta nullo modo licita ſunt. *Eſt autem hæc differentia* (inquit D. Thomas loco citato) *inter cæremonialia, & iudicialia legis præcepta, quod cæremonialia illicitum eſt obſervare tempore legis novæ; iudicialia vero, etſi non obligent tempore gratiæ, tamen poſſunt obſervari abſque peccato; & ad eorum obſervantiam aliqui obligantur, ſi ſtatuantur auctoritate eorum quorum eſt condere legem: ſicut præceptum iudiciale veteris legis eſt, quod qui furatus fuerit ovem, reddat quatuor oves, ut legitur Exod.* XXII. *quod ſi ab aliquo Rege ſtatuatur, tenentur eius ſubditi obſervare. Ita etiam determinatio decimæ partis ſolvendæ eſt auctoritate Eccleſiæ tempore novæ legis inſtituta ſecundum quamdam humanitatem, ut ſcilicet non minus populus novæ legis miniſtris novi teſtamenti exhiberet, quam populus veteris legis miniſtris veteris teſtamenti exhibebat; cum tamen populus novæ legis ad maiora obligetur ſecundum illud Matth.* V. Niſi abundaverit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum; *& cum miniſtri novi teſtamenti ſint maioris dignitatis quam miniſtri veteris teſtamenti, ut probat Apoſtolus II. ad Cor.* III. *Sic ergo patet quod ad ſolutionem decimarum homines tenentur partim quidem ex iure naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ.*

VII. Quæ hucuſque producta ſunt, ſufficiunt ad confutandos omnium hæreticorum errores. Primus hac de re error fuit Ioannis VVicleffi, qui, teſte Thomâ Valdenſi *Lib. II. Doc. fid. art.* III. *cap.* LXIV. docebat, decimas, puras eſse eleemoſynas, nulloque iure Sacerdotibus deberi. Errorem hunc ſecuti poſtea ſunt Anabaptiſtæ, & Trinitarii. Addebat VVicleffus, eiuſmodi decimas neque tamquam eleemoſynas dandas eſse Sacerdotibus malis. Hos VVicleffi errores damnavit Concilium Conſtantienſe *ſeſſ.* VIII. *art.* 16. his verbis. *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum ad libitum ſuum eas auferre.* Hæc eſt una ex propoſitionibus ipſius VVicleffi, quam meri-

to

Digitized by Google

to damnavit laudatum Concilium, tamquam verbo Dei, & iuri naturali contrariam. Utroque enim iure decimas, quatenus congruam miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem ſignificant, iiſdem miniſtris deberi, ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Quod vero debeantur etiam miniſtris peccatoribus, patet ex illo Matth. XXII. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo*. Tempore quo Chriſtus præceptum iſtud impoſuit, non modo Cæſares, ſed & Sacerdotes, & miniſtri Eccleſiæ improbi ac ſceleſti erant. Decimæ ſiquidem, non ratione ſanctitatis, neque ratione Sacerdotii abſolute, ſed ratione miniſterii ſpiritualis debentur miniſtris Eccleſiæ, quemadmodum ceteris operariis debentur ſtipendia. Ex quo confutatus remanet error alter illorum, qui *Fraticelli*, & *Pſeudoapoſtoli* nuncupabantur, quique, ut refert Ioannes de Turrecremata *Lib. IV. Summ. part.* II. *cap.* XXXVII. docebant, miniſtros Eccleſiæ, qui more Apoſtolorum in paupertate non vivunt, decimas percipere non poſse. Ex dictis, inquam, convulſus remanet error iſte: quoniam labor in populi utilitatem, ſive a paupere fiat, ſive a divite, dignus eſt mercede ſua.

CAPUT II.

Varia decimarum genera. Quo tempore conſuetudo ſolvendi decimas in Eccleſia catholica obtinuerit.

I. Decimæ communiter tribuuntur in *prædiales* ſeu *reales*, *perſonales*, & *mixtas*. Decimæ *prædiales* ſeu *reales* ſunt quæ ſolvuntur de fructibus prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domorum locatarum, &, ſilvarum. Prædia ſunt duplicis quodammodo generis. Alia communia, quæ ſemper fuerunt culta. Alia quæ vocantur *novalia*, & ſunt ea de quibus memoria non extat quod antea culta fuerint. Quæ per culturam fiunt *novalia*, ſemper talia remanent. *Perſonales* decimæ ſunt quæ ſolvuntur ex bonis propria induſtria, & labore, puta militia, negotiatione, ſcientia, officio, & quavis alia arte acquiſitis. *Mixtæ* nuncupantur illæ decimæ quæ partim reales ſunt, & partim perſonales; quatenus partim naturæ, partim hominum induſtriæ partus ſunt; ut ſunt quæ ſolvuntur ex caſeo, butyro, melle, & animalium fetibus. Sed hoc tertium decimarum genus, ut ſuperfluum multi reiiciunt, illudque reducunt ad primum genus decimarum prædialium. Et hoc quidem merito: quia etiam fructus prædiales non modo a natura, ſed etiam ab hominum induſtria pendent; nec tamen decimæ quæ ex eiuſmodi fructibus ſolvuntur, mixtæ appellantur. Fruſtra ergo tertium genus additur decimarum ob hoc quod fructus ex quibus ſolvuntur, tum a natura, tum ab induſtria humana pendeant. Sed hæc le-

levia ſunt. Decimæ prædiales ſubdividuntur in *maiores*, & *minores*; ſeu *minutas*. *Maiores* illæ appellantur quæ de frumento, vino, & oleo ſolvuntur. *Minores* ſeu *minutæ* ſunt quæ de fetibus animalium, ut de vitulis, agnis, ſuculis, pullis, lana, caſeo, butyro, leguminibus, & hortorum fructibus offeruntur. Tandem aliæ ſunt decimæ *eccleſiaſticæ*, quas miniſtris Eccleſiæ pro eorum congrua ſuſtentatione populus ſolvit; aliæ ſunt *laicales*, quæ, licet ratione inſtitutionis ſint eccleſiaſticæ, ex conceſſione tamen Eccleſiæ a laicis percipiuntur. In antiquo teſtamento quatuor erant decimæ, quæ ſolvebantur. Primæ decimæ erant quas ex omnibus fructibus terræ, gregum, & armentorum laici Levitis offerebant. Secundæ quas Levitæ ex ſuis decimis, a populo perceptis, dabant ſummo Pontifici, & aliis Sacerdotibus, decimam ſcilicet earum partem. Tertiæ decimæ erant quas laici ipſi ſeparabant, ut eas tribuerent tempore quo ter in annum ibant in templum. Quartæ tandem erant quas quiſque ſingulis trienniis ſeparabat, & apud ſe retinebat, ut in eleemoſynas pauperibus, viduis, & pupillis erogaret. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam ex omnibus quæ naſcuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas*. . . . *Peregrinus, ac pupillus, & vidua, qui intra portas tuas ſunt, comedent, & ſaturabuntur*. Deuter. XIV. In veteri lege præceptum divinum obſtringebat Iudæos ad ſolvendas decimas ſolummodo prædiales, ſeu reales, ſecus perſonales. Rationem aſſignat D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVII. *art.* 2. *ad* 1. cur teneantur fideles in lege gratiæ ſolvere de fructibus perſonalibus decimas Sacerdotibus; cum in veteri teſtamento nulla de his bonis, ſola induſtria acquiſitis, fuerit obligatio. *Specialis ratio fuit, quare in veteri lege non fuit datum præceptum de perſonalibus decimis, ſecundum conditionem populi illius, quia ſcilicet omnes aliæ Tribus certas poſſeſſiones habebant, de quibus poterant ſufficienter providere Levitis, qui carebant poſſeſſionibus; non autem interdicebatur eis quin de aliis operibus honeſtis lucrarentur, ſicut & alii Iudæi. Sed populus novæ legis eſt ubique per mundum diffuſus; quorum plurimi poſſeſſiones non habent, ſed de aliquibus negotiis vivunt; qui nihil conferrent ad ſubſidium miniſtrorum Dei, ſi de eorum negotiis decimas non ſolverent. Miniſtris etiam novæ legis arctius interdicitur ne ſe ingerant negotiis lucrativis, ſecundum illud II. ad Timoth.* II. Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis. *Et ideo in nova lege tenentur homines ad decimas perſonales ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum.*

II. Quo præciſo tempore in Eccleſia chriſtiana conſuetudo ſolvendi decimas obtinuerit res dubia eſt, & obſcura. Id compertum videtur, tribus primis ſæculis, ſæviente Imperatorum ethnicorum furore in Chriſtianos, ab iſtis decimas ſolutas non fuiſſe. Nec Eccleſiæ miniſtri certos tum proventus habebant; ſed ex quotidiana ſtipe vivebant. Primus qui inter Patres qualem qualem decimarum mentionem fecit,

cit, eſt D. Cyprianus *epiſt.* lxvi. ubi hortatur Sacerdotes, ut conſtantes ſint in divino miniſterio: quia ſicuti in veteri lege decimæ ſacerdotibus ſolvebantur, ita nunc plurium fratrum caritate ſportulæ offeruntur. *Qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur, nec moleſtiis, & negotiis ſæcularibus alligentur; ſed in honore ſportulantium fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & ſacrificiis non recedant; ſed die ac nocte cæleſtibus rebus, & ſpiritualiis ſerviant.* Ex hoc Cypriani textu exploratum eſt, ſolutionem decimarum non fuiſſe tunc lege ſancitam; ſed quiſque fidelium ad libirum Dei miniſtris ſubſidia conferebat. Deferveſcente perſecutionis furore, ſæculo quarto, & ſequentibus Patres in ſuis concionibus populum crebrius hortabantur ad dandas decimas miniſtris Eccleſiæ; eoſque populi Iudaici exemplo excitabant. D. Hieronymus in *cap.* III. *Malach.* hæc ſcribit. *Quod de decimis, primitiiſque diximus, quæ olim dabantur a populo Sacerdotibus, & Levitis, in Eccleſiæ quoque populis intelligite; quibus præceptum eſt, non ſolum decimas dare, & primitias, ſed & vendere omnia quæ habent, & dare pauperibus, & ſequi Dominum Salvatorem. Quod ſi facere nolumus, ſaltem Iudæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus, ac Levitis honorem debitum deferamus.* Exemplo quoque Iudæorum utebatur D. Ioannes Chryſoſtomus, ut populum ſuum induceret ad offerendas decimas, quibus viduæ, & orphani, ac Sacerdotes ſuſtentarentur. Hæc enim habet hom. v. in Epiſ. ad Epheſ. *Quid Iudæi non faciebant? Decimas, & rurſum decimas præbebant orphanis, viduis, & profelytis. Sed mihi quidam de quopiam dicebat: Hic, aut ille dat decimas. Quantum plenum eſt hoc probro, & dedecore, ſi quod apud Iudæos non habebatur in admiratione, hoc apud Chriſtianos factum eſt admirabile? Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc ſit.*

III. Chriſtianus Lupus *Tom. V. edit. Venet. in ſcholiis ad canonem* v. Concilii Romani, ſub Nicolao II. Summo Pontifice celebrati, ad relata verba Chryſoſtomi hæc ſubdit pag. 92. *Ex quo vides, decimas tunc fuiſſe dumtaxat voluntarias. Eas quippe non unuſquiſque, ſed hic dumtaxat, aut ille dabat; eratque opus admiratione dignum.* Nicolaus Rigaltius apud eumdem Lupum, relato Cypriani textu, quem ſupra exſcripſi, hæc docet. *Decimæ quidem iure moſaico debebantur, minime autem iure chriſtiano. Itaque ab Apoſtolis uſque ad Cypriani tempora nulla fuit inter chriſtiana ſubſidia mentio decimarum. Uſitatæ aliquandiu ſportulæ. Poſtea vero, exoleſcente ſportularum honore, intravere in Eccleſiam decimæ, religionis obtentu, ac primo quidem ſpontanea liberalitate, quaſi ſportulis haud ſufficientibus, oblatæ; mox autem & crudeliter exactæ.*

IV. Primis itaque tribus Eccleſiæ ſæculis Clerum, & pauperes ex oblationibus, quæ aliquam decimarum imaginem præferebant, vixiſſe colligitur. Et licet tunc præ-

præ-

Digitized by Google

præcepto non urgerentur fideles ad decimas ſolvendas, non propterea tamen minus liberales erant in earumdem collatione. Quin, quo magis liberi a ſervitute legis, tanto abundantiores oblationes offerebant, ut teſtatur ſanctus Irenæus Lib. IV. cap. XXXIV. *Nihil otioſum, nec ſine ſigno, & ſine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas ſuorum habebant conſecratas; qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ ſunt ipſorum, ad dominicos decernunt uſus, hilariter, & libere dantes ea, non quæ ſunt minora, utpote maiorem ſpem habentes. Non genus oblationum reprobatum eſt: oblationes enim & illic, oblationes autem & hic; ſacrificia & in Eccleſia: ſed ſpecies immutata eſt tantum: quippe cum iam non a ſervis, ſed a liberis offeratur.*

V. Cum primum Romani Imperii clavum tenuit piiſſimus Conſtantinus, primus ex Imperatoribus Romanis Chriſtianus, iam tum tranquillitas affulſit Eccleſiæ. Pacem & tranquillitatem conſecutæ ſunt opes. Heinc Epiſcopi in ſuis ad populum concionibus, atque in Synodis crebrius hortabantur fideles, ut decimas, non amplius tamquam gratuitas eleemoſynas, ſed tamquam ſtipendia iure debita, penderent. His Epiſcoporum, Patrumque adhortationibus permoti populi religioni ſibi vertere cœperunt, ſi decimas exſolvere omitterent. Hac via ſenſim conſuetudo voluntaria ſolvendi decimas rationem legis obligantis obtinuit. Nam ſæculo quinto non modo Epiſcopi hortabantur, verum etiam pœnarum ſeveritate cogebant fideles ad pendendas decimas. Id ſiquidem clare conſtat ex codice Iuſtiniani, in quo lex condita fuit adverſus Epiſcopos illos qui nimia ſeveritate plectebant populos, Eccleſias decimarum ſolutione defraudantes. Siquidem in l. 39. §. 1. cod. *de Epiſcopis, & Clericis*, hæc præſcribuntur: *Non oportet Epiſcopos, aut Clericos cogere quoſdam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare; quamvis uſus ita obtinuerit. Tranſgreſſor cadit ab Eccleſia, & adminiſtratione ipſius, & dat decem libras.* Hac lege minime vetita fuit decimarum petitio; ſed tantum coercita immoderata, & ſeverior exactio.

VI. Sæculo ſexto in Concilio Matiſconenſi II. canone V. declaratum fuit, fideles qui decimas perſolvere recuſarent, prævaricatores eſſe divinæ legis, & ab Eccleſia ſeparandos eſſe. *Leges divinæ, conſulentes Sacerdotibus, ac Miniſtris Eccleſiarum pro hereditatis portione, omni populo præceperunt, decimas fructuum ſuorum ſacris locis præſtare, ut, nullo labore impediti, horis legitimis ſpiritualibus poſſint vacare miniſteriis. Quas leges Chriſtianorum congeries longis temporibus cuſtodivit intemeratas. Nunc autem paullatim prævaricatores legum pene Chriſtiani omnes oſtenduntur, dum omnes quæ divinitus ſancita ſunt, adimplere negligunt. Unde ſtatuimus, ac decernimus ut mos antiquus a fidelibus reparetur, & decimas eccleſiaſticis famulantibus cæremoniis populus omnis inferat; quas Sacerdotes aut in pauperum uſum, aut in capti-*

Digitized by Google

ptivorum redemptionem prærogantes, ſuis orationibus pacem populo, ac ſalutem impetrent. Si quis autem contumax noſtris ſtatutis ſaluberrimis fuerit, a membris Eccleſiæ omni tempore ſeparetur. Ex hoc tamen Concilio, quod generale non fuit, concludi nequit, univerſale tunc fuiſſe præceptum de decimis ſolvendis; ſed pro regionum diverſitate variam conſuetudinem obtinuiſſe.

VII. Sæculo octavo deſinente, & nono ineunte, in Capitulari Caroli Magni ſtatutum eſt Lib. II. cap. XXXVIII. *Qui decimas poſt crebras admonitiones, & prædicationes Sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento vero eos conſtringi nolumus, propter periculum periurii.* Sub idem tempus plura in variis Conciliis edita fuerunt decreta, quibus populi obſtringebantur decimas exſolvere. Summi quoque Pontifices hanc de decimis, pendendis Eccleſiæ miniſtris, obligationem ſuis decretalibus firmarunt, præſertim Alexander III. qui Epiſcopo Cantuarienſi reſcripſit, ut parœcianos, renuentes decimas exhibere, omni ſtudio compelleret ad ſolutionem. *Quoniam igitur inſtitutioni divinæ manifeſtius obviant qui decimas ipſas Eccleſiis non perſolvunt, fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus parœcianos veſtros monere euretis, &, ſi opus fuerit, ſub excommunicationis diſtrictione compellere, ut de proventibus molendinorum, piſcariorum, feno, & lana, decimas Eccleſiis, quibus debentur, cum integritate perſolvant.* In prima Decretalium collectione apud Antonium Auguſtinum *tit. de decimis cap.* II. & in appendice ad Concilium Lateranenſe, ſub eodem Alexandro celebratum IV. *part. cap.* II. refertur integra eiuſdem Alexandri decretalis. Summi Pontifices, Alexandri III. ſucceſſores, plura decreta ediderunt. Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. anno 1215. plures ſtatuit canones pro decimarum ſolutione. Et quamvis in Oriente abolitus fuiſſet decimarum uſus, quia apud Græcos certa erant pro Sacerdotum alimentis conſtituta tributa; nihilominus in Epiſtola, ad Patriarcham Latinum Conſtantinopolitanum data, præcipit, Venetos ibidem degentes cogendos eſſe ad exſolvendas etiam in Oriente decimas; monetque attendendam non eſſe conſuetudinem quæ Venetiis obtinet, ſolvendi decimas paullo ante mortem. *Non obſtante conſuetudine, quam habitatores Venetiarum obſervant, ut videlicet in morte dumtaxat decîment illa quæ acquiſierunt in vita.* In geſtis eiuſdem Innocentii. Hic ſermo eſt de decimis perſonalibus, quæ potiſſimum ex negotiatione ſolvebantur. Tandem, poſtquam hæc Romanorum Pontificum reſponſa, & ſtatuta in Decretalium Librum relata ſunt; quæve partem iuris communis conſtituunt, unanimi Canoniſtarum, & Theologorum conſenſu concluſum eſt, omnes ad decimas ſolvendas teneri, tum reales, tum perſonales; attenta tamen regionum conſuetudine, ut infra declarabitur. Si plura de decimarum viciſſitudinibus ſcire cupis, conſule Ludovicum Thomaſſinum *Tom. III. vet. & nov. diſcipl. cap.* IV. *& ſeq.* Chriſtianum Lupum *Tom. V. Venet. edit. pag.* 92. Van-eſpen *part.* II. *tit.* XXXIII.

cap. I.

Digitized by Google

cap. I. Fagnanum in *III. Lib. decret. part.* III. Hæc enim pro noſtro inſtituto deIibaſſe ſufficiat.

CAPUT III.

Iure tantum eccleſiaſtico in lege gratiæ decimæ, ſpectata earum quantitate, ſolvuntur. Refellitur opinio Canoniſtarum antiquorum, aſſerentium vi iuris divini nunc decimas pendendas eſſe. Nonnullæ hac de re quæſtiunculæ reſolvuntur.

I. CArdinalis Bellarminus *Tom. II. Controverſ. Lib. I. de Clericis cap.* xxv. recenſitis hæreticorum erroribus in decimarum materia, quartum errorem appellat opinionem Canoniſtarum, contendentium fideles adſtrictos eſſe vi iuris divini ad ſolvendas decimas, ſpectata etiam earum quantitate. *Quartus error*, inquit, *eſt multorum Canoniſtarum, qui contendunt, decimas, etiam quoad determinationem quantitatis, eſſe de iure divino; nec poſſe ulla humana lege, aut conſuetudine aliam ſtatui quantitatem*. Hanc antiquorum Canoniſtarum opinionem propugnandam ſuſcepit Anacletus Reiffenſtuel *Tom. III. Iur. Can. Lib. III. tit.* xxx. *de decimis, & oblat. §.* I. *num.* 13. *& ſeq.* Quoniam, inquit, in controverſiis in quibus agitatur, num aliquid iuris divini ſit nec ne, ſtandum eſt determinationi Eccleſiæ, & declarationi ſummorum Pontificum. Atqui ſummi Pontifices conceptis verbis declararunt, decimas iure divino a fidelibus pendendas eſſe Sacerdotibus. Sunt igitur iure divino ſolvendæ. Ut minorem propoſitionem evincat, plura allegat ſummorum Pontificum teſtimonia, in quibus clariſſime aſſeritur, debitum conferendi decimas Sacerdotibus eſſe iuris divini: noſque aliqua ſupra dedimus. Id etiam confirmant (ut ipſe quidem cenſet) Sancti Patres Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, aliique plures, qui, nulla facta diſtinctione, abſolute pronuntiant, Dominum adſtringere fideles ad decimas perſolvendas; potiſſimum, ſi ſermo ſit de decimis prædialibus.

II. Mirum eſt, Auctorem iſtum, poſt unanimem omnium Theologorum conſenſum, quin & recentiorum Canoniſtarum ſententiam, propugnandam ſuſcepiſſe opinionem apertiſſime falſam, de qua iterum loco laudato ait Bellarminus. *Sine ullo dubio error eſt manifeſtus, ut non ſolum Theologi omnes, ſed etiam ex Canoniſtis docent Sylveſter, Navarrus .... Nec ſemel tantum, ſed bis peccant multi Canoniſtarum. Semel, quia falſum defendunt. Iterum, quia damnant fere hæreſeos omnes Theologos qui contrarium ſentiunt; cum e contrario ipſorum ſententia facillime con-*

via

vinci poſſit erroris. Et ſane ex iis quæ capite ſuperiore dicta ſunt, evidenter falſa apparet hæc Canoniſtarum opinio. Quoniam quæ iuris divini ſunt, ſemper, & ubique eadem conſiſtunt; nec temporum, & locorum viciſſitudinibus obnoxia ſunt. Quomodo ergo iuris divini eſt ſolutio decimarum, ſi primis Eccleſiæ ſæculis vix mentio expreſſa de eiſdem habita fuit? Deinde poſterioribus ſæculis varia obtinuit conſuetudo eaſdem ſolvendi, donec tandem per Eccleſiam decretum fuit, ab omnibus ſolvendas eſſe; quamquam etiamnum in variis regionibus diverſitatem conſpicimus.

III. Ad argumentum autem Reiffenſtuel, aliorumque Canoniſtarum facilis reſponſio eſt. Utique in controverſiis quæ ius divinum ſpectant, ſtandum eſt declarationi Eccleſiæ, & ſummorum Pontificum. Sed negamus aut Pontifices, aut Eccleſiam reipſa definiviſſe, ſolutionem decimarum iuris eſſe divini. Quoniam in textibus qui allegari ſolent, ſolum habetur, fideles iure divino & naturali adſtrictos eſſe ad ſuppeditanda alimenta neceſſaria. ſuis Sacerdotibus; quæ alimenta nomine decimarum exprimuntur. Quemadmodum feſta iuris divini ſunt, ſi ſpectetur cultus, quo aliquibus diebus Deus peculiariter colendus eſt; at iſtorum dierum definitio iuris eſt eccleſiaſtici: ſic idem dicimus in præſentia. Quod fideles pendant miniſtris Eccleſiæ congrua ſtipendia pro eorum ſuſtentatione, iuris naturalis, & divini eſt; ſed determinatio talis ſtipendii auctoritate Eccleſiæ in lege gratiæ facta eſt. Congruum autem duxit Eccleſia definire, quod fideles pro his alimentis ſolvant decimam partem omnium bonorum mobilium; & ſic ſua auctoritate innovavit præceptum veteris legis, quod, promulgata lege gratiæ, ceſſaverat. Nec, quando Patres, & Pontifices pronuntiarunt, decimas iure divino Sacerdotibus conferendas eſſe, quæſtio erat de iure quo debebantur; ſed difficultas tota in eo vertebatur, quod fideles reipſa alimenta miniſtris ſuppeditare vel negligebant, vel recuſabant. Non ſuper alimentorum quantitate, quæ dicitur decima, ſed ſuper tota rei ſubſtantia diſputatio fervebat. Idcirco ruit omnino argumentatio Reiffenſtuel, nempe in controverſiis in quibus diſputatur, an aliquid iuris divini ſit nec ne, ſtandum eſse determinationi Eccleſiæ: non quia id verum non ſit; ſed quia falſum aſserimus, diſputatum tum fuiſse, num iure divino tenerentur fideles dare Sacerdotibus pro ſuis alimentis decimam partem ſuorum bonorum. Etenim, ut diximus, difficultas in eo ſita erat, quod populi recuſabant miniſtris Eccleſiæ alimenta conferre. Porro, ut Patres, Epiſcopi, & Pontifices validius populos permoverent, atque inducerent ad eiuſmodi alimenta, ſeu ſtipendia exſolvenda, legem Dei id præcipientem allegabant. Quæ omnia clariora evadent, ſi dixerimus, nullum in nova lege extare præceptum quod definiat, quantitatem ſtipendii Sacerdotibus conferendi debere eſse decimam partem omnium bonorum mobilium. Præceptum autem veteris legis non erat morale, neque enim extabat ante legem Moy-

Digitized by Google

Moyſis : nec proprie erat cæremoniale ; ſed iudiciale tantum, quod obſolevit. Cum itaque præceptum nec in veteri, nec in novo teſtamento reperiatur, quod obſtringat fideles ad ſuppeditandam decimam ſuorum mobilium bonorum partem Presbyteris ; & cum ex alia parte certo ſciamus, in Eccleſia variam obtinuiſſe conſuetudinem circa ſolutionem decimarum : dicamus neceſſe eſt, debitum iſtud pendendi decimas iuris eſſe eccleſiaſtici, non divini. Nec alicuius momenti eſt quod ſubdit Reiffenſtuel, Pontifices, & Patres non diſtinguere in decimis quantitatem ab ipſa ſubſtantia fructuum ; ſeu, ut ipſe ait, inter decimas materialiter, & formaliter ſumptas. Quoniam ex iis quæ dicta ſunt, compertum ſatis eſt eos non potuiſſe allegare ius divinum pro ipſa fructuum quantitate, ſeu decima parte. Quandoquidem nec ex Scriptura, nec ex ratione naturali id eruere poterant. Quæ enim ratio naturalis præſcribit ut alimenta miniſtrorum Eccleſiæ ſint decima pars, & non octava, vel duodecima bonorum omnium quæ laici vel ex terra, vel ex induſtria colligunt? Iure ergo aſſerunt omnes Theologi, & recentiores Canoniſtæ, præfatos Patres ius divinum in medium attuliſſe, non ad probandam quantitatem, ſed ad evincendum debitum alendi miniſtros congruo ſtipendio : quod poſtea ad decimam partem deductum fuit, iuxta congruentiam quam ex D. Thoma ſupra dedimus. Quid plura? Ipſum Concilium Lateranenſe, ſub Innocentio III. celebratum, decernit, ſolutionem decimarum eſſe iuris eccleſiaſtici. Hæc namque verba habentur cap. *In aliquibus* de decimis : *Illæ quippe decimæ neceſſario ſolvendæ ſunt quæ debentur ex lege divina, vel loci conſuetudine approbata*. Quæ iuris divini ſunt, locorum conſuetudini non ſubiacent. Quare, ut hunc textum explicent Canoniſtæ, in ſententiam, vel nolentes, incidunt Theologorum. Concedunt namque & illi ipſi, quantitatem fructuum, ſeu decimarum pro diverſa locorum conſuetudine maiorem, vel minorem eſſe. Hoc ipſum fatentur Theologi, ut ex D. Thoma ſupra vidimus, nimirum fideles iure divino miniſtrare alimenta debere ſuis Sacerdotibus. Vocantur autem decimæ *fidelium vota* : quia fideles, dum eas in miniſtrorum Dei, aliorumque pauperum, qui peculiariter membra ſunt Chriſti, ſuſtentationem conferunt, illas quodammodo Deo offerunt ; & conſequenter quodam religionis cultu vota ſua Deo perſolvunt.

IV. Quæſt. I. *An conſuetudo valeat abrogare obligationem ſolvendi decimas?* Reſp. Ex iis quæ dicta ſunt, propoſitæ quæſtionis reſolutio manifeſta eſt. Canoniſtæ qui defendunt, decimas iure divino deberi, etiam quoad quantitatem, conſequenter propugnant, eas nulla conſuetudine minui, vel abrogari poſſe. Contra Theologi, qui alimenta congrua pro Sacerdotum ſuſtentatione deberi iure tum naturali, tum divino docent, nulla conſuetudine contraria auferri poſſe debitum eadem ſolvendi etiam ſuſtinent. Verum quia ſimul perſuaſum habent, quantitatem iſtius ſuſtentationis ab eccleſiaſtica poteſtate definitam fuiſſe ; hanc vi conſuetudinis au-

Digitized by Google

geri, vel minui poſſe adfirmant. Quin, ſi miniſtris Eccleſiæ alia via proviſum eſſet ſufficienter, aſſentiuntur, introduci poſſe conſuetudinem, vi cuius fideles liberi forent a ſolutione cuiuſque fructuum partis. Quia, ceſſante titulo, ceſſat debitum. Titulus autem conferendi decimas miniſtris Dei eſt illorum ſuſtentatio ratione miniſterii. Quoties ergo nullo modo indigerent alimentis, quia aliunde ex Eccleſiæ proviſione illis conferrentur; conſuetudo obtinere poſſet iiſdem decimas non ſolvendi. Sed hoc numquam fortaſſis continget. Quare conſuetudo potiſſimum locum habet in circumſtantiis decimarum, quod nempe ſolvantur ex his rebus, non ex illis; in hac, non in illa menſura; hoc, non illo tempore. Hoc ipſum præſtare valet præſcriptio; dummodo adſint requiſita neceſſaria pro legitima præſcriptione.

V. Quæſt. II. *An Eccleſia valeat auferre conſuetudinem inveƈtam non ſolvendi decimas?* Reſp. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *art.* 1. & *quodlib.* vi. *art.* 10. *ad* 2. docet, numquam introduci poſſe conſuetudinem talem non ſolvendi decimas, ut Eccleſia nequeat eam abrogare: quia nulla conſuetudo ſolvit a debito decimarum, niſi approbata, vel ſaltem tolerata a ſummo Pontifice ſit. Ubi autem conſuetudo legitime obtineret non ſolvendi vel quantitatem decimæ, vel ſimpliciter, vel ex talibus rebus; ea nec per Clericos, neque per Epiſcopos particulares, ſed ſolum per ſummum Pontificem abrogari poſſet. Solus enim Pontifex ex iuſta & rationabili cauſſa iuri communi derogare valet. Et ideo D. Thomas laudata quæſtione lxxxvii. *art.* 1. *ad* 5. aſſerit, laudabiliter miniſtros Eccleſiæ aliquando non exigere decimas, vel propter deſuetudinem, vel propter ſcandalum, quod ex exactione conſequeretur. *Et ſimiliter laudabiliter miniſtri Eccleſiæ decimas Eccleſiæ non requirunt, ubi ſine ſcandalo requiri non poſſent propter diſſuetudinem, vel propter aliquam aliam cauſam. Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis qui non ſolvunt in illis locis, in quibus Eccleſia non petit; niſi forte propter obſtinationem animi, habentes voluntatem non ſolvendi, etiamſi ab eis peterentur.* Quæ ultima verba, ut advertit Suarez, duobus modis intelligi poſſunt. Primo, quando fideles ita obſtinati eſſent, ut, licet eorum ſpirituales miniſtri indigerent congrua ſuſtentatione, recuſarent alimenta neceſſaria illis ſuppeditare prætextu conſuetudinis, quæ præſcribere nequit adverſus ius naturale, vi cuius debentur alimenta miniſtris populo inſervientibus. Secundo, quando fideles recuſarent obedire Pontifici, qui propter univerſale bonum Eccleſiæ præciperet ſolutionem decimarum, quæ antea ratione conſuetudinis non ſolvebantur. In his duobus caſibus peccarent fideles qui prætextu conſuetudinis ſolvere decimas renuerent. Ceterum, ſicut conſuetudo eximere poteſt aliquam integram communitatem, ita potiori iure liberare valet perſonam aliquam privatam a ſolutione decimarum.

VI. Quæſt. III. *An Summus Pontifex valeat omnino tollere decimarum ſolutionem?*

Digitized by Google

nem? Reſp. In primis Pontificem diſpenſare non poſſe a ſolutione decimarum quoties miniſtri deſtituti eſſent neceſſariis alimentis, quæ debentur illis naturali iure, quod nulli humanæ poteſtati ſubiacet. Secundo plures tum Canoniſtarum, tum Theologorum docent, Pontificem, ſi ſua abſoluta poteſtate uti vellet, poſſe omnino tollere præceptum decimarum, ſalva ſemper congrua ſuſtentatione miniſtrorum; quamvis id illicite præſtaret. Verum, quidquid ſit de hac opinione, dico, Pontificem neque valide, neque licite poſſe legem decimarum, licet eccleſiaſticam, omnino abrogare. Quoniam talis abrogatio non eſſet diſpenſatio; ſed, ut communiter dicitur, diſſipatio redituum eccleſiaſticorum: quæ cederet in graviſſimum, & univerſale detrimentum totius Eccleſiæ, non ſolum temporale, ſed etiam ſpirituale. Porro Chriſtus Dominus ſuis Pontificibus non contulit ſupremam poteſtatem in deſtructionem, & ruinam; ſed in ædificationem, & incrementum Eccleſiæ. Verum, quia Spiritus Dei eſt qui ſpeciali aſſiſtentia regit ſuos in terris Vicarios in univerſali Eccleſiæ moderamine, numquam permittet ut iſti quidquam agant, vel decernant in commune totius Eccleſiæ ſpirituale detrimentum.

VII. Quæſt. IV. *An ſummus Pontifex poſſit aliquos privatos diſpenſare a decimarum ſolutione?* Reſp. Id conſtat ex uſu pio, & manifeſto, quo ſummi Pontifices omni fere tempore plures privatas perſonas a debito ſolvendi decimas diſpenſarunt. Ratio autem clara eſt: quoniam præceptum ſolvendi decimas eccleſiaſticum eſt, a cuius obſervantia ob iuſtam cauſſam Pontifices ſummi eximere poſſunt ſubditos ſuos. Neque de hoc difficultas eſt inter Theologos.

CAPUT IV.

Summi Pontifices, & Epiſcopi variis, iuſtiſque de cauſſis Monachis, & Regularibus decimas conceſſere. Donatio decimarum, laicis a ſummo Pontifice facta ſine iuſta cauſſa, illicita, & nulla eſt.

I. Decimæ res ſunt temporales; ideo Monachis, & laicis iuſta de cauſſa communicari poſſunt. Ius tamen illas exigendi ſpirituale eſt, quod miniſtris Eccleſiæ competit. Ita inquit ſanctus Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. art. 3. ad 3. *Sicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia alicui laico tradere; ita etiam poteſt ei concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, iure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſervato; ſive pro neceſſitate Eccleſiæ, ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur in feudum per Eccleſiam conceſſæ; ſive etiam ad ſubventionem pauperum, ſicut quibuſdam Religioſis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ ſunt*

conceſſæ per modum eleemoſynæ : quibuſdam tamen Religioſis competit accipere decimas ex eo quod habent curam animarum. Nullum ergo dubium eſt, Pontifices ſummos poſſe tum Religioſis, tum laicis iuſtam ob cauſſam privilegium non ſolvendi, & facultatem percipiendi decimas concedere. Quo poſito tamquam certo, ad facti veritatem explicandam accedo.

II. Gravia diſſidia, iurgia, & ſcandala Clerum inter & Regulares exarſerunt ob decimas, iſtis vel ab Epiſcopis, vel a ſummis Pontificibus collatas. Si tamen Clerici, & Parochi ad cauſſas eiuſmodi privilegiorum animum intenderent; non de Monachis, ſeu Regularibus, ſed de ſemetipſis conquererentur. Certum ſiquidem eſt, ſæpius Romanos Pontifices, & Epiſcopos Eccleſias parochiales Regularium regimini ſubieciſſe, non ut Regularibus, ſed ut ipſis Eccleſiis conſulerent. Gratianus *cauſ.* XVI. *quæſt.* I. *can.* LXVIII. epiſtolam refert ſub nomine S. Hieronymi ad Damaſum Papam, in qua narratur, Epiſcopos Monachis poteſtatem conceſſiſſe percipiendi decimas. Verum communis eſt eruditorum opinio, epiſtolam hanc ſuppoſititiam eſſe, in gratiam Monachorum confictam circiter ſæculum XI. Ideo eam miſſam facimus, ut genuina monumenta promamus. Leo IX. Monaſterio S. Petri Damiani parochialem Eccleſiam univit. *Sancimus etiam* (inquit Pontifex epiſt. XVIII.) *ut plebem ſanctæ Mariæ, poſitam in loco qui dicitur Vineole, præfata Eremus perpetuo iure poſſideat*. Plures quoque Eccleſias Monachis regendas ab Epiſcopis traditas fuiſſe, conſtat ex Concilio Pictavienſi, anno 1078. celebrato, in quo *can.* VIII. hæc leguntur. *Ut Abbates, Monachi, Canonici Eccleſias, quas numquam habuerunt, non emant, nec alio modo ſibi vindicent, niſi conſentiente Epiſcopo, in cuius fuerint diœceſi. In illis vero quas hactenus abſque calumnia habuerunt; reditus, beneficiaque obtineant. Presbyter tamen de cura animarum, & de chriſtianitatis miniſterio Epiſcopo reſpondeat*. Hinc tamen non infertur, Epiſcopos poteſtatem habere applicandi eiuſmodi decimas alteri quam ei cui ex iure communi debentur; ſed ſolum poſſe decimas ſuæ diœceſis, iuſta de cauſſa, ut delegatus Sedis apoſtolicæ, Regularibus, aliiſque quandoque applicare, ſalva ſemper miniſtrorum ſuſtentatione. Innumera monumenta ex antiquitate iſthuc tranſcribere poſſem, ut oſtenderem, ſemper neceſſarium fuiſſe conſenſum Epiſcoporum in tranſlatione decimarum ad Monachos. Satis nunc ſit referre Concilii V. Romani can. IX. *Ut nullus Abbas decimas, & primitias, & reliqua, quæ auctoritate Romani Pontificis, ſeu Epiſcopi conſenſu in cuius diœceſi habitat recipit, detineat, apoſtolica ſanctione firmamus*. Verum de hac obiter dictum ſit. Aliam nunc viam, per quam ad Regularium Cœnobia decimæ pervenerunt, aperiamus.

III. Non modo a ſummis Pontificibus, & Epiſcopis, ſed etiam ab ipſis laicis decimarum copiam Regulares acceperunt. Id autem hoc evenit pacto. Sæculis octavo, nono, & ſequentibus cum Europa bellorum æſtu arderet, & potiſſimum paga-

Digitized by Google

paganis hoſtibus undique premeretur, plures Eccleſias, decimas, & patrimonia ſacra laici variis titulis occuparunt. Nobiles potiſſimum, propriis conſumptis opibus in bello adverſus infideles, alii ab ipſis Regibus decimas, & altaria obtinuerunt, alii propria auctoritate eadem invaſerunt. Carolum Martellum decimas, & Eccleſias laicis conceſſiſſe, hiſtoriæ produnt. Qua de re fragmentum edidit Petrus Pithœus, quod hæc continet. *Carolus Maior domus, & Auſtraſiorum Princeps res Eccleſiarum propter aſſiduitatem bellorum laicis tradidit*. Vix laici deguſtarunt eccleſiaſticorum redituum ſaporem, aucta in dies fame, quæ bonorum poſſeſſione non extinguitur, ſed accenditur, omnibus limitibus tranſilitis, vel iure infeudationis, vel aliis titulis, Eccleſiarum parochialium decimas aut a Regibus datas acceperunt, aut ſeipſis uſurparunt. At, cum omnes res clament ad dominum ſuum, maxime bona ſacra ad ſupremum univerſi orbis Dominum Deum clamorem emittunt, atque iniuſtos poſſeſſores continenter reprehendunt, & acribus ſtimulis ad reſtitutionem perurgent. Itaque laici, ſacrorum redituum prædatores, & internis conſcientiæ angoribus agitati, & externis Epiſcoporum adhortationibus permoti, de ſacris manubiis reſtituendis conſilium iniere. At, quia Clerus una cum bonorum iactura, morum quoque diſciplinam amiſerat, maluerunt laici Monachis, qui virtutum ſplendore fulgebant, quam Epiſcopis, & Parochis (forſitan non ita bene moratis) Eccleſias, & decimas reſtituere. Non omnes tamen, ut conſcientiæ ſuæ facerent ſatis, reſtitutionem hanc executioni mandarunt. Plures quidem ſponte, & ut iuſtitiæ litarent, id præſtitere; ſed plures alii non prius opima ſpolia Monachis reddiderunt, quam accepta ab iiſdem pecunia. Eccleſiæ Paſtores, quod neque auctoritate, neque potentia tanta pollerent, ut ad ſua ſibi reſtituenda laicos cogerent, tempori morem geſſere; & quod impedire nequiverunt, neceſſario adprobarunt. Rem hanc deſcribit Chriſtianus Lupus Tom. VI. edit. Venet. pag. 89. *Et Monachorum, & Regularium in cathedrali, aut collegiato Clauſtro Clericorum diſciplina tunc florentiſſima vigebat. Hinc plures laici, dum ſæculares ſeu ſingulares Clericos averſarentur, detentas altarium decimas illis donarunt, & ex ipſis fundarunt nova Monaſteria, ac regularia Collegia, atque utramque iſtam profeſſionem opulentiſſime ditarunt. Ipſa dederunt cum onere reparandæ, & ornandæ fabricæ, & ſufficientis ad populi miniſterium Cleri ſuſtentandi. Poſt extinctam Caroli Magni ſobolem, & patrata in Formoſum Pontificem ſcandala, malum adeo reſurrexit, ut laici in ipſis etiam Romanis Baſilicis devotas adventantium fidelium oblationes invaderent, & ipſos adventantes in via prædarentur. Medicinam adhibere iterum cœpit Gregorius ſextus, Victor ſecundus, ac præſertim ſanctus Leo nonus, laudatus ab Hermano contracto. Et tunc iterum varia, in quibus vigebat regularis Ordo, Monaſteria non parum profecerunt.*

IV. Grates itaque ſummæ Monachis agendæ ſunt, quod morum ſanctimonia,

virtutumque ſplendore potuerint e manibus laicorum ſacra ſpolia extorquere. Sed ob idipſum maximam ſubierunt Monachi invidiam, ob decimas nempe ſibi a laicis collatas, ſæpius ſine ipſorum Epiſcoporum conſenſu. Hinc ſiquidem murmura, hinc diſſidia, & iurgia Clerum inter & Monachos. Parochi apud Epiſcopos, & Epiſcopi apud ſummos Pontifices Monachos, tamquam iniuſtos decimarum uſurpatores, traducebant. Quibus iurgiis, ac diſſenſionibus ut proſpicerent Pontifices ſummi, haudquaquam Monachis decimarum acceptiones interdixere; ſed decreverunt ipſos eas recipere debere, vel Sedis apoſtolicæ, vel Epiſcoporum conſenſu, ut patet ex Canone Concilii Romani ſub Gregorio VII. quem paullo ante deſcripſimus. Simul vero quorumdam Epiſcoporum avaritiam cohibuerunt, ac declararunt Sedem apoſtolicam adire Monachos debere, quoties Epiſcopi conſentire renuerent, ut decimas a laicis donatas acciperent. Hæc omnia continentur in Concilio Romano, ſub Urbano II. anno 1099. celebrato can. xv. *Nullus laicus decimas ſuas, aut Eccleſiam, aut quidquid eccleſiaſtici iuris eſt, ſine conſenſu Epiſcopi, ſive Romani conceſſione Pontificis Monaſteriis, aut Canonicis offerre præſumat. Quod ſi quis Epiſcopus, improbitatis, & avaritiæ cauſſa conſentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & eius licentia, quod offerendum eſt, offeratur.* Simillimus canon editus fuit in Synodo Melfenſi anno 1089. Adeo frequentes canones tum Synodi, tum Pontifices ediderunt in Monachorum, decimas a laicis recipientium, favorem: quia non deerant pſeudo-doctores, inquit Chriſtianus Lupus, qui effutiebant, non ſecus Monachos ac laicos non poſſe licite decimas poſſidere. Quin eo audaciæ prolapſi erant, ut in ſtatu damnationis deprædicarent eſſe Monaſteria quæ decimas poſſidebant. Hac erronea doctrina multi Monachi decepti, Cœnobiis relictis, alio ſe receperunt. Hæc omnia deſcribit Ivo Carnotenſis Epiſcopus epiſt. CXCII. *Hæc & his ſimilia præcones huiuſmodi non intelligentes, aut non legentes, ſuadent Monachis ut ſua Monaſteria deſerant propter Abbates ſuos, & procuratores Monaſteriorum ſuorum, qui aliquas decimas, quæ iure pertinent ad diſpenſationem Epiſcoporum, Monaſteriis ſuis acquiſierunt. Dicant mihi tam ſubtiles divinorum iudiciorum ſcrutatores, quid ſalubrius ſit Monachis, utrum permanere Cœnobitas ſub Præpoſitorum ſuorum obedientia, quæ melior eſt quam victimæ, & ibi vivere de decimis, & oblationibus fidelium, quas Eccleſia lege caritatis communicare poteſt non tantum Monaſteriis, ſed etiam Xenodochiis, infirmis, & peregrinis; an fieri Sarabaitas, ut in privatis locis proprio iure vivant, & victum ſibi de ſubſtantia pauperum per manus raptorum, & de fenore negotiatorum accipiant. Licet enim decimæ, & oblationes principaliter debeantur clericali militiæ; poteſt tamen Eccleſia omne quod habet, cum pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus qui, relictis facultatibus propriis, non in angaria baiulantes crucem Chriſti, ſequuntur pauperem Chriſtum? Eſt tamen, in quo Abbatibus, & præpoſitis Monaſteriorum parcendum eſſe non exiſtimem, ſi ab illis ad quos non pertinet,*

Digitized by Google

net, ideſt a laicis, decimas, & oblationes accipiant; ſi inordinate eas a quibuſcumque perſonis acquirant; ſi terminos tranſgrediantur antiquos, ideſt ſi ſtipendia Preſbyterorum antiquitus inſtituta minorent, ac ſibi uſurpent. Nec tamen ideo Monachi qui hæc ignorant, aut non probant, debent ſuam collectionem deſerere, aut Abbatibus ſuis minus obedientes exiſtere. Hæc ſancti Ivonis epiſtola compeſcuit multorum audaciam, pluresque Monachos propriorum Abbatum regimini ſubiecit. Animadvertit laudatus Lupus, plures Monachos religioni ſibi duxiſſe iis in Monaſteriis, quæ decimas poſſidebant, vitam degere. Quis enim neſciat, inquit, ſanctiſſimum Ciſtercienſem Ordinem prodiiſſe ex ſchiſmate, & quaſi apoſtaſia quorumdam fratrum e Moliſmenſi Monaſterio? Exiſtimabant enim ſe extra ſalutis viam digredi, eo quod divi Benedicti Regulam prohibere cenſerent altarium, Eccleſiarum, decimarumque poſſeſſionem. Qua de cauſſa Venerabilis Albericus, ſecundus Ciſtercii Abbas, longo tempore, tamquam ſchiſmatis auctor, aut incentor Moliſmenſem carcerem ſanctificavit. En quomodo divina providentia paſſim permiſit ut ſacrorum Ordinum inſtauratores, atque monaſticæ diſciplinæ reparatores, malorum fratrum perſecutionibus vexarentur. Quorſum? ut illi meritorum, iſti ſcelerum menſuram implerent.

V. Porro ideo laici decimas Monaſteriis libentius conferebant, quod Monachos liberaliores in pauperes, & exactiores bonorum eccleſiaſticorum diſpenſatores reputarent. Non in Monachorum dumtaxat ſuſtentationem, ſed & in pauperum, viduarum, ac orphanorum ſubſidium decimæ potiſſimum Monaſteriis conferebantur; ut teſtatur præ aliis D. Petrus Damianus Lib. II. epiſt. XIV. *Ut copioſiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monaſteriis, & Eremis decimæ quorumcumque proventuum, & non modo pecorum, ſed cornicum pariter, & ovorum.* Heinc infert Lupus, Monaſteria, & Clericorum Collegia, quæ decimas poſſident, ad largas, copioſaſque eleemoſynas pauperibus impertiendas, non modo caritatis, ſed etiam iuſtitiæ lege obſtringi. Et quia non pauca Monaſteria minus exacte tantum debitum impleverunt; idcirco ab inſtituto defecere, & in laxitatis ſentinam prolapſa, in commendas redacta fuerunt. Copioſæ ſiquidem divitiæ ſemper diſciplinæ tum eccleſiaſticæ, tum monaſticæ, infeſtæ extiterunt, & exitiales. Abundans decimarum poſſeſſio occaſio fuit cur Regula D. Benedicti a ſua primæva ſeveritate declinaverit. Ut eiuſdem regulæ priſtina obſervantia inſtauraretur, inſtitutus fuit Ciſtercienſium Ordo in ſumma paupertate abſque decimis, & altaribus. Cuius paupertatis diſciplina ut ſarta tecta cuſtodiretur, Alexander III. ſacro illi Ordini decimarum receptionem interdixit; & tamdiu in paupertatis obſervatione floruit, quamdiu ſaluberrimis ſanctiſſimi Pontificis decretis paruit Ordo ille.

VI. Non modo Monachis, ſed etiam Fratribus mendicantibus decimæ, & Eccleſiæ collatæ fuere, modo a laicis, conſentientibus Epiſcopis, modo ab Epiſcopis

Digitized by Google

ipſis. Fulconem Epiſcopum Toloſanum decimarum uſum conceſſiſſe Patribus Prædicatoribus, compertum eſt. Conceſſionem hanc confirmaſſe Honorium III. pariter certum. Id tamen cautum fuit ut non ipſi, ſed Presbyter ab Epiſcopo inſtitutus regeret altaria. Temporis decurſu Fratres ipſi Eccleſias regebant. Hinc diſſidia, & murmura Parochorum. Ioannes vigeſimus ſecundus ſua peculiari conſtitutione profeſſorem cuiuslibet mendicantium Ordinis ad inferiores cathedralibus Eccleſias poſtulari prohibuit. Sanctus Pius V. huic conſtitutioni derogavit, & privilegium indulſit cunctis mendicantibus, ut quemque e ſuis Fratribus præſentare Epiſcopo poſſent pro animarum cura peragenda in Eccleſiis ſibi ſubiectis. Hæc pauca delibaſſe ſufficiat circa decimas, a Pontificibus, Epiſcopis, & laicis, Regularibus conceſſas. Qui plura cupit, conſulat laudatos Lupum, Thomaſſinum, & Van-eſpen.

VII. Quæres, *an privilegium, ſine ulla cauſſa iuſta laico conceſſum, non ſolvendi vel recipiendi decimas, validum ſit?* Reſp. Sub initium iſtius capitis dictum eſt, poſſe ſummos Pontifices iuſta de cauſſa valide, & licite tum Eccleſiaſticis, tum laicis aliquam decimarum partem applicare. Quoniam laici, licet capaces non ſint iuris percipiendi decimas, quia ius iſtud ſpirituale eſt, ut *diximus;* capaces tamen ſunt fructuum decimarum, qui temporales ſunt. Quæſtio ſpecialis de laicis inſtituitur. Nam, ſi applicatio fiat decimarum perſonis eccleſiaſticis, etiam abſque iuſta cauſſa, valida eſt. Tunc etenim non violatur Iuſtitia commutativa; niſi fieret cum damno miniſtrorum, populis inſervientium, quibus, ut dictum eſt, ex iuſtitia alimenta debentur. Quibus poſitis, dicimus, applicationem decimarum, factam per Pontificem laico ſine ulla iuſta cauſſa, eſſe nullam; atque adeo nec Pontificem concedentem, nec laicum recipientem tutum reddere in conſcientia. Ratio evidens eſt. Siquidem decimæ a fidelibus conferuntur in communem Eccleſiæ utilitatem, in pauperum, & miniſtrorum ſuſtentationem, in divinum cultum, aliaque pia opera; non vero in uſus profanos. Pontifex autem non eſt dominus abſolutus iſtorum bonorum, ita ut poſſit pro libito, cuicumque voluerit, eadem impartire; ſed eſt ſupremus diſpenſator intra fines quorum intuitu eadem bona a fidelibus collata ſunt. Ergo, dum illa in uſus profanos converteret Pontifex, peccaret contra iuſtitiam commutativam, & Ius naturale, ac divinum: & eiuſmodi elargitio nulla eſſet, utpote contra intentionem offerentium decimas, & contra voluntatem veri domini. Neque enim Deus poteſtatem Pontifici contulit in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ. Quando tamen certo, & evidenter non conſtat, ſine cauſſa applicationem factam fuiſſe, qui recipiunt decimas, tuti ſunt in conſcientia; dummodo veras, & non falſas cauſſas expoſuerint. Nec enim præſumendum eſt, Pontifices ſummos prodigere Eccleſiæ bona, & ſine rationabilibus piiſque cauſſis eadem diſpenſare. Hanc doctrinam in publica Signatura gratiæ uber-

Digitized by Google

uberrima eloquentia explanavit ſummus Pontifex feliciter regnans, BENEDICTUS XIV. elapſo anno 1747. ut in *Lib. de leg.* fuſius explicabo. Heinc infertur, nullam quoque futuram applicationem fructuum alicuius beneficii alicui perſonæ, etiam eccleſiaſticæ, vel loco ſacro, quando fieret cum detrimento congruæ ſuſtentationis ipſius miniſtri, ſeu beneficiati. Quoniam, ut ſæpius dictum eſt, congrua ſuſtentatio miniſtri, inſervientis populo, eſt de iure divino naturali, quod obnoxium non eſt humanæ poteſtati. Quare is cui eiuſmodi fructus applicati eſſent, ad reſtitutionem teneretur pro ea parte quæ neceſſaria eſt ad congruam miniſtri ſuſtentationem. Sed de hoc fuſius ſuo loco.

CAPUT V.

De perſonis quæ decimas ſolvere tenentur. Plures quæſtiunculæ hac de re explicantur.

I. Omnes fideles baptizati vi iuris communis, per ſe loquendo, niſi aliquo privilegio exempti ſint, ad decimas ſolvendas adſtringuntur. Clare traditur in cap. *Ex tranſmiſſa*, & cap. *A nobis* de decimis. Res certa eſt penes omnes tum Canoniſtas, tum Theologos cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *artic.* 1. & 4. Explicantur ſingula membra propoſitæ aſſertionis. Ex quo fideles baptizati teneantur ad ſolutionem decimarum, excluduntur omnes infideles non baptizati, qui a decimis pendendis liberi ſunt. Quandoquidem, ſi præceptum decimarum ſpectetur, ut naturale eſt, alimenta miniſtris Eccleſiæ conferenda præcipiens, planum eſt non obligare infideles, qui, cum a miniſtris Eccleſiæ ſpiritualia nec recipiant, nec recipere teneantur, uſquedum ſunt extra Eccleſiam, naturali iure ad eoſdem miniſtros alendos non obligantur. Si præceptum, quatenus eccleſiaſticum eſt, conſideretur, pariter compertum noſcitur, non obligare infideles, qui, cum non ſint Eccleſiæ membra, Eccleſiæ legibus non ſunt ſubiecti. Fideles autem baptizati & a miniſtris Eccleſiæ recipere alimenta ſpiritualia tenentur, & membra ſunt Eccleſiæ: ideo iure & naturali, & eccleſiaſtico ad decimas exſolvendas obligantur. Hæretici baptizati tenentur ad ſolvendas decimas, quia ratione baptiſmatis ſubiecti ſunt præceptis Eccleſiæ: & quamvis alimenta ſpiritualia non recipiant, tenentur tamen recipere, & miniſtri parati ſunt ad ea omnia illis conferenda quæ ceteris ſuis ovibus miniſtrant. Catechumeni, qui ſunt filii infidelium, non tenentur lege decimarum: quia fides interna, & privata, abſque profeſſione ſolemni in faciem Eccleſiæ, & ſine charactere baptiſmatis non ſubiicit eos Eccleſiæ legibus. Filii Catholicorum obligantur ad decimas ſolvendas, etiamſi adulti differant baptiſmatis ſuſceptionem: quoniam ratione chara-

cte-

Digitized by Google

ſteris parentum, ſeu originis, Eccleſiæ præceptis obnoxii ſunt; idcirco ad decimas tenentur.

II. Quæſt. I. *An Iudæi, Turcæ, ceterique infideles qui numquam baptiſma ſuſceperunt, teneantur ſolvere decimas prædiales de fundis, quos poſſident in locis Chriſtianorum?* Reſp. Infideles per ſe, ut dictum eſt, quatenus infideles ſunt, decimarum oneri non ſubiiciuntur; ratione tamen alicuius circumſtantiæ ad aliquas decimas exſolvendas obligantur. Ad aliquas, inquam, non ad omnes. Nam communis eſt Theologorum ſententia, ad decimas perſonales non teneri: quia eiuſmodi decimæ dantur Eccleſiæ ratione adminiſtrationis rerum ſpiritualium. Nil autem ſpirituale ab Eccleſia infideles recipiunt. Quare opinio Gloſſæ, in cap. *Quanto* contrarium defendentis, communiter improbatur. Aliqui Canoniſtæ docent, infideles, habitantes in aliqua Chriſtianorum parochia, teneri ad decimas perſonales ratione compenſationis damni quod Eccleſia patitur. Si enim loco infidelis inhabitaret Chriſtianus, is decimas ſolveret. Sed hæc ratio, ut inquit Sotus *Lib. IX. de iuſtit. & iur. quæſt.* IV. *art.* 4. nulla eſt. Quandoquidem Eccleſia ius non habet, ut omnes Chriſtiani alicuius parochiæ laborent, negotientur, arteſque exerceant. Quid, ſi omnes illius parochiæ nobiles eſſent? Anne nobiles tenerentur ſolvere decimas perſonales, quas ſolverent artifices, & negotiatores? Nulla ergo probabilitate gaudet opinio Panormitani, Abbatis, & quorumdam aliorum Canoniſtarum, obligantium infideles ad decimas perſonales ratione compenſationis damni quod afferunt Eccleſiæ. Quoad decimas autem prædiales diſtinctione opus eſt. Nam infideles vel poſſident prædia in locis, & provinciis Chriſtianorum, quæ ab ipſis Chriſtianis emerint; vel alia prædia poſſident in propriis provinciis, quæ Chriſtianorum poteſtati non ſubiacent. De prædiis quæ in Chriſtianorum locis poſſident, decimas pendere obligantur, non quatenus infideles, ſed quatenus illis prædiis affixum eſt onus reale decimarum: quod onus ſequitur prædia, quocumque devolvantur. Hoc aperte declaratum eſt in cap. *Quanto*, de uſuris, his verbis: *Hac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad ſatisfaciendum Eccleſiis pro decimis, & oblationibus debitis, quas a Chriſtianis de domibus, & poſſeſſionibus aliis percipere conſueverunt, antequam ad Iudæos quocumque titulo deveniſſent, ut ſic Eccleſiæ conſerventur indemnes.* Ex quo textu colligitur, Eccleſiam habere ius ad exigendas decimas ex tali prædio. Porro hoc iure Eccleſia defraudari nequit ob infidelitatem acquirentis. Hæc omnia docet S. Antoninus II. Part. tit. IV. cap. III. §. 3. *Decima prædialis . . . debet dari indiſtincte a poſſidente prædia, ſive iuſte, ſive iniuſte poſſideat; & non ſolum, ſi poſſideantur prædia a Catholico, ſed etiam ab hæretico, Iudæo, vel Pagano. Thomas, & Raymundus.* De prædiis quæ infideles poſſident in propriis provinciis, ad decimas non tenentur: quia Eccleſia nullum ius habet, vel habuit in illa prædia. Op-

po-

poſitum ſuſtinet Panormitanus cum quibuſdam aliis Canoniſtis: quia, inquiunt, licet infideles non ſint iuri eccleſiaſtico obnoxii; nihilominus ſubiiciuntur iuri divino. Nonne creaturæ omnes ratione præditæ tenentur recognoſcere Deum, ut ſupremum rerum Dominum? Ergo hac ratione, ut ſcilicet infideles recognoſcant ſupremum Dei dominium, decimas Deo offerre adſtringuntur. Et videtur hoc colligi ex cap. *Tua nobis*. Reſponſum facile eſt. Utique omnes, tum fideles, tum infideles, tenentur ſupremum ac univerſale unius Numinis dominium venerari, ſuamque ipſi ſubmiſſionem aliquo tributo, & oblatione teſtari. Sed falſum eſt, vi iſtius iuris obſtringi infideles ad recognoſcendum hoc divinum ſupremumque dominium decimarum ſolutione; cum poſſint huic debito ſatisfacere aliquo alio tributo, ſeu ſacrificio. Præceptum ſolvendi decimas in veteri lege non obligabat alios præter Iudæos; & nihiloſecius aliæ nationes Deo offerre aliquas oblationes, illumque aliquo tributo recognoſcere adſtringebantur. Antequam ergo infideles Eccleſiæ membra fiant, abſolute non ſubiiciuntur Eccleſiæ præceptis. Hæc reſponſio, ſubdis, evincit ſolum, infideles non debere ſolvere decimas quoad quantitatem, quod iuris eſt eccleſiaſtici; non vero eos exemptos eſſe a decimis, quatenus ſunt alimenta miniſtrorum, quæ naturali divinoque iure illis debentur. Reſponſio data utrumque evincit. Nam infideles a miniſtris alimenta ſpiritualia non recipiunt, nec ſunt illorum oves; & miniſtri non ſunt paſtores actu infidelium, ſed fidelium.

III. Quæſt. II. *An Eccleſia iure exigere poſſit ab infidelibus tributum congruum ad ſuſtentandum Prædicatores, & Miſſionarios, quos ad eorum converſionem mittit?* Reſp. Eccleſia ab infidelibus, in terris ſibi ſubiectis inhabitantibus, ſibique temporaliter ſubditis, reipſa exigit hoc tributum. Romæ ſiquidem Iudæi penſionem pendunt ad alendum Prædicatorem qui illis Chriſti Evangelium exponat. Hac poteſtate uti non ſolet Eccleſia in infideles, ſibi non ſubiectos quoad temporalem iuriſdictionem. Verum utique eſt, Chriſtum Dominum omnes ad fidem vocaſſe, & vocare. Et, quemadmodum mortuus eſt pro omnibus, ita omnes quoque Eccleſiæ ſuæ ſuppoſuit, quatenus ſcilicet omnes tenentur Evangelii prædicationem ſuſcipere, illius miniſtros audire, eiſque parere. Quia tamen Deus ipſe neminem cogit ad fidem ſuſcipiendam; ideo nec illius Eccleſia, quæ eiuſdem Dei ſpiritu regitur, ſua poteſtate utitur ad cogendos infideles, ut fidem amplectantur: ac proinde tributum imponere non ſolet infidelibus ſibi non ſubditis, tum ad evitandum ſcandalum, quod inde conſequi poſſet; tum ad imitationem Ieſu Chriſti, & Apoſtolorum, qui omnino gratis legem gratiæ in omnes gentes promulgarunt, quive proprio labore victum ſibi comparabant, aut a fidelibus, iam fide imbutis, quotidianam ſtipem accipiebant.

IV. Quæſt. III. *An ſummi Pontifices, & Epiſcopi teneantur decimas ſolvere?* Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Nec Pontifices, nec Epiſcopi obnoxii ſunt decimis perſonalibus. Non Pontifex, quia nullum habet ſuperiorem, cui ſubiiciatur: & licet etiam ipſe ſacramenta a miniſtris percipiat; attamen ille ipſe poteſtatem miniſtris confert impertiendi ſacramenta. Neque Epiſcopi ad has decimas perſonales pendendas obligati ſunt. Et certe non Parochis, quia ſunt ſibi ſubiecti; non Pontifici, quia, licet iuſta de cauſſa poſſet ſummus Pontifex Epiſcopis, utpote ſibi ſubditis, decimas perſonales imponere; reipſa tamen hac poteſtate Pontifices numquam uſi ſunt, ſed alia via ſibi providerunt. Sic docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. artic. 4. ad 3. *Unde nunc eadem ratione tenentur Clerici ſummo Pontifici decimam dare, ſi exigeret. Naturalis enim ratio dictat ut ille qui habet curam de communi multitudinis ſtatu, provideatur de communibus bonis, unde poſſit exequi ea quæ pertinent ad communem ſalutem.* Pontifices vero obnoxii ſunt decimis prædialibus de illis terris, ſeu fundis, quos poſſident titulo patrimonii temporalis. Quoniam, facta parochiarum partitione, unicuique Eccleſiæ aſſignata ſunt prædia cum onere decimarum: quod onus, reale cum ſit, ſemper annexum eſt præfatis prædiis. Ergo, ſi Pontifices poſſeſſores ſint titulo vel hereditatis, vel emptionis, vel donationis, vel quocumque alio temporali iure, eiuſmodi prædiorum, obſtricti ſunt ad ſolvendum decimarum debitum eiſdem terris affixum. Idem de Epiſcopis potiori iure dicendum eſt. De prædiis, quæ habent ratione Epiſcopatus, ſeu quæ reditus ſunt dignitatis epiſcopalis, non tenentur decimas ſolvere. De prædiis vero profanis, ſeu quæ titulo hereditatis, patrimonii, vel emptionis poſſident, decimas ſolvere adſtringuntur, ob rationem iam dictam, quod prædiis eiuſmodi adnexum ſit onus reale decimarum, quæ a quocumque ſolvi debent.

V. Quæſt. IV. *An Clerici curati, ſeu Parochi teneantur decimas ſolvere perſonales, & reales?* Reſp. Ad decimas perſonales non tenentur: quia iſtæ ſolvuntur Paſtori ratione ſacramentorum. Parochi autem, cum recipiunt ſacramenta, ea non ſuſcipiunt ab aliis Parochis, tamquam ſubditi, ſed tamquam cooperatores in vinea Domini. Neque tenentur ſolvere decimas Epiſcopis de fructibus beneficiorum: quia nec iure, nec conſuetudine tale debitum conſtat. Obligantur vero ſolvere decimas de prædiis quæ poſſident titulo temporali hereditatis, emptionis, aut quovis alio. Sic docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. art. 4 *Clericis autem, inquantum ſunt miniſtri altaris, ſpiritualia populo ſeminantes, decimæ a fidelibus debentur. Unde tales Clerici, inquantum Clerici ſunt, ideſt inquantum habent eccleſiaſticas poſſeſſiones, decimas ſolvere non tenentur. Ex alia vero cauſa, ſcilicet propter hoc quod poſſident proprio iure, vel ex ſucceſſione parentum, vel ex emptione, vel quocumque huiuſmodi modo, ſunt ad decimas ſolvendas obligati.*

VI. Quæſt. V. *An Clerici ſimplices teneantur ad decimas tum perſonales, tum rea-*

reales? Reſp. Ut primum de decimis perſonalibus loquamur, animadvertamus oportet, Clericos duplici ex titulo lucrari poſſe, ſpirituali nempe, & temporali. Actione ſpirituali lucrari poſſunt, dum Miſſam canunt, dum cadavera defunctorum tumulant &c. Quæ his actionibus lucrantur, decimis obnoxia non ſunt. Ex iis vero quæ corporali labore, ſeu profano, & temporali titulo lucrantur, tenentur decimas perſolvere. Siquidem decimæ perſonales debentur ratione ſacramentorum, quæ ipſi Clerici recipiunt a ſuis Parochis. Nomine autem Clericorum intelligimus non ſolum eos qui in minoribus ordinibus ſunt conſtituti, ſed etiam Sacerdotes. Ad decimas vero reales quod attinet, diſtinctione pariter opus eſt. Nam de fructibus beneficiorum, aut decimis quas ipſi ratione beneficiorum percipiunt, decimas ſolvere non tenentur; ut declaratum eſt in cap. *Novum genus*, de decimis, ubi Paſchalis II. hæc decernit. *Novum genus exactionis eſt, ut Clerici a Clericis decimas exigant; cum nuſquam in lege Domini hoc legamus. Non enim Levitæ a Levitis decimas accepiſſe leguntur*. Quam decretalem refert S. Thomas 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *art.* 4. *in arg. Sed contra*. De prædiis vero quæ titulo hereditatis, emptionis, donationis, vel alio ſimili poſſident, decimas ſolvere tenentur; etiamſi eiuſmodi prædia ſint in territorio Eccleſiæ cui inſerviunt. Ita D. Thomas loco laud. ad 1. *Clerici de propriis prædiis tenentur ſolvere decimas parochiali Eccleſiæ, ſicut & alii, etiamſi ipſi ſint eiuſdem Eccleſiæ Clerici: quia aliud ſi habere aliquid ut proprium, aliud ut commune. Prædia vero Eccleſiæ non ſunt ad decimas ſolvendas obligata, etiamſi ſint infra terminos alterius parochiæ*. Hinc infertur, teneri Clericos ad ſolvendas decimas etiam de fructibus patrimonii, cuius titulo ordinati fuerunt: quia eiuſmodi fundus, ſeu terræ in patrimonium deputatæ poſſidentur a Clericis titulo temporali, & ſolum ad tempus deputatæ ſunt ad ſuſtentationem Clericorum; ceterum remanent bona laicalia. Non ergo defraudari debent Eccleſiæ parochiales iure exigendi ſuper illis prædiis decimas quæ ſibi debebantur, antequam fundi eiuſmodi deputarentur in patrimonium Clericorum. Hæc omnia, quæ hucuſque dicta ſunt, communiter Theologi docent.

VII. Quæſt. VI. *An Principes, & Reges ad decimas pendendas teneantur?* Reſp. Præceptum de decimis ſolvendis univerſale eſt, omneſque fideles baptizatos comprehendit: ergo & Reges, & Principes. Eadem enim eſt omnium ratio. Non minus enim Principes, Regeſque ſubditi ſunt Paſtoribus Eccleſiæ in ſpiritualibus ac ceteri fideles; & ab illis ſacramenta percipiunt. Communis penes omnes ſententia.

VIII. Quæſt. VII. *An pauperes ſubiecti ſint decimarum ſolutioni?* Reſp. Diſtinguendi ſunt varii paupertatis gradus, ſeu ſtatus. Nam primus gradus paupertatis eſt quæ appellatur communis. Secundus gradus paupertatis eſt quæ vocatur gravis. Ultimus gradus paupertatis eſt quæ denominatur extrema. Pauperes qui ſo-

Digitized by Google

ſolum communi paupertate laborant, non eximuntur a decimarum ſolutione; ſicuti neque a pendendis Regibus tributis liberantur: quia pauperes in hac communi paupertate habent, ut ſupponitur, congrua alimenta ad propriam, & familiæ ſuſtentationem. Ergo, ſi quid habent, quod ſuperſit ad neceſſariam ſuſtentationem, tenentur illud pro decimis offerre. Pauperes in extrema neceſſitate conſtituti a decimarum debito omnino liberi ſunt: quia in tali ſtatu poſſunt aliena, ut propria, accipere. Ergo potiori iure valent decimas retinere, quarum præceptum cum tanto rigore non obligat. Communia ſunt hæc penes omnes. Nec tenerentur pauperes, ſi ad meliorem aſſurgerent ſtatum, decimas quas in extrema neceſſitate non præbuerunt, compenſare Parochis: quoniam tunc retinuerunt quod ſuum erat; quidquid alii dicant. Sed de hoc ſuſius ſuo loco. Quid autem dicendum de pauperibus gravi laborantibus neceſſitate? Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* 11. *Lib. I. cap.* XVI. *num.* 18. docet, probabile eſſe, gravem neceſſitatem eximere pauperem a decimis ſolvendis: tum quia eiuſmodi fructibus indiget pauper ad ſuam, & familiæ ſuſtentationem (talis ſiquidem reputatur neceſſitas gravis:) tum quia præceptum iſtud affirmativum eſt, quod pro ſemper, ut dicitur, non obligat; ſed cum certis circumſtantiis. Nec præceptum decimarum in omnibus circumſtantiis urget; ſed dilationem ſolutionis permittit propter gravem neceſſitatem debitoris: ſicut qui poſſidet rem alienam, & non poteſt reddere ſtatim ſine gravi iactura perſonæ, vel ſtatus, poteſt differre reſtitutionem. Admiſſa vera gravi neceſſitate, abſolute non negarem probabilitatem iſtius ſententiæ. Quoniam decimæ, potiſſimum quantitate inſpecta, inſtitutæ ſunt, & præcipiuntur ab Eccleſia non ſolum in ſuſtentationem miniſtrorum, ſed etiam in pauperum ſubſidium. Quapropter, quando pauperes revera gravi vexantur paupertate, non videtur præceptum Eccleſiæ eos ad pendendas decimas urgere; cum potius contra in tali eventu eorum paupertas decimarum fructibus ſublevanda ſit. Hæc ſane abſolute conſiderata vera mihi apparent. Sed, quia grave periculum eſt ne plures ſe pauperes effingant, gravemque paupertatem deprædicent, cupiditate magis quam penuria adacti: idcirco mihi probabilius videtur, pauperes teneri exponere ſuam paupertatem Paſtoribus Eccleſiæ, ut debitum ſibi remittant. Paſtores vero, cognita pauperum gravi neceſſitate, eleemoſynam *ipſis* erogare obſtringuntur, ſaltem a ſolutione decimarum eos eximentes. At quid, dum pauperes timent ſibi a Parochis minime ſubveniendum fore, etiam expoſita, & probata propria neceſſitate? Reſpondeo, veroſimilius eſſe, pauperes ſictam paupertatem exaggerare quam renuere illorum Paſtores veræ eorum gravique neceſſitati ſuccurrere. Ceterum, ſi Parochi proprii muneris immemores negligerent proſpicere urgenti paupertati parochianorum, in hac hypotheſi, poſt expoſitam propriam indigentiam, iſti poſſent retinere decimas, quibus ſuam levarent inopiam.

Digitized by Google

piam. Cum tamen ſors melior affulgeret, ad reſtituendas decimas tenerentur. Nec audiendus eſt Filliucius, qui *tract.* XXVII. *II. Part. cap.* VIII. *num. 166.* probabile eſſe iudicat, eiuſmodi parochianos ad reſtitutionem non teneri, etiam divites effectos. Siquidem communiter hoc Theologi reprobant. In ſola enim extrema neceſſitate, quæ conſumuntur, reſtitutioni non ſubiacent, iuxta communiorem Theologorum doctrinam.

CAPUT VI.

Quomodo Religioſi, & Clerici in communi viventes vi iuris communis exempti ſint a decimis ſolvendis: quidve pro eadem exemptione iiſdem Regularibus concedant privilegia quæ extra iuris corpus reperiuntur.

I. CApite quarto ſuperiore egimus de privilegiis quibus Romani Pontifices Monachis, & Regularibus, etiam mendicantibus, iuſtis de cauſſis poteſtatem fecere decimas percipiendi. In præſentia vero ſermonem inſtituimus de privilegiis quibus Regulares a debito ſolvendi decimas liberantur. Et ut recte perſpicueque rem totam enucleemus, prius quid vi iuris communis, deinde quid virtute privilegiorum quæ extra iuris corpus ſunt, iiſdem competat, declarabimus.

II. Porro Monachi, & Clerici in communi viventes vi privilegii, iuri communi inſerti, antiquitus exempti fuerunt a decimis tum perſonalibus, tum prædialibus. De perſonalibus conſtat ex cap. *Decimas* XVI. quæſt. I. De prædialibus vero, nempe earum terrarum quas propriis manibus colebant, ſive propriæ forent, ſive conductæ, etiam patet ex cap. *Ex multiplici* de decimis, ubi Adrianus IV. aſſerit ſe hoc privilegio donaſſe Ciſtercienſes. *Abbas*, inquit, *privilegium a nobis obtinuit, ut de laboribus, quos propriis manibus, aut ſumptibus excolunt, nulli decimas ſolvere teneantur*. Iſtius privilegii meminit Alexander III. in cap. *Ex parte* x. de decimis: & teſtatur hoc ipſum privilegium prius a prædeceſſoribus ſuis conceſſum fuiſſe omnibus Religioſis in communi viventibus. Adrianus vero privilegium iſtud ſolis Templariis, Ciſtercienſibus, & Hoſpitalariis conceſſerat. *Ceteris vero, ut de novalibus ſuis, quæ propriis manibus, vel ſumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium ſuorum, & hortis ſuis decimas non perſolvant*. Quod privilegium confirmat ipſe Alexander III. additque ex caſibus in eodem privilegio expreſſis teneri Religioſos omnes ad decimas ex rebus omnibus ſolvendas. Et in cap. *Dilecti* declarat, eos non liberari a ſolvendis decimis de terris quas per colonos

nos excolunt; ſed ait, privilegium illud arctari ad prædia propria Religioſorum; nullo vero modo extendi ad fundos conductos, etiamſi per ſe, aut per ſuos famulos eos colant. Innocentius vero III. in Concilio Lateranenſi, celebrato anno 1215. limitavit præfata privilegia (ut habetur in *cap.* Nuper *eodem tit. de decim*) ad prædia habita, & poſſeſſa ante dictum Concilium: decrevitque tam Ciſtercienſes, quam Templarios, & Hoſpitalarios debere ſolvere decimas de terris, ſeu prædiis poſt præfatum Lateranenſe Concilium poſſidendis, de quibus antea Parochis decimæ ſolvebantur; conſequenter novalia excepta, & immunia remanſerunt, ut ſuo loco dicetur. En textum citati capitis. *Ne occaſione privilegiorum ſuorum Eccleſiæ ulterius prægraventur, decernimus ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamſi eas propriis manibus, aut ſumptibus excolant, decimas perſolvant Eccleſiis quibus ratione prædiorum antea ſolvebantur, nec cum ipſis Eccleſiis aliter duxerint componendum. Et hoc ipſum ad alios Regulares, qui gaudent ſimilibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus.* Omnes itaque Regulares tenentur ad decimas ſolvendas de prædiis habitis poſt Concilium Lateranenſe quartum; niſi aliquo poſteriori privilegio, tranſactione, aut præſcriptione eximantur.

III. In præfato tamen cap. *Nuper*, non eſt revocatum privilegium quo Regulares exempti ſunt a ſolvendis decimis de novalibus, & hortis, quos propriis manibus colunt, & de animalibus quæ ad eorum ſuſtentationem nutriunt. Ab his ſiquidem decimis exempti fuerant Religioſi regulares; ut conſtat ex cap. *Ex parte*, ubi dicitur: *Et de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſolvant*. Sed hoc privilegium revocatum non fuit in cap. *Nuper*. Conſiſtit igitur etiam poſt Lateranenſe Concilium. Quod autem non ſit revocatum, patet ex deſcripto textu laudati capitis. Nam ibi decernitur, ſolum a Regularibus ſolvendas eſſe decimas de prædiis, impoſterum poſt Concilium acquirendis; & de quibus, antequam ea ad Regulares devolverentur, decimæ Parochis ſolvebantur. Nullus ibi ſermo de novalibus prædiis, de quibus antea Eccleſiæ decimas non percipiebant. Nihil pariter ſtatuitur de gregibus, animalibus, & hortis. Ergo privilegium conceſſum in *cap.* Ex parte *de decimis* in ſuo robore ſubſiſtit. Et hæc omnia communia ſunt. Neque limitandum eſt dictum privilegium ad ſolos fructus ſuorum hortorum, qui cedunt in uſum Monaſterii: quia, cum privilegium abſolute eximat hortos Regularium a debito decimarum, nullum adeſt fundamentum illud reſtringendi ad ſolos fructus quos conſumunt Religioſi; ſed ad omnes fructus eorumdem hortorum, etiam ad eos qui per venditionem diſtrahuntur, extendi debet. Denique, quamvis per dictum caput *Nuper* revocatum fuiſſet privilegium, conceſſum in cap. *Ex parte*; quod falſum eſſe patet ex dictis; plurima tamen ſunt poſteriora privilegia quæ eximunt Regulares a ſolvendis decimis de hortis, arboribus, & prædiis quæ propriis ſumpti-

Digitized by Google

ptibus colunt. Nam Paulus III. Pius IV. Gregorius XIII. & Sixtus IV. conceſſerunt Regularibus (ut videre eſt in Mari Magno Prædicatorum, Carmelitarum, aliorumque Ordinum) id quod conceſſum erat in cap. *Ex parte*, & cum expreſſa revocatione capit. *Nuper*: quæ revocatio addita fuit ad explodendas inanes quaſcumque interpretationes.

IV. Quæſt. I. *An præfata privilegia, corpori iuris communis inſerta, late, vel ſtricte interpretanda ſint?* Reſp. Salmanticenſes *tract.* XVIII. *cap.* III. *§.* 2. *num.* 68. defendunt, latiſſime interpretanda eſſe eiuſmodi privilegia: quia, inquiunt, non ſunt odioſa; cum finis eorum præcipuus ſit favor Regularium, qui valde in vinea Domini laborant, populoſque non minus quam Parochi inſtruunt, & adiuvant. Ideo ſumma æquitate Pontifices dicta privilegia illis conceſſere. Vera ſint hæc omnia. At negari minime poteſt, dicta privilegia eſſe odioſa, & in damnum tertii. Parochis de iure decimæ debentur, quia Parochi de iure ſunt gregis evangelici Paſtores. Regulares ſunt cooperatores, in Parochorum ſubſidium vocati ad miniſterium laborandi in vinea Domini Sabaoth. Propter eorum frugiferos labores, atque copioſam meſſem eorum ſudoribus partam iure ac merito Pontifices ſummi illis privilegia exemptionum impertiti ſunt. Verum, cum regula generalis præſcribat, *odia eſſe reſtringenda*; mihi dicendum videtur, laudata privilegia ſtricte interpretanda eſſe: quod colligitur etiam ex *cap.* Cum capella, *de privil.* Duo extrema evitanda ſunt, in quæ non pauci, partium affectionibus præoccupati prolabuntur. Nam aliqui, qui partes Parochorum ſuſtinent, ita reſtringere vellent eiuſmodi privilegia, ut nullum prorſus effectum parerent. Contra quidam, qui Regularium exemptiones nullo delectu defendunt, ita amplificare illa geſtiunt, ut Parochorum iura nimium lædantur. Ad hæc duo extrema declinanda, privilegia ſic exponenda ſunt, ut, quoad fieri poteſt, illæſa Parochorum iura conſiſtant, ſeu ut quam minimum fieri poſſit, noceant iuri tertii, derogentque communi legi. Verum, ut interpretatio recta ſit, etiam reſtrictio iuſta ſimul requiritur, ut & verba privilegii in ſua proprietate ſalventur, & quem ſignificant effectum producant. Sed de hoc fuſius alibi.

V. Quæſt. II. *An nunc Regulares reipſa exempti ſint a decimis ſolvendis de propriis hortis, prædiiſque, quæ propriis ſumptibus colunt, virtute privilegiorum quæ extra iuris communis corpus reperiuntur illis conceſſa?* Reſp. Hactenus dictum eſt de exemptione, qua fruuntur Regulares vi privilegiorum, quæ iuri communi ſunt inſerta. In præſentia autem ſermo eſt de privilegiis illis conceſſis, quæ extra ius commune ſunt; quæque illos a ſolutione decimarum ex prædiis, propriis ſumptibus aut manibus cultis, eximunt. Plures ſummi Pontifices variis temporibus omnibus ſacris Regularium Ordinibus privilegia ampla impertiti ſunt, quibus a præfatis decimis ſolvendis eos exemerunt. Sixtus IV. Prædicatoribus, Minoribus, & Car-

Digitized by Google

melitis; Martinus V. Carthuſianis; Gregorius XI. Mercenariis; Eugenius IV. Auguſtinianis; Clemens VII. Monachis Valliſoletanis; Sixtus IV. Ciſtercienſibus; Trinitariis excalceatis Urbanus VIII. Quæ communitet fere omnia antea conceſſerant Innocentius IV. Alexander IV. Clemens IV. Innocentius VI. Ordinibus mendicantibus. Recenſita privilegia videri poſſunt in collectione privilegiorum, quam quælibet mendicantium Religio habet. Superſunt nunc plures ſuper his privilegiis difficultates reſolvendæ.

VI. Quæſt. III. *An Regulares vi ſuorum privilegiorum exempti ſint a ſolvendis decimis, non ſolum de novalibus, ſed etiam de aliis terris, ante, & poſt Concilium Lateranenſe acquiſitis, propriiſque ſumptibus cultis?* Reſp. Communiſſima ſententia eſt affirmativa: quia privilegia laudata aliquid concedunt quod ante conceſſum non erat; aliter ſuperflua forent, & inutilia. Et habetur apertiſſime declaratum in textu cap. *Audientiam* h. t. ubi hæc reperiuntur. *Nam, ſi intelligeremus tantummodo de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus*. Porro vi iuris communis Regulares exempti ſunt a decimis de novalibus. Ergo, ut præfata privilegia, quæ fere omnia derogant cap. *Nuper*, aliquem effectum habeant, eximere debent Regulares non ſolum a novalibus, ſed etiam ab aliis prædiis quæ propriis ſumptibus excolunt, quæve poſt Concilium acquiſierunt.

VII. Quæſt. IV. *An Regulares teneantur ſolvere decimas de terris, ſeu prædiis, quæ colenda tradunt aliis, nempe colonis?* Reſp. Ut reſponſio clara ſit, diſtinctione eſt opus. Tribus modis poſſunt agri, ſeu prædia aliis aranda, occanda, & ſeminanda tradi. Primo tradi poſſunt aliis, ut miniſtris, & famulis ipſius domini, cuius ſumptibus illi mercede pacta agros excolant in commodum, vel incommodum eiuſdem domini: & in hoc caſu planum eſt Regulares exemptos eſſe vi privilegiorum, quæ illis poſt Lateranenſe Concilium indulta fuere, a debito ſolvendi decimas. Vel fundi tradi poſſunt colonis, ut ipſi propriis ſumptibus eoſdem colant, in proprium commodum, vel periculum, cum onere conferendi dominis annuam penſionem, ſive in frumento, ſive in vino, ſive in pecunia. Tertio tradi poſſunt prædia partiario, ut ſcilicet coloni propriis ſumptibus fundos excolant, deinde fructus, qui progrediuntur, inter dominum & colonum partiario dividantur, vel ad medietatem, vel tantum tertia parte domino ſervata, & duabus aliis colono deputatis. Hoc tamen pacto, ut ſi fundus poſt culturam nullos gigneret fructus, aut grandine deſtruerentur, colonus partiarius contentus eſſe debeat, nihilque exigere ultra a domino valeat. Quibus poſitis, quæritur, an Regulares liberi ſint a ſolvendis decimis de illis prædiis quæ duobus ultimis deſcriptis modis aliis excolenda tradunt, ita ut nec ipſi Regulares, nec eorum coloni teneantur decimas ſolvere. Salmanticenſes *tract.* XVIII. *cap.* III. *punct.* 2. *§.* 3. *num.* 74. ſuſtinent, neque Regulares, neque colonos teneri ad decimas ſolvendas Parochis;

ſed

Digitized by Google

ſed colonos eas decimas ſolvere debere Religioſis dominis, qui vi privilegiorum exempti ſunt. Et certe admiſſo, prædia illa eſse exempta, ſoli Religioſi domini fructu exemptionis gaudere debent, non coloni: quia nullo modo in eorum favorem privilegia illa conceſsa fuere. Ratio quam præfati Auctores promunt, eſt, quod privilegia conceſsa Regularibus, non ſolum ſunt perſonalia, ſed etiam realia, quæ prædia ipſa afficiunt, quamdiu ſub dominio Religioſorum remanent. Sed prædia tradita colonis, ut eadem excolant, ſunt ſub dominio Religioſorum. Ergo ab onere decimarum exempta ſunt. Addunt, eiuſmodi privilegia realia reipſa conceſſiſse Bonifacium VIII. Ciſtercienſibus, Ioannem XXII. Carthuſianis cum revocatione cap. *Nuper*, Sixtum IV. Carmelitis, Clementem VIII. Militiæ S. Iacobi, Paulum III. Ordini S. Hieronymi, Gregorium XIV. & Innocentium IX. Conventui *del Eſcorial*: referuntque pro hac ſententia Ioannem a Cruce de *privil. Lib. II. cap.* IX. *dub.* 4. Philippum a Cruce *tract. de Decim. §.* 2. *num.* 9. Gloſsam in *Clement.* Religioſi, *de decimis verb. Excolendas*, Abbatem in *cap.* Ex parte *de decimis num.* 5. Fagundez *Lib. II. cap.* IV. *num.* 1. Rodriguez *Qq. Regul. Tom. II. quæſt* XLIV. Raphaelem a Torre 2. 2. *quæſt.* LXXXVII. *diſp.* VI. *fol.* 580. Caſtropalaum *Tom. II. tract.* X. *diſput. unic. punct.* 12. *num.* 10. Antonium a Spiritu ſancto *tract.* II. *diſp.* III. *ſect.* 6. *num.* 161. Dianam *Part. X. tract.* XII. Pellizarium *Tom. II. tract.* VIII. *cap.* VII. *ſect.* 5. *num.* 176. Peyerinum *Tom. I. privil. Minim. conſt.* 2. *Iulii II. num.* 132. Henriquez *Lib. VII. de indulgentiis cap.* XXVII. Tamburinum *Tom. I. diſp.* XV. *quæſt.* XVIII. *num.* 31. Garciam *Tom. I. tract.* VIII. *diff.* 3. *dub.* 2. *punct.* 4. *num.* 10. Villalobum *Tom. II. tract.* XXIII. *diff.* 4. *num.* 5.

VIII. Ut, quæ probabiliora nobis videntur, diſtincte promamus, quæ certa ſunt, in anteceſsum præmittimus. In primis certum eſt Religioſos vi privilegiorum quæ inſerta ſunt corpori iuris communis, exemptos non eſſe ab onere ſolvendi decimas de prædiis quæ ultimis duobus modis ſupra expoſitis aliis tradunt excolenda. Quandoquidem ſatis perſpicue in *cap.* Ex parte *de decimis* x. *b. t.* & *cap.* Licet *b. t.* præfata prædia decimarum oneri ſubiiciuntur his verbis. *Licet de benignitate Sedis apoſtolicæ ſit vobis indultum ut de laboribus quos propriis manibus, vel ſumptibus colitis, nemini decimas ſolvere teneamini; propter hoc tamen non eſt licitum vobis decimas de terris veſtris ſubtrahere, quas aliis traditis excolendas.* Quod attinet ad privilegia quæ extra iuris corpus reperiuntur, quæve dicuntur a laudatis Pontificibus conceſſa Regularibus, ſaltem non omnia eximunt Religioſorum prædia, quæ non propriis ſumptibus, ſed colonorum induſtria, expenſis, & periculo coluntur. Et quando privilegia expreſſe non eximant dicta prædia, etiam ab aliis colenda, ab onere decimarum non intelliguntur exempta. Quoniam, ut dictum eſt, eiuſmodi privilegia odioſa ſunt, & læſiva iurium parochialium; ideoque ſtricte interpretanda. Quid quod, cum fundi plurium Cœnobiorum ſint ſatis

Aa ij am-

Digitized by Google

ampli, ſi iſti omnes exempti eſſent ab onere decimarum, contingere poſſet quod Parochi congrua ſuſtentatione defraudarentur. Quia in territorio ſuæ parœciæ fortaſſe maior fundorum, ex quibus decimas percipit, pars erit Regularium. Denique ipſa praxis in pluribus ſaltem regionibus contraria eſt. Ceterum, ſi privilegia explicate eiuſmodi prædia eximerent, ut videntur eſſe illa quæ conceſſa ſunt Ciſtercienſibus, Carthuſianis, & aliis; tunc tam Regulares, quam eorum coloni liberi forent a ſolvendis Parocho decimis; ſed coloni decimas iſtas ipſis Religioſis dominis ſolvere deberent. Non enim in favorem colonorum, ſed Religioſorum privilegia indulta eſſent. Tunc autem fundamentum erit aſſerendi, prædia dicta eſſe exempta, quando privilegia has, vel ſimiles clauſulas contineant: *Eximimus hos Religioſos, eorumque omnia prædia, & fundos ab onere decimarum.* Nec eſt quod longius, & penitius rem hanc diſcutiamus: quoniam praxi iam invectæ ſtandum eſt. Si qui ſunt qui ſuorum privilegiorum amplis exemptionibus fruantur, bene illis ſit, in idque incumbant ut diu in poſſeſſione perſiſtere queant.

IX. Quæſt. V. *An eiuſmodi privilegia de exemptione decimarum extendantur etiam ad prædia conducta, vel in emphyteuſim accepta ab ipſis Religioſis, qui propriis manibus, aut ſumptibus eadem excolunt?* Reſp. In hac quæſtione communis ſententia eſt quæ affirmat, Religioſos regulares vi ſuorum privilegiorum liberos eſse a pendendis decimis, etiam de agris alienis, & a ſe conductis, & cultis. Hanc defendunt Salmanticenſes loco citato *num.* 77. & adducunt ex Garcia privilegium Martini V. in quo hæc habentur. *De quibuſcumque poſſeſſionibus, & prædiis, quæ in præſentiarum poſſidetis, & in futurum, præſtante Deo, iuſtis titulis poteritis adipiſci, etiamſi ea ab aliis conducatis, dum tamen illa veſtris manibus, vel ſumptibus excolatis, ſeu pro ſuſtentatione veſtra e coli faciatis, decimas quibuſvis Eccleſiis, locis, aut perſonis ſolvere minime teneamini.* Si omnium ſacrorum Ordinum privilegia his, vel ſimilibus clauſulis, ſeu verbis concepta eſsent; dubio procul Religiones omnes immunes forent ab onere decimarum, etiam de prædiis alienis, & ab ipſis conductis, ſive propriis, & aliis locatis. Quare ii Ordines qui reipſa eiuſmodi privilegia habent, tuta conſcientia, quando alia non obſtent, decimas retinere poſsunt. Sed falſum eſt privilegia, communiter Regularibus conceſsa, eſse tam ampla, & exprimere exemptionem decimarum, etiam de agris tum conductis, tum locatis. Neque reponi valet privilegium, uni Ordini conceſſum, per communicationem ſuffragari omnibus Regularium Ordinibus. Quoniam eiuſmodi privilegia odioſa cum ſint, ut probatum eſt, per communicationem non amplificantur. Et profecto, ſi vera forent quæ Salmanticenſes cum aliis citatis Auctoribus ſcribunt, plurimi eſſent Parochi congrua ſuſtentatione deſtituti. Nam opes plurium Religionum ſatis abundanter auctæ ſunt: & plures reperiuntur parœciæ, mihi etiam

etiam notæ, quarum potiſſima fundorum pars pertinet ad Regulares. Si ergo omnia eorum prædia, tum conducta, tum locata, exempta eſſent a decimis; certe plures Parochi eſurirent. Sed, quæ diximus ſupra, in memoriam revocari debent, duo nempe extrema, & nimiæ extenſionis, & nimiæ coarctationis, in uſu privilegiorum evitanda eſſe. Sententiam noſtram docent Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. I. cap.* XIX. *num.* 8. Filliucius *tract.* XXVII. *cap.* VIII. *quæſt.* XI. *num.* 184. Caſtropalaus *tract.* X. *diſp.* I. *punct.* 12. Barboſa *de iur. Eccl. cap.* XXVI. *§.* 3. *num.* 20. & plures alii.

X. Quæſt. VI. *An privilegia Regularium de exemptione decimarum faveant etiam Monialibus?* Reſp. Communis ſententia eſt affirmativa: quia plures Pontifices præſata privilegia ad Moniales etiam dilatarunt, ſcilicet Bonifacius VIII. Sixtus IV. Leo X. Paulus III. Clemens VIII. Pius IV. ut referunt Emmanuel Rodriquez in *Qq. Reg. Tom. II. quæſt.* XLIV. *art.* 3. & *Tom. III. quæſt.* XXXIV. *art.* 15. Miranda *in Manual. Præl. Tom. II. quæſt.* XLIX. *art.* 13. Barboſa *de iure Eccleſ. cap.* XXVI. *§.* 3. *num.* 36. pluresque alii. Equites Ordinum militarium, qui ſunt veri Religioſi, omnibus Regularium privilegiis, quæ exemptionem a decimis ſpectant, fruuntur, ut communiter omnes docent. Excipiuntur tamen bona patrimonialia, quæ abſque dubio decimarum penſioni ſunt ſubiecta.

XI. Quæſt. VII. *Quomodo citata privilegia exemptionis ab onere decimarum amittantur?* Reſp. Primo amittuntur per non uſum univerſalem Ordinis, cui ſunt conceſſa. Neque enim ad amiſſionem privilegiorum ſufficit non uſus alicuius Cœnobii: quia cauſſa concedendi eiuſmodi privilegia non fuerunt merita huius vel illius Monaſterii, ſed totius Ordinis. Ergo neque demeritum negligentiæ unius vel alterius Monaſterii cauſſa erit amiſſionis eorumdem. Quin per uſum aliorum Cœnobiorum conſervantur etiam in beneficium illius Cœnobii quod iiſdem noluit, vel neglexit uti; ita ut valeat impoſterum frui beneficio eorumdem privilegiorum. Secundo ceſſant eiuſmodi privilegia, quando decurſu temporis evadant nimis damnoſa Parochis, eorumque iura graviter lædant. Puta, ſi tempore conceſſionis exigui & modici erant Cœnobii fundi, vel non adeo abundantes; deinde titulo ſive donationis, ſive hereditatis, ſive emptionis, ſive quavis alia via nimium augeantur, v. g. ſupra medietatem, & ultra: tunc Parochi grave damnum perferunt. Nam, ſi fundi in eorum territorio devolvantur a laicis ad Regulares, & ſi devoluti ad Regulares eximantur ab onere decimarum; Parochi amittunt decimas quas antea percipiebant. Graviter ergo læduntur. Porro privilegium quodcumque exſpirat, quoties tertio grave nocumentum infert. Abbas in *cap.* Suggeſtum IX. *h. t. num.* 3. & 4. Barboſa in *idem cap.* Reiffenſtuel *Lib. III. tit.* XXX. *de decim. num.* 76. Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* II. *Lib. I. cap.* XX. *num.* 2. Filliucius *tract.* XXVII. *cap.* VIII. *quæſt.* X. *num.* 185. & communiter tum Theo-

 logi,

logi, tum Canoniſtæ. Quando porro privilegium debeat cenſeri, & iudicari graviter, ac enormiter lædens, non eſt adeo facilis deciſio. Communiter citati Auctores docent, læſionem ſeu damnum Parochi debere eſſe certum, manifeſtum, evidens, ut privilegium ipſo facto amittatur; vel ut iudex inferior, nempe Epiſcopus, poſſit declarare privilegium in tali caſu ceſſare. Si autem dubium ſit, num læſio Parochi ſit levis, vel gravis, ad ſummum Pontificem pro declaratione recurrendum eſt: cap. *Cum veniſſet* XII. de iudiciis, ubi Innocentius III. *Cum ſuper privilegiis Sedis apoſtolicæ vertatur quæſtio, nolumus de his per alios iudicari*: quia illius eſt interpretari privilegium, cuius eſt privilegium concedere. Tertio amittuntur privilegia *tranſactione*, *compoſitione*, ſeu *pactione* facta inter partes, ſi neceſſaria requiſita adſint, maxime conſenſus Superiorum iuxta cuiuſque Ordinis ſtatuta: quoniam ſuper privilegio, univerſo Ordini conceſſo, non poſſunt ſuperiores alicuius Monaſterii tranſactionem peragere, inconſultis ſuperioribus totius Ordinis.

XII. Ex his omnibus quæ dicta ſunt, colligas velim, in hac a decimis exemptione uſum maxime, & conſuetudinem locorum attendendam eſſe. In dubiis diſſidia evitentur; & cum Parochis de bono & æquo compoſitiones fiant. Quo liberaliores cum Parochis erunt Regulares, eo ditiores erunt penes Deum, & mundum; quemadmodum litigioſi Deo, & mundo odioſi ſunt. Abſtine a litibus, & minues peccata.

CAPUT VII.

De quibus rebus decimæ tum perſonales, tum prædiales, quove tempore, & loco ſolvi debeant.

I. QUæſt. I. *De quibus lucris ſolvendæ ſint decimæ perſonales?* Reſp. Vi iuris communis de omnibus lucris, & proventibus per induſtriam acquiſitis decimæ ſolvi debent. Ita omnes tum Canoniſtæ, tum Theologi. Iura clara ſunt. Cap. *Tranſmiſſa* de decim. XXIII. h. t. *Fidelis homo de omnibus quæ licite acquirere poteſt, decimas erogare tenetur*. Cap. *Tua nobis*, XXVI. *De cunctis omnino proventibus decimæ ſunt reddendæ*. Cum concordantiis. *De vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, negotiatione, de ipſa etiam militia, de venatione, & de omnibus decimæ ſunt miniſtris Eccleſiæ tribuendæ*. Item *de proventibus molendinorum, piſcinarum, feno, de negotio, & artificio*. Quare vi iuris communis omnes mercatores de lucris negotiatione acquiſitis, omnes milites, doctores, advocati, iudices, lectores de ſuis proventibus, omnes piſcatores de præda per piſcationem comparata, omnes venatores de venatione, omnes artifices de fructibus ſuarum artium, omnes

fa-

Digitized by Google

famuli, & famulæ de mercede acquiſita decimas ſolvere tenentur miniſtris Eccleſiæ. Sententia communiſſima.

II. Quæſt. II. *An decimæ ſolvendæ ſint de rebus illicite acquiſitis?* Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. art. 2. ad 2. *Dicendum, quod aliqua male acquiruntur dupliciter. Uno modo, quia ipſa acquiſitio eſt iniuſta; puta quæ acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut uſuram: quæ homo tenetur reſtituere, non autem de eis decimas dare. Tamen, ſi aliquis ager ſit emptus de uſura, de fructu eius tenetur uſurarius decimas dare.... Quædam vero dicuntur male acquiſita, quia acquiruntur ex turpi cauſa; ſicut de meretricio, & hiſtrionatu, & aliis huiuſmodi: quæ non tenentur reſtituere. Unde de talibus tenentur decimas dare ſecundum modum aliarum perſonalium decimarum. Tamen Eccleſia non debet eas recipere, quamdiu ſunt in peccato, ne videatur eorum peccatis communicare; ſed, poſtquam pœnituerint, poſſunt ab eis de his recipi decimæ.*

III. Quæſt. III. *An recenſitæ decimæ perſonales non ſolum vi iuris communis, ſed etiam ex uſu, & conſuetudine, quæ nunc obtinet, ſolvendæ ſint?* Reſp. Decimæ, quæ iuxta omnes vi iuris communis debentur, uſu, & conſuetudine omnes abrogatæ ſunt. Nullibi enim, quantum ſcire licet, ſolvuntur, ut fatentur communiter Auctores: & quiſque ſuæ regionis teſtis eſt, eiuſmodi decimas non perſolvi. Hinc concludit D. Thomas loco laudato ad 1. *In nova lege tenentur homines ad decimas perſonales, ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum.* Quare, ſi in aliqua civitate, vel parochia fundi non eſſent, ex quibus decimæ perſolvi poſſent, uti eſt Venetiis, decimæ perſonales ſolvendæ forent; ſeu fideles aliqua via miniſtris ſuis alimenta, quæ iure naturali, & divino eis debentur, illis tribuere adſtringerentur. Res eſt manifeſta.

IV. Quæſt. IV. *De quibus rebus decimæ prædiales, ſeu reales ſolvendæ ſint?* Reſp. Vi iuris communis debentur decimæ Eccleſiis de omnibus, & ſingulis fructibus qui e terra, ſeu prædiis tum communibus, tum novalibus producuntur: de tritico, hordeo, omnique alia ſegete, de palea ſive integra, ſive comminuta, de ſeno, de omnibus fructibus arborum, de foliis mororum, de nucibus, caſtaneis, de oleo, ſeu olivis, de oleribus, & leguminibus. Excipit tamen quoſdam fructus minutos D. Thomas loco citato ad 3. quia, inquit, nec in veteri lege determinatum fuit *ut de huiuſmodi minutis rebus decimæ dentur.... Unde & nunc de huiuſmodi minutis rebus non tenentur homines decimas dare, niſi forte propter conſuetudinem patriæ.* Decimæ quoque debentur de paſcuis, pratis, de lino, canape, de auri fodinis, argenti fodinis, de proventibus domorum, clibanorum, molendinorum. In his omnibus cuiuſque patriæ conſuetudo attendenda eſt. Nam certum eſt quod hodie non ſolvuntur ubique decimæ de omnibus recenſitis fructibus.

V. Quæſt. V. *An decimæ ſolvendæ ſint de fructibus, antequam deducantur expen-*

ſa facta, vel tributa, & vectigalia, ac operariorum pretia? Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. art. 2. ad 4. *Debentur autem decimæ de fructibus terræ, inquantum proveniunt ex divino munere. Et ideo decimæ non cadunt ſub tributo, nec etiam ſunt obnoxiæ mercedi operariorum. Et ideo non debent prius deduci tributa, & pretium operariorum, quam ſolvantur decimæ; ſed ante omnia debent decimæ ſolvi ex integris fructibus.* D. Thomæ accedunt omnes Canoniſtæ, & Theologi, qui pariter aſſerunt, nec detrahendum eſſe ſemen, puta tritici, hordei; etiamſi quantitas fructus, ſeu meſſis, non excederet quantitatem illius grani quod ſeminatum fuit. Quare coloni partiarii non poſſunt ante decimarum ſolutionem expenſas deducere; ſed primum ex fructibus in unum cumulum congeſtis decimæ extrahi debent; & poſtea diviſio facienda inter dominum & colonum. Licita tamen eſt pia illa conſuetudo, qua agricolæ ante fructuum decimationem elargiuntur eleemoſynam ex cumulo tritici, vini, aliorumque fructuum. Immo licita quoque eſſet conſuetudo, ſi introducta fuiſſet, extrahendi prius ſemen terræ mandatum, deinde decimas; quidquid in oppoſitum dicat Sotus *Lib. IX. de iuſ. & iur. quæſt.* iv. *art.* 2. Conſuetudo enim vim habet potiſſimum in circumſtantiis decimarum, ut ſupra dictum eſt: quia quantitas, iuris eſt eccleſiaſtici.

VI. Quæſt. VI. *De quibus fructibus, qui dicuntur mixti, ſolvendæ ſint decimæ, quæ pariter mixtæ nuncupantur?* Reſp. De omnibus fetibus animalium, ut de bobus, capris, & ovibus, de quibus cap. *Omnes* xvi. quæſt. vii. dicitur: *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt: quidquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* De pullis quoque camelorum, equorum, aſinorum, porcorum, de lana pecorum, de lacte, & caſeo decimæ dandæ ſunt. Item ex pullis & ovis gallinarum, & anſerum, ex melle, & cera decimæ ſolvi debent. Fetus animalium non ſtatim ac nati ſunt, ſed ſolum quando ſine matre vivere poſſunt, dandi ſunt in decimam. Lana poſt tonſas oves, butyrum, & caſeus in fine collectionis.

VII. Quæſt. VII. *Quo tempore ſolvendæ ſunt decimæ prædiales?* Reſp. Statim ac collecti ſunt fructus, decimæ ſolvi debent; ut expreſſe habetur in cap. *Cum homines* de decimis. *Mandamus quatenus eos cogatis; ut decimam, ſtatim fructibus collectis, perſolvant, atque de ſubtractis, & retentis dignam ſatisfactionem exhibere procurent.* Peccant igitur qui tardius quàm par eſt decimarum ſolutionem differunt. Non tamen abſolute damnandi ſunt peccati mortalis, ut Leander *tract.* vi. *diſp.* iv. *quæſt.* xxxv. ubi nimis præcipitanter reſolvit; peccare mortaliter eos qui differunt ſolvere decimas ultra tempus conſuetum; & de peccato mortali intelligendam eſſe Gloſſam ad cap. *Cum homines.* Neque enim dilatio quæque culpam inducit mortalem. Ex circumſtantiarum itaque varietate culpæ gravitas colligenda erit. Peccant quoque qui deteriorem fructuum partem in decimas perſolvunt: &,

Digitized by Google

&, ſi detrimentum ſit grave, peccatum erit mortale contra iuſtitiam; & conſequenter debitum erit reſtitutionis faciendæ. Nec tamen tenetur tribuere meliores fructus: ſed bona fide ex cumulo manipulorum frumenti, vini &c. prout res ſeſe offerunt, decerpere fructuum quantitatem pro pendendis decimis.

VIII. Quæſt. VIII. *An parochiani teneantur ſolvere decimas, antequam eas Parochus petat?* Reſp. teneri parochianum ſolvere decimas, etiamſi Parochus illas non petat: quia unuſquiſque reddere alteri tenetur quod eius eſt, etiam illo non petente. Nec enim Eccleſia præcipit ut fideles requiſiti decimas ſolvant; ſed abſolute ſolutionem præcipit decimarum. Contrariam ſententiam defendit Graffius *Part. II. cap.* XXVII. *num.* 15. citatque pro ſe SS. Thomam, & Antoninum. Sed falſo, cum ex eorum doctrina apertiſſime colligatur oppoſitum. Solum enim docet Angelicus, quod fideles non peccarent, ſi decimas ſolvere omitterent, ubi conſuetudo non eſſet ſolvendi decimas; peccarent vero, ſi adeo obſtinati eſſent, ut, Eccleſia etiam præcipiente, decimas ſolvere recuſarent: quia Eccleſia auctoritatem habet abrogandi conſuetudinem non ſolvendi decimas, & conſuetudo contraria, repugnante Eccleſia, non præſcribit. Ideo, ſi fideles Eccleſiæ præcipienti obedire detrectarent, culpam gravem committerent. Id, & non amplius docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *art.* 1. *ad* 5. En ſancti Doctoris verba. *Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis qui non ſolvunt in illis locis in quibus Eccleſia non petit; niſi forte propter obſtinationem animi, habentes voluntatem non ſolvendi, etiamſi ab eis peterentur.* Heinc reiicimus, tamquam nimis laxam, hanc propoſitionem, quam docet Van-eſpen Part. II. tit. XXXIII. cap. IX. num. 25. pag. 531. *Immo, cum decimæ quotannis ex fructibus ſingulis annis excreſcentibus debeantur, ſi uno anno petitæ non fuerunt, ſequenti anno duplices peti nequeunt; immo pro anno illo quo petitæ non fuerunt, remiſſæ habentur.* Hæc opinio improbabilis eſt, & laxa. Nam præceptum eſt abſolutum: & parochiani abſolute decimas debent, iure quidem naturali, & vino ſecundum ſubſtantiam, ut aiunt; iure vero eccleſiaſtico ſecundum quantitatem definitam ab Eccleſia. Aſſerere autem debitorem non adſtringi, niſi requiſitum, ad debiti ſolutionem, falſiſſimum eſt; nec longiore opus habet impugnatione.

IX. Quæſt. IX. *Quo in loco ſolvendæ ſint decimæ?* Reſp. Ius commune nihil, ad hoc quod attinet, determinavit: Non pauci Canoniſtæ docent, decimas deferendas eſſe a parochianis in domum, ſive ad horrea, vel Eccleſias miniſtrorum. Alii ſentiunt ſolvendas eſſe in agro, ſive in loco in quo fructus naſcuntur; ſolumque debitum eſſe parochianorum monendi Parochum, ut deferri curet decimas ad locum deſtinatum. Sic docent Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* II. *Lib. I. cap.* XXXVII *num.* 7. *&* 8. Leander *tract.* VI. *diſp.* IV. *quæſt.* XXXVIII. & alii plures. Sed in hoc ſtandum eſt conſuetudini, quæ ſane in his regionibus contraria obtinet: &, ut mea

Digitized by Google

mea præfeſert opinio, rationabilior eſt, ac ipſi præcepto magis conſentanea. Nam, ut ipſemet Suarez advertit citato loco *num.* 1. præceptum in veteri lege erat *offerre decimas* : Exod. XXII. Debent ergo fideles offerre decimas. Quibus, Miniſtris Eccleſiæ. Verbum autem *offerre* eſſentialiter includit deferre: qui enim offert victimam Sacerdoti, ſimul eam defert. Quomodo namque offerre quis poteſt aliquid, ſi illud non deferat, vel non habeat præſens? Si itaque fideles vi divini præcepti tenentur offerre alimenta congrua miniſtris ſuis; profecto eadem illis præſentare, ſeu deferre adſtringuntur. Id ſuadere videtur ratio, cui conſuetudo pluribus ſaltem in locis conſentanea eſt. Si tamen alicubi contrarius vigeat uſus, cum nihil, ut dictum eſt, in iure decretum ſit, illi ſtandum eſt. Illud tamen communiter advertunt Auctores, non poſſe parochianos recondere, vi iuris, fructus ſine conſenſu Parochorum. Siquidem ex reg. 29. iuris in 6. *Quod omnes tangit ab omnibus debet approbari*. Sed etiam in hoc ſtandum eſt conſuetudini, quæ contraria eſt: frequentior ſiquidem uſus eſt, quo ex cumulo fructuum decimæ decerpuntur, poſtquam in horrea ſunt delata frumentum, vinum, & ceteræ fruges, quarum menſuræ vix ſupputari poſſunt, niſi in horreo.

X. Quæſt. X. *An decimæ prædiales, ſeu reales ſolvendæ ſint illi parochiæ in cuius territorio prædia reperiuntur?* Reſpondet D. Thomas 2. 2. quæſt. LXXXVII. art. 3. ad 2. *Decimæ perſonales debentur Eccleſiæ in cuius parochia homo habitat; decimæ vero prædiales rationabiliter magis videntur pertinere ad Eccleſiam in cuius terminis prædia ſita ſunt*.

XI. Quæſt. XI. *An decimæ animalium ſolvendæ ſint parochiæ in cuius territorio paſcuntur, & fetus pariunt, licet domini habitent in alia parochia; vel, ſi hieme in una, æſtate in altera habitent, ſint inter utraſque parochias dividendæ?* Reſp. Etiam huic quæſito reſpondet D. Thomas *loc. cit.* his verbis. *Paſtor autem qui diverſis temporibus in duabus parochiis gregem paſcit, debet proportionaliter utrique Eccleſiæ decimas ſolvere: & quia ex paſcuis fructus gregis proveniunt, magis debetur decima gregis Eccleſiæ in cuius territorio grex paſcitur, quam illi in cuius territorio ovile locatur*. Huic doctrinæ D. Thomæ communiter ſubſcribunt & Theologi, & Canoniſtæ. Ex qua doctrina colligitur, id etiam quod uno ore aſſerunt Theologi, nimirum, ſi oves in una parochia paſcantur, in altera iaceant noctu, & dormiant, decimæ debentur illi parochiæ in qua paſcuntur; quamvis oppoſitum doceat Suarez *loc. cit. cap.* XXI. *num.* 10. ſcilicet decimas eſſe in tali caſu dividendas. Sed D. Thomæ doctrina rationabilior eſt: quoniam fetus gregis potiſſimum ex paſcuis, & agris proveniunt: unde cum agri & paſcua decimarum oneri ſubiiciantur; potius illi Eccleſiæ in qua paſcua ſita ſunt, decimæ gregis exſolvi debent. Quare, etiamſi dominus ovium domicilium haberet in una parochia, & grex per integrum annum paſceretur in altera parochia, huic, & non illi, decimæ

mæ deberentur. Decimæ vero non debentur Eccleſiis per quarum territorium oves tranſeundo paſcuntur. Decimæ quoque de fructibus apum debentur illi parochiæ, in cuius territorio ſunt apes, licet dominus in altera habitet: quia tales decimæ ſunt prædiales. Cera enim, & mel ex herbarum floribus proveniunt. Verum & in hoc conſuetudo ſervanda.

CAPUT VIII.

De culpa, & pœnis non ſolventium decimas: de variis modis quibus decimæ defraudari poſſunt: & de titulis quibus obligatio decimarum auferri valeat.

I. Solutio decimarum, quatenus alit miniſtros Eccleſiæ, eſt actus iuſtitiæ; prout vero ſolutio hæc conſideratur, tamquam oblatio decimarum Deo facta in recognitionem ſupremi dominii, eſt actus religionis; quemadmodum docet Angelicus ſæpius citata *quæſt.* LXXXVII. Ex quo conſequitur, defraudatorem decimarum peccatum committere & iniuſtitiæ, & ſacrilegii: quia peccat contra iuſtitiam, & religionem.

II. Quæſt. I. *An latæ ſint aliquæ pœnæ contra defraudatores decimarum?* Reſp. Contra non ſolventes, aut impedientes decimarum ſolutionem lata eſt pœna excommunicationis; quam ipſo facto incurri, docet Rebuffus *quæſt. ult. num.* 15. *de decim.* Sed hæc opinio falſa eſt, ut aperte colligitur ex *cap.* Statuimus XVI. *quæſt.* I. & clarius ex Tridentino *ſeſſ.* XXV. *cap.* XII. *de refor.* ubi hæc habentur: *Qui decimas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec de hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.* Excommunicationi ergo ſubiiciendi ſunt qui decimas exſolvere recuſant; nequaquam vero ſunt ipſo facto excommunicati. Quare præmittenda admonitio eſt, antequam excommunicatio infligatur. Huic enim pœnæ contumacia præire debet, ut communiter Auctores docent. Si Parochus debitum remittat alicui ſolvendi decimas; is nec culpam, nec excommunicationem incurrit. Qui, dum confitetur, impotens vere eſt ad decimas ſolvendas, abſolvi debet; etiamſi ſua culpa in hanc ſe coniecerit impotentiam: quia Tridentinum non abſolvendos eſſe declarat illos qui poſſunt, noluntque proprium implere debitum. Ad excommunicationem vero evitandam non ſufficit aliquam decimarum partem tribuere; ſed integræ decimæ reddendæ ſunt. Privandi quoque ſunt eccleſiaſtica ſepultura qui contumaces reſtituere defraudatas decimas renuunt, prout ſtatuitur in cap. *Prohibemus* de decimis, his verbis. *Prohibemus ne laici decimas cum animarum ſuarum periculo detinentes in alios laicos poſſint aliquo modo transferre. Si quis vero receperit, & Eccleſiæ non reddiderit, chriſtiana ſepultura privetur.*

Hanc

Hanc tamen pœnam præcedere debet excommunicatio reipſa inflicta. Excommunicationi tandem obnoxii ſunt Religioſi, qui decimas ad ipſos non pertinentes recipiunt, vel occupant, uſurpantque. Idque habetur expreſſe *in Clementina* 1. *de decimis*. Et *in Clement.* Cupientes *de pœnis*. Suſpenſionis quoque pœnam incurrere Religioſos Confeſſarios, qui pœnitentibus ſuis, in ſolutione decimarum refractariis, nullum conſcientiæ ſcrupulum iniiciunt, docet Suarez *Tom. I. de Relig. tract.* 11. *Lib. I. cap.* xxix. *num.* 8. quam pœnam colligit ex Clem. *Cupientes*. Ut tamen huic pœnæ obnoxii ſint Confeſſarii, non ſufficit quæcumque negligentia; ſed gravis requiritur malitia. Quod dictum eſt de non ſolventibus decimas, idem dicendum de impedientibus ſolutionem.

III. Quæſt. II. *An qui fructus non decimatos furatur, teneatur ad reſtituendas Eccleſiæ decimas eorumdem fructuum?* Reſp. Certum eſt eum ad reſtitutionem teneri: quia decima pars talium fructuum pertinet ad Eccleſiam. Quare ſervi, famuli, filii, qui ex fructibus non decimatis magnam quantitatem furantur, decimam reſtituere debent, ſub mortali quidem, ſi quantitas gravis fuerit; ſub veniali vero, ſi quantitas parva extiterit. Satis tamen eſt, ſi fructus omnes domino reſtituant. Immo ipſi propria auctoritate nequeunt novem partes reſtituere domino, decimam vero Eccleſiæ: quia de aliena re ſolvere ipſi decimas non debent. Dominus vero de fructibus, furto vel rapina ſublatis, antequam illos recuperet, decimas ſolvere non adſtringitur, ut docet D. Thomas 2. 2. quæſt. lxxxvii. art. 2. ad 4. *De his quæ furto, vel rapina tolluntur, ille a quo auferuntur, decimas ſolvere non tenetur, antequam recuperet; niſi forte propter negligentiam, vel culpam ſuam damnum incurrerit: quia ex hoc Eccleſia non debet damnificari*. Qui ſpicas poſt meſſores colligunt, earumdem decimas ſolvere non tenentur; ſecus dicendum de illis qui ante meſſem ſpicas furarentur.

IV. Quæſt. III. *An emptor, qui fructus non decimatos emit, teneatur ſolvere decimam?* Reſp. Emptor poteſt vel bona, vel mala fide tales fructus emere. Si advertat fructus non eſſe decimatos, & non habeat intentionem ſolvendi decimas, quas ſolvere debebat venditor, eſt emptor malæ fidei, & peccat; teneturque ad reſtitutionem, tum ratione iniuſtæ acceptionis, tum ratione rei acceptæ. Si vero emptor bona fide emit, putans venditorem ſatisfeciſſe debito perſolvendi decimas, nullumque habeat fundamentum ſuſpicandi oppoſitum, tunc nullo modo peccat; ſed ratione rei acceptæ ad reſtitutionem decimarum Eccleſiæ faciendam tenetur, ſervato ſibi iure adverſus venditorem. Quare Eccleſia habet actionem adverſus tum venditorem, tum emptorem. Ita D. Thomas loco proxime laudato his verbis: *Si vero vendatur triticum non decimatum, poteſt Eccleſia decimas exigere & ab emptore, quia habet rem Eccleſiæ debitam, & a venditore, quia quantum eſt de ſe, Eccleſiam defraudavit. Uno tamen ſolvente, alius non tenetur.*

V.

Digitized by Google

V. Quæſt. IV. *An comburentes, ſeu deſtruentes ſegetes & fructus, arboreſque ſuccidentes, teneantur deſtructas decimas Eccleſiæ reſtituere?* Reſp. Caſtropalaus *Tom. II. tractat.* x. *punct.* 2. *num.* 9. hanc docet propoſitionem: *Quarto infertur, impedientem a venatione, piſcatione, aut ſegetes aliorum iniuſte comburentem, aut damnificantem, non teneri Eccleſiæ reſtituere decimam partem illarum: quia Eccleſiæ ſolum debentur decimæ de fructibus collectis, & perceptis, non de colligendis.* Hæc propoſitio nimis laxa mihi videtur. Nam ex ea conſequitur, latronem furantem fructus, triticum nempe, vinum, aliaſque ſegetes, antequam colligantur, non teneri ad decimarum reſtitutionem: quod Theologorum nemo conceſſerit. Vana nimium eſt ratio quæ aſſignatur, nimirum quod decimæ debeantur de fructibus collectis: quoniam, antequam colligantur, decima pars neque ſupputari, neque reddi poteſt. Etiam coloni ſolum de fructibus collectis penſiones frumenti, vini, aliarumque ſegetum dominis ſuis ſolvunt. Qui ergo fructus iſtos ante collectionem deſtruunt, comburunt, vel furantur, ad reſtitutionem non tenentur? Id profecto maxime abſurdum eſt. Tenetur ergo iniuſte comburens, deſtruens, & furans fructus, ſegeteſque ad compenſandum & dominum, & Eccleſiam: quia tum dominus, tum Eccleſia damnum grave, & reale ſubierunt. Ergo qui damnum intulit, illud reſarcire debet. Ita communiter Theologi cum D. Thoma: ex cuius doctrina, numeris præcedentibus relata, evidenter eruitur præſens reſolutio. Qui in bello iuſto ſegetes, arboreſque ſuccidunt, quia id neceſſarium iudicant ad victoriam, & bellandum cum hoſte, ad reſtitutionem, ſeu compenſationem decimarum non tenentur; ſecus dicendum, ſi dicta combuſtio nullo modo neceſſaria foret ad bellum expedite peragendum.

VI. Quæſt. V. *An parochianus qui proprias ſegetes, vineas, alioſque fructus ante collectionem comburit, vel fructus collectos ſua culpa perire ſinit, teneatur pro deſtructis decimis Eccleſiæ ſatisfacere?* Reſp. Bonacina *diſput. unica quæſt.* v. *punc.* 3. *num.* 11. hæc ſcribit. *Addunt aliqui Doctores, eum qui iniuſte ſegetes combuſſit, aut conculcavit, vel arbores ſuccidit, etiamſi fuerit dominus agri, teneri ad reſtitutionem decimarum, quæ ſolutæ fuiſſent. Nam cenſetur cauſa efficax huius damni Eccleſiæ, quæ habet ius exigendi decimas.*

Ego vero probabilius exiſtimo, non teneri, quia dominus agri non tenetur ſolvere decimas agri ex fructibus quos ſua culpa non collegit: ergo neque tenetur, ſi ſegetes combuſſiſſet, antequam fructus colligeret. Præterea qui impedit aliquem iniuſte, ne feras, aut piſces capiat, quorum decima ſolvenda fuiſſet, non tenetur ad reſtitutionem: ergo neque tenetur qui ſegetes nondum collectas combuſſit. Non modo probabilis, ſed, quod mirari ſatis non ſubit, probabilior *Bonacinæ* eſt hæc ſua opinio. Contra mihi improbabilis, & laxa videtur. Aliud eſt quod quis non teneatur agros colere, ut decimas ſolvat. Hoc & nos concedimus. Nec S. Thomas

mas laudata *quæſt.* lxxxvii. *art.* 2. contrarium docuit, ut falſo ei imponit Bonacina loco citato ſub initium *numeri*; ſed ſolum docet ſententiam contrariam laxæ opinioni Bonacinæ, ut mox videbimus. Aliud vero eſt quod de productis fructibus, qui ad meſſem tendunt, ſuntque eidem proximi, decimæ non debeantur. Utique ſolvi non debent fructus, antequam colligantur; ſicuti neque domino colonus ſolvere eos vel debet, vel poteſt ante collectionem. Decimæ prædiales, ut dictum eſt, ſunt onus reale agris affixum. Fructus cum tali onere naſcuntur. Qui illos vel rapit, vel deſtruit, damnum infert Eccleſiæ, quam privat fructibus illi debitis. Argumentatio Bonacinæ a decimis perſonalibus ad decimas prædiales inepta eſt. *Qui impedit aliquem iniuſte ne feras, aut piſces capiat . . . non tenetur ad reſtitutionem: ergo neque tenetur qui ſegetes nondum collectas combuſſit*. Decimæ de venatione, & piſcatione perſonales ſunt, quæ nunc non ſolvuntur. Anne piſcibus, & feris onus reale decimarum, quemadmodum prædiis, adnexum eſt? Præterquamquod, ut paritas qualem qualem ſaltem ſpeciem ſimilitudinis præferret, ſic efformari deberet. Sicut qui impedit aliquem, ne piſces capiat, non eſt obnoxius reſtitutioni; ita neque qui impedit alium, ne terram aret, occet, colatque ad reſtituendum tenetur. Et forte tunc probabilis foret illatio ob impedimentum magis remotum. Vel alio modo, & magis directo, paritas inſtituenda fuiſſet. Qui impedit alium ne feras capiat, non tenetur ad reſtitutionem: ergo neque qui aliquem impedit, ne fructus iam maturos, ne ſegetem albam ad meſſem colligat, tenetur ad reſtitutionem. Quo quid abſurdius dici poſſit, non video. Ius habet Eccleſia ſupra fructus, & ſegetes agrorum, ſeu prædiorum; ſed de his diſponere nequit, neque actum aliquem exercere ſuper illas, antequam colligantur; ſicuti nec dominus prædiorum ante frugum collectionem ad decimas ſolvendas adſtringitur. Qui ergo lædit hoc ius Eccleſiæ, qui eam privat proximo actu iſtius iuris, qui denique illi ſurripit fructus ad quos ius habet, grave ei infert damnum: ergo ad compenſationem obſtringitur. Neque limitatio, quam addit Bonacina, laxitatem ſuæ ſententiæ temperat. Subdit namque, ſe non obligare ad reſtitutionem comburentem ſegetes, *niſi ſegetes, ſeu fructus arborum in eo eſſent ſtatu, ut tradi deberent Eccleſiæ ad decimam*. Quia iuxta eius doctrinam non aliud ſignificat hæc limitatio, niſi quod, ſi quis combureret granum iam excuſſum, vel manipulos tritici in area, teneretur ad reſtitutionem. Quippe ſolum in hoc ſtatu fructus apti ſunt ut Eccleſiæ tradantur: quia ſolum poſt collectionem decimæ reipſa ſolvi debent. Ceterum, ſi dominus frumentum iam meſſi proximum ob ſuam pravam iniquamque voluntatem combureret, eum ad decimarum reſtitutionem non teneri, reſolvit Bonacina; idque *probabilius* iudicat. Mihi vero improbabile viderur. Et hanc noſtram ſententiam communiſſime docent Theologi, Suarez *Tom. I. de Relig. tractat.* 11. *Lib. I. cap.* xxxvi.

Digitized by Google

xxxvi. *num.* 17. Covarruvias *part.* ii. *§.* 8. *num.* 18. Filliucius *tract.* xxvii. *cap.* xi. *quæſt.* vii. *num.* 246. Trullench *Lib. III. in Decalog. cap.* iii. *dub.* 2. Raphael de la Torre in 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *diſput.* x. Sed ſufficiat unus pro omnibus D. Thomas, contra quem decretorie Bonacina loco laudato reſolvit his verbis: *Reſpondeo non teneri .... contra ſanctum Thomam.* Et, quod magis feſtivum eſt, nec verbum habet S. Thomas de ea quam Bonacina verſat quæſtione. Siquidem Bonacina reſolvit, non teneri ad reſtitutionem decimarum dominum qui ſua negligentia agros non colit: de quo nihil ſcribit D. Thomas, qui loco citato a Bonacina, nempe 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *artic.* 2. *ad* 4. ſolum aſſerit, dominum qui ſua culpabili negligentia a latrone auferri permittit fructus iam productos, ad eam compenſationem teneri. En verba Angelici. *Ille a quo auferuntur* (fructus) *decimas ſolvere non tenetur, antequam recuperet; niſi forte propter negligentiam, vel culpam ſuam damnum incurrerit.* Hæc, & non amplius habet Angelicus loco citato. Et hanc angelicam doctrinam, fructibus collectis applicatam, excipiunt communiter Theologi, Sotus, Suarez, Gloſſa, Alenſis, Rebuffus, Fagundez, Trullench, Filliucius, Leander; quin & ipſe Bonacina, qui immerito pro ſua priori opinione, modo a nobis impugnata, allegat Leſſium, & Molinam, qui ſolum loquuntur de fructibus in bello combuſtis. Sed de hoc pluſquam ſatis.

VII. Quæſt. VI. *An dominus qui noluit colligere fructus iam maturos, qui ob illius negligentiam graviter culpabilem perierunt, teneatur ad reſtitutionem decimæ deperditæ?* Reſp. Suarez *Tom. I. de Relig. Lib. I. cap.* xxxvi. *num.* 20. in eam pendet opinionem quæ propugnat hunc ad reſtitutionem non teneri: quam ſententiam defendunt Filliucius, Caſtropalaus, Bonacina, & Trullench. Sed contraria ſententia, quæ clare deducitur ex D. Thomæ doctrina, mihi probabilior eſt, quam defendit Sotus *de iuſtit. & iur. Lib. IX. quæſt.* iv. *art.* 2. Leander *tract.* vi. *diſp.* ii. *quæſt.* xviii. Contrariæ ſententiæ patroni ex eo decipiuntur, quod putent, præceptum Eccleſiæ non extendi niſi ad decimas collectas; quod iuxta ipſorum doctrinam falſiſſimum eſt. Enimvero & ipſi quidem docent, decimas prædiales eſſe onus reale quod ipſis prædiis, quocumque devolvantur, adhæret; ita ut, ſi prædia ſemel decimis ſubiecta in dominium deveniant Regularium, vi iuris communis obnoxia ſint decimarum ſolutioni: quia, inquit Suarez cum aliis, decima prædialis eſt onus reale prædiis, & agris affixum. Quo poſito tamquam certo, hanc efformo rationem. Hoc onus, hoc debitum, decimarum prædiis adnexum, cui poteſtati, cui iuri ſubiicitur? Alicui enim iuri ſubiiciatur oportet, Quandoquidem debitor, & creditor duo ſunt, quorum unus ſine altero non conſiſtit. Quin repugnat dari debitum, niſi detur ille qui ius habeat illud exigendi. Onus ergo ſeu debitum decimarum eſt alicui iuri, & poteſtati ſubiectum. Hoc ius, hæc poteſtas in ſola Eccleſia parochiali reſidet. Ergo Eccleſia ius

ius habet in fructus prædiorum, antequam colligantur. Quæ omnia compertiſſima ſunt. Verum porro eſt quod ius iſtud Eccleſia executioni mandare non poteſt, niſi poſt fructuum collectionem: neque dominus agrorum decimas ſolvere tenetur, immo nequit ſolvere ante collectionem: quia decima pars decerpi non valet ex aliis partibus, niſi detur cumulus illorum partium. Hoc autem haberi non poteſt, niſi fructibus collectis. Quam ob cauſſam dicitur, fideles non adſtringi ad ſolvendas decimas, niſi de collectis fructibus, non de colligendis. Cum itaque evidens ſit Eccleſiam iure potiri in fructus colligendos; conſequitur, dominum qui ſua negligentia graviter culpabili fructus illos perire ſinit, eo quod nolit opportuno tempore eoſdem colligere, damnum inferre Eccleſiæ, illiuſque ius lædere. Ergo ad reſarciendum hoc læſum ius tenetur.

VIII. Quæſt. VII. *An qui nolunt colere agros, vel qui agros, aut vineas in domos convertunt, teneantur ad compenſationem decimarum?* Reſp. Communis opinio eſt negativa quoad utramque partem: quia præceptum ſolvendi decimas nullo modo extenditur ad cogendos fideles, ut agros colant, ſed ſolum ut de agris prædiiſque fructus gignentibus decimas pendant. In fundis quoque vinearum, & agrorum domos ædificare poſſunt: quia domini pro libito uti re ſua valent. Et hæc clariora ſunt quam ut longiore egeant diſcuſſione.

IX. Quæſt. VIII. *An Parochi valeant propria auctoritate a ſuis parochianis decimas accipere, vel nolentibus ſolvere ſacramenta denegare?* Reſp. Neutrum poteſt Parochus. Parochianus legitimus poſſeſſor eſt prædiorum, & fructuum inde naſcentium. Nullus autem poſſeſſor verus re ſua ſpoliari a privata auctoritate licite poteſt; ſed in iudicium publicum vocari debet, ſi debita ſua perſolvere recuſat. Qua de cauſſa nequit Parochus ſacramenta denegare iis qui decimas pendere nolunt, niſi ſint per iudicis ſententiam, ſervatis iuris formulis, declarati contumaces; ſitque eorum peccatum publicum, &, ut dicitur, notorium. Ad quos vero iudices pertineat ſuper his cauſſis iudicium ferre, alibi dicam.

X. Quæſt. IX. *Quot modis ceſſat debitum ſolvendi decimas?* Reſp. Quatuor modis iuxta communiſſimam Theologorum ſententiam extinguitur debitum pendendi decimas quoad quantitatem (nam, prout alimenta ſpectant neceſſaria ad congruam miniſtrorum ſuſtentationem, iuris ſunt naturalis, ut ſæpius dictum eſt, nullique mutationi obnoxiæ) privilegio, conſuetudine, præſcriptione, contractu, ſeu pacto. De privilegio iam dictum eſt ſupra, nempe ſummum Pontificem poſſe tum Eccleſiaſticis, tum laicis iuſtam ob cauſſam privilegium impartire eximens a decimis. Dictum quoque eſt, eiuſmodi privilegium, utpote odioſum, ſtrictioris eſſe interpretationis. Quare qui privilegium obtinuit non ſolvendi decimas abſolute, tenetur eas ſolvere de novalibus. De conſuetudine itidem verba fecimus, ipſam ſcilicet magnam vim habere in decimarum materia, ſalva ſemper con-

congrua miniſtrorum ſuſtentatione. Idem de præſcriptione cenſendum. Obiter animadvertendum eſt, hoc conſuetudinem inter & præſcriptionem diſcrimen verſari, quod conſuetudo quid iuris dicitur, præſcriptio quid facti. Ad conſuetudinem invehendam communitatis requiritur conſenſus; ad præſcriptionem vero ſatis eſt factum particularis perſonæ. Per conſuetudinem communitati, per præſcriptionem privatæ perſonæ ius acquiritur. In præſcriptione bona fides neceſſaria eſt, ſecus in conſuetudine. Sed de hoc fuſius ſuo loco. Laici vi conſuetudinis, aut præſcriptionis immunes a decimarum ſolutione evadere poſſunt; minime vero acquirere valent ius exigendi decimas. Quoniam hoc ius, ut dictum eſt, ſpirituale eſt, utpote fundatum in titulo ſpirituali. Et hoc ius primarium a quibuſdam vocatur. Aliud vero ius vocant ſecundarium, puta illud quod Pontifices concedere quandoque ſolent Principibus exigendi ab Eccleſiaſticis decimas in Eccleſiæ defenſionem; aut illud quod miniſtri Eccleſiæ aliis conferunt pro exactione fructuum: quod ius, ſeu facultas vendi poteſt, utpote temporale, & conſequenter præſcriptioni obnoxium eſt; ſecus ius primarium in miniſterio ſpirituali fundatum. Itaque tum communitates vi conſuetudinis, tum perſonæ privatæ vi præſcriptionis a debito ſolvendi decimas, modo explicato, liberari poſſunt. Ad hoc tamen, ut præſcriptio vim habeat contra Eccleſiam in iis quæ iuri communi adverſantur, requiritur ſpatium quadraginta annorum cum titulo; aut tempus immemorabile ſine titulo expreſſo: tempus enim immemorabile æquivalet titulo; ut in materia de præſcriptione dicetur. Pariter ad conſuetudinem, liberantem ab onere decimarum, intervallum quadraginta annorum neceſſarium eſt. Requiritur quoque ad valorem conſuetudinis conſenſus, ſaltem tacitus, ſummi Pontificis.

XI. Ex dictis conſequitur, conſuetudinem potiſſimum introduci poſſe, ut decimæ vel in minori, vel in maiori quota, ut ex his, ſecus ex aliis fructibus, ut modo uni, modo alteri parochiæ ſolvantur. Parochia quæ quadraginta annorum ſpatio percepit decimas ex prædiis ſitis in territorio alterius parochiæ, & etiam ex terra inculta, ſi ex tali terra fiant prædia novalia, etiam ex his novalibus decimas percipiendi ius habebit. Si vero ex agris, pratiſque incultis nihil percipiebat; de eiuſmodi fundis, ex quibus facta ſunt novalia, illi parochiæ, in cuius territorio ſita ſunt, decimæ ſolvi debent. Ratio clara eſt: quia præſcriptio favere non poteſt ſine poſſeſſione, quam ſuper perceptionem fructuum ex terra inculta numquam habuiſſe ſupponitur. Ex alia parte decimæ, quando alia non obſtant, de novalibus illi parochiæ debentur in cuius ditione ſita reperiuntur. Qui præſcripſit ius exigendi decimam vini, ſi vinea aratro colatur, gignatque triticum loco vini, triticum ſolvi debet: quia onus decimarum reale eſt quod afficit prædium, ut frugiferum. Quod vero fructus ſint unius, aut alterius generis, nihil admodum refert. Qui ex unius fundi parte decimas legitima præſcriptione

collegit, ſecus ex altera, quia inculta erat; ſi poſtea hæc pars culta fiat, ex eadem quoque decimas percipere poteſt; dummodo fundus ſit realiter unus. Si enim ager, qui noviter colitur, ſit ſeparatus; conſtat præſcriptioni alterius agri illum non ſubiacere.

XII. Quæſt. X. *An compoſitio, & tranſactio ſuper decimis valida ſit!* Reſp. Quarto modo debitum ſolvendi, vel percipiendi decimas ceſſat per compoſitionem, aut tranſactionem. Compoſitio eſt gratuita quædam conventio. Tranſactio eſt pactio quædam de re dubia, & lite incerta, aliquo dato, vel retento. Sæpius pro eodem accipiuntur compoſitio, & tranſactio. Compoſitio, facta inter partes ſuper decimarum difficultatibus, valida eſt, conſenſu ſuperiorum interveniente. Si ſit inter perſonas eccleſiaſticas, ſatis eſt conſenſus Epiſcopi; ut decrevit Alexander III. in cap. *Statuimus*, de tranſact. ubi ait: *Statuimus ut, ſi ſuper decimis inter vos & aliquam perſonam eccleſiaſticam de aſſenſu Epiſcopi, vel Archiepiſcopi ſui compoſitio facta fuerit, rata & inconcuſſa perſiſtat*. Quod intelligendum eſt de compoſitione in perpetuum duratura: compoſitio enim ad tempus fieri poteſt inter Parochos ſeu Curatos abſque Epiſcopi conſenſu; quæ compoſitio extinguitur cum morte componentium. Super decimis præteritis Parochus, vel Curatus compoſitionem peragere valet cum laicis ſine ullius conſenſu: quia ſicut poteſt Parochus remittere, & donare fructus illos, abſque tamen damno pauperum; ita & compoſitionem ſuper illis facere valet. Ut autem compoſitio inter Parochos & laicos ſuper futura exemptione ab aliqua decima valida ſit, Papæ conſenſus requiritur: quo aſſenſu accedente, compoſitionis contractus tenet. Quod dictum eſt de compoſitione, idem etiam de tranſactione dicendum: pro eodem enim nunc ſumuntur. Si tamen tranſactio, ſeu compoſitio ſit temporaria, puta quod tali tempore, tali loco, poſt tot dies a collectis fructibus, decimæ ſolvantur; ſolius Epiſcopi auctoritate firmata valet. Quod ipſum dicendum, ſi compoſitio fiat ſuper iure dubio, quando nempe dubium ſuboriretur ſuper privilegio Papæ, laicis conceſſo: ſiquidem in hoc eventu compoſitio, cum cauſſæ cognitione facta, & per Epiſcopum confirmata, valida foret. Hæc omnia communia ſunt penes Theologos, & Canoniſtas.

CAPUT IX.

De Eccleſiis, & perſonis, quibus decimæ ſolvi debent.

I. Paucis expediemus caput iſtud: quia ex dictis conſtat, ad quos decimæ iure pertineant. Olim decimæ cœtui Clericorum ſolvebantur, quarum diſtri-

tributor erat loci Epiſcopus, qui pro meritis eaſdem Eccleſiæ miniſtris diſtribuebat. Cauſ. XVI. quæſt. VII. can. I. *Decimas ſub manu Epiſcopi eſſe cenſemus, ut ille qui ceteris præeſt, omnibus iuſte diſtribuat.*

II. Facta bonorum eccleſiaſticorum partitione, iure communi hodierno ſolis Parochis decimæ debentur. *Cap.* Cum contingat. *Perceptio decimarum ad parochiales Eccleſias de iure communi pertinent.* Et *cap.* Cum tua. *Ad Eccleſias parochiales de iure communi ſpectat perceptio decimarum.* Barboſa de *offic. & poteſt. Paroch. Part. III. cap.* XXVIII. *§.* 2. *num.* 7. *& ſeq.* Fagnanus in *cap.* Cum contingat XXIX. *h. t.* & eſt communis penes omnes. Hic animadvertendum eſt, iura declarare, non ad Parochos, ſed ad Eccleſias parochiales decimarum ſpectare perceptionem. Quare Parochus nullum ius habet ad decimas exigendas, niſi illud fundatum ſit in titulo Eccleſiæ parochialis, cuius eſt Paſtor. Ad omnia ergo quæ Eccleſiæ parochiali ſunt adnexa, Parochus ius habet, eo quod præfatam parochialem Eccleſiam in *titulum* poſſidet. Qua ratione etiam Beneficiatus ius habet ad proventus Beneficio adnexos.

III. Quæſt. I. *An, quando Eccleſiæ parochiales incorporantur, ſeu appropriantur Monaſteriis, & Capitulis, cenſeantur incorporatæ pariter decimæ?* Reſp. Communis eſt Canoniſtarum ſententia, vi iſtius incorporationis, omnia quæ ſunt Eccleſiis parochialibus adnexa, devolvi ad ipſa Monaſteria, vel Capitula, ita ut titulus, & ius dictarum Eccleſiarum cum eiſdem Eccleſiis in Monaſteria, ſeu Capitula transferatur. Quapropter Presbyter, ſeu Vicarius, ſeu Curatus, curam ſpiritualem exercens Eccleſiæ incorporatæ Monaſterio, nullo modo eam in *titulum* poſſidet; & propterea nec ius habet ullum in decimas, intra confinia eiuſdem parochiæ excreſcentes; ſed ſolum ei debetur congrua ſuſtentatio. Verum de hoc ſuo loco fuſius.

IV. Quæſt. II. *An in aliquibus caſibus decimæ ſolvendæ ſint Epiſcopo?* Reſp. Antequam Eccleſia terris, fundis, & reditibus ditata eſſet, omnium eccleſiaſticorum proventuum in ſua diœceſi *quarta* Epiſcopo debebatur. At vi iuris hodierni nulla decimarum parochialium portio ad Epiſcopum ſpectat. Aliqui tamen ſunt caſus in quibus decimæ Epiſcopo ſolvi debent. Primus eſt, quando decimæ adnexæ ſunt Eccleſiæ cathedrali, cuius Parochus eſt ipſe Epiſcopus; ut colligitur ex cap. *Cum contingat.* Si tamen Eccleſiæ cathedralis eſſet Parochus alius Sacerdos, huic decimæ deberentur. Secundus caſus eſt, quando prædia non ſunt alicui parochiæ determinate affixa. Hæc prædia tunc cenſentur ſub iuriſdictione Epiſcopi; & ideo ex præfatis prædiis decimæ ſolvendæ ſunt. Tertio, quando parochiæ in diœceſi diſtinctæ non ſunt, ſed tota diœceſis unica eſt parochia, cuius Parochus eſt ipſe Epiſcopus, eidem Epiſcopo decimæ debentur. Quarto tandem, quando Eccleſiæ epiſcopali, ſeu cathedrali decimæ titulo vel donationis, vel conſuetudine, ſive quo-

Digitized by Google

quocumque alio iure, debitæ ſunt, Epiſcopo ſolvi debent. Ita Azorius *Lib. VII. Inſt. Mor. cap.* XXV. *quæſt.* IX. illumque optime ſub hoc capite citat Barboſam *quæſt.* IX. Quare errat Leander *tract.* VI. *diſ.* VIII. *quæſt.* III. ubi citat Azorium ſub *cap.* XXXVI. & corrigit Barboſam, citantem Azorium eumdem ſub *cap.* XXV. Paſſim ſuum criterium Auctor iſte exercet in his gerris, & quiſquiliis; ac paſſim decipitur.

V. Quæſt. III. *An Parochis divitibus, vel pravis moribus infectis, decimæ ſolvi debeant?* Reſp. Parochis, quamvis divitibus, decimæ ſolvendæ ſunt: quoniam non ratione, & intuitu perſonarum, ſive divitum, ſive pauperum, decimæ penduntur; ſed ratione ſpiritualis miniſterii. Quis dixerit, Regi diviti, & opulento tributa ſolvenda non eſſe, aut reddenda non eſſe debita creditori pecunioſo? Parochis quoque male moratis decimæ debentur eadem ratione, quod ſcilicet non ob meritum, vel virtutem perſonæ, ſed propter officium, & curam ſpiritualem a Domino præcipiantur. Iam ſub initium diſſertationis diximus, damnatum fuiſſe in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* XLV. VVicleffi errorem, effutientis liberum eſſe fidelibus denegare Sacerdotibus malis decimas. Quod etiam vetitum fuit in cap. *Tua nobis*, de decim. *Prætextu vero nequitiæ Clericorum nequeunt eas, hoc eſt decimas, niſi quibus ex mandato divino debentur, pro ſuo arbitrio erogare; cum nulli ſit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem.*

VI. Quæſt. IV. *An Canonicis, Clericis beneficia habentibus, & Regularibus qui curam parochialem exercent, decimæ ſolvendæ ſint?* Reſp. Omnes præfati ius habent ad decimas exigendas: quia ſicut, facta diviſione parochiarum, Parochus quiſque ius habet percipiendi decimas in ſua parochia; ita, partitione facta redituum in plura beneficia, quiſque Beneficiatus ius habet, & titulum exigendi decimas quæ affixæ ſunt proprio beneficio. Idque manifeſte habetur in *cap.* Ex parte *de decim.* Animadvertendum tamen eſt, ſolis Parochis, ſeu curam animarum exercentibus, ex iuſtitia decimas deberi; ceteris autem ex præcepto mero Eccleſiæ. Hinc, ſi Regulares parochialem Eccleſiam adminiſtrent, illis, tamquam veris Parochis, decimæ debitæ ſunt. Quandoquidem neque Clericis ſimplicibus, neque Regularibus ratione ſacrorum ordinum decimæ debentur; ſed tantum ratione miniſterii ſpiritualis: ſive poſtea hoc ſpirituale miniſterium exerceant Clerici, ſive Regulares, idem ius acquirunt; & propterea æque ſecundis, ac primis decimæ ſolvendæ ſunt.

VII. Quæſt. V. *An laicis aliquibus decimæ ſolvi debeant?* Reſp. Iam ſæpius dictum eſt, laicos ineptos prorſus eſſe ad decimarum ius, quod ſpirituale eſt, in miniſterio eccleſiaſtico fundatum. Solum laici percipere poſſunt decimas vel ratione privilegii ſummi Pontificis, vel ratione alicuius contractus, quo miniſtri eccleſiaſtici ad tempus locare valent illis facultatem, ſeu poteſtatem exigendi decimas ſibi de-

Digitized by Google

debitas. Quæ poteſtas, utpote fundata in contractu, ſive locationis, ſive venditionis, non ſpiritualis, ſed temporalis eſt. Manifeſtum autem eſt poſſe miniſtros Eccleſiæ locare laicis poteſtatem exigendi decimas, ut habetur in *cap.* Veſtra. *Diœceſanorum Epiſcoporum ſtatuto contrario non obſtante, veſtrarum decimarum proventus illis libere locare poteſtis, cum quibus Eccleſiæ veſtræ conditionem poteritis facere meliorem; ita tamen quod huiuſmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi.* Tempus autem, infra quod eccleſiaſtici miniſtri decimarum exactionem locare queunt, eſt triennium; ut decrevit Paulus II. in *Extravaganti* Ambitioſa, *de rebus eccleſ. non alienand.* Hæc omnia preſſe, & diſtincte docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* lxxxvii. *art.* 2. *&* 3. videlicet & ſolis Clericis ratione miniſterii ius decimarum competere, & laicis facultatem eaſdem exigendi concedi poſſe. *Radix* (inquit art. 2.) *ſolutionis decimarum eſt debitum quo ſeminantibus ſpiritualia debentur carnalia.* Deinde ſubdit *art.* 3. ius iſtud ſolis Clericis miniſtris Eccleſiæ convenire, inquantum *conſequitur illud debitum quo miniſtris altaris debentur ſumptus de miniſterio, & quo ſeminantibus ſpiritualia debentur temporalia: quod ad ſolos Clericos pertinet habentes curam animarum: & ideo eis ſolis competit hoc ius habere. Res autem quæ nomine decimarum dantur, corporales ſunt. Unde poſſunt in uſum quorumlibet cedere; & ſic poſſunt etiam ad laicos pervenire.* Tandem in reſponſione ad tertium concludit. *Sicut res nomine decimæ acceptas poteſt Eccleſia alicui laico tradere; ita etiam poteſt eis concedere, ut dandas decimas ipſi accipiant, iure accipiendi miniſtris Eccleſiæ reſervato; ſive pro neceſſitate Eccleſiæ, ſicut quibuſdam militibus decimæ debentur in feudum per Eccleſiam conceſſæ; ſive etiam ad ſubventionem pauperum, ſicut quibuſdam Religioſis laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ ſunt conceſſæ per modum eleemoſynæ. Quibuſdam tamen Religioſis competit accipere decimas ex eo quod habent curam animarum.*

VIII. In calce huius diſſertationis pauca adiiciam, quibus & fideles pii excitentur ad decimas ſolvendas, & refractarii terreantur; & tandem ipſi Eccleſiæ miniſtri decimarum exactores permoveantur ad eaſdem diſtribuendas ſecundum pias fidelium voluntates. Atque in primis ampla ſunt præmia quæ fidelibus, decimas Eccleſiæ miniſtris animo hilari ac devoto, largaque manu offerentibus, Deus etiam in hoc mundo retribuit. II. Paralip. xxxi. verſ. 8. *Cumque ingreſſi eſſent Ezechias, & principes eius, viderunt acervos, & benedixerunt Domino, ac populo Iſrael. Interrogavitque Ezechias Sacerdotes, & Levitas, cur ita iacerent acervi. Reſpondit illi Azarias Sacerdos . . . . dicens: Ex quo offerri cœperunt primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus, & remanſerunt plurima, eo quod benedixerit Dominus populo ſuo. Reliquiarum autem copia eſt iſta, quam cernis. Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini: quod cum feciſſent, intulerunt tam primitias, quam decimas, & quæcumque voverant, fideliter.* Malachias quoque Pro-

 phe-

pheta benedictiones cæleſtes quibus fideles decimas offerentes Deus replere ſolet ſic enumerat. *Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea: & probate me ſuper hoc, dicit Dominus: ſi non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis devorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ: nec erit ſterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum. Et beatos vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra deſiderabilis, dicit Dominus exercituum.* Cap. III. verſ. 10. & ſeq. Contra vero dira, & atrocia ſupplicia illis minatur Deus qui decimas offerre recuſant. *Hoc tollit fiſcus quod non accipit Chriſtus*, inquit Auguſtinus: & habetur in *cap.* Maiores XVI. *quæſt.* VII. & additur ex eodem Auguſtino. *Inde videmus armigeros ſpoliare ruſticos, & alios, quos non ſpoliarent, ſi iuſtas decimas, & integras ſolviſſent.* Neque excuſantur fideles a debito decimarum ob iniquam miniſtrorum diſtributionem, vel pravum uſum, ut effutiebat VVicleffus. Sed debent Dei, & Eccleſiæ mandatis parere, memores, quod, ſive boni, ſive iniqui ſint miniſtri, non ab iſtis, ſed a Deo præmia ſunt percepturi: quemadmodum contra Dei miniſtri ſeveriſſimas pœnas dabunt, ſi vota fidelium, ſi pauperum victum, ſi Chriſti patrimonium in uſus profanos prodegerint. Peccant utique fideles decimarum ſolutionem omittentes; ſed gravius peccant miniſtri Dei, quoties eiſdem decimis abutuntur, quoties quod eorum victui ſuperfluit, in pauperes non erogant. *Enimvero* (inquit B. Petrus Damianus Lib. II. epiſt. XIV.) *ut copioſiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in monaſteriis, & eremis decimæ.* Et epiſtola X. hæc addit. *Quotidie regales epulæ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium. Et, unde refrigerare debuerant indigentes, rubentium tabularum recreant geſtatores.* Anne proinde mirandum, ſi populi, cum videant tam iniquam decimarum diſtributionem, omni induſtria ſe ſubducere ab earum ſolutione ſtudeant, ſi in murmura ſæpius erumpant, ſi adverſus manifeſtos ac publicos abuſus inclament? Quid mirum, ſi miniſtros, nimia ſeveritate decimas exigentes, improbent; evulgentque, ſe frequentius maiorem auſteritatem experiri a decimarum exactoribus quam ab ipſius ſæculi avaris divitibus? Excuſatio obvia miniſtrorum Eccleſiæ eſt, ſe iuramento obſtrictos eſſe ad Eccleſiæ ſuæ iura ſarta tecta cuſtodienda ab omnibus præiudiciis. Hunc poſſent prætextum obtrudere, ſi exactas decimas, non in uſus profanos, non in luxum, delicias, & oppipara convivia; ſed in pauperum levamen, & in Eccleſiæ ornatum converterent. Ipſi ſint fideles decimarum diſpenſatores; & populi, non iuſtitiæ pœnis adacti, ſed religionis ſpiritu ducti, & caritatis, qua ardere Paſtores ſuos aſpexerint, exemplo permoti, hilari animo decimarum tributum exſolvent.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

CAPUT I.

Quid ſint primitiæ: quo iure debitæ olim in lege naturæ, & ſcripta fuerint; & quo iure in lege gratiæ debeantur: & an nunc ſint contraria conſuetudine abrogatæ.

I. MUltiplex eſt primitiarum ſignificatio. Prima eſt quæ temporis quædam initia prodit: qua de cauſſa Apoſtoli dicuntur primitiæ ſpiritus ad Rom. VIII. verſ. 23. *Nos ipſi primitias ſpiritus habentes*: quia ipſi primi fuerunt ſancti Spiritus gratia repleti; primique Chriſti partes ſuſceperunt. Secundo dignitatem quamdam præfert, & peculiarem bonitatem: qua in acceptione res ſelectæ, & optimæ, ut fructus terræ præſtantiores, & ſelectiores, quamvis non ſint primi, nuncupantur primitiæ. De primitiis in hoc ſenſu acceptis nullus nobis in hac diſſertatione ſermo erit. Primitiæ, de quibus in præſentia, ſunt primi fructus agrorum, & arborum, qui Deo offeruntur. De his primitiis loquitur D. Thomas 2. 2. *quæſt.* LXXXVI. in quatuor articulos tributa: quorum tres primi ſunt de oblationibus, quartus de primitiis; & cum D. Thoma communiter Theologi, & Canoniſtæ loquuntur.

II. Primitiæ a decimis diſtinguuntur, quod decimæ immediate in miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem, & pauperum ſubſidium exhibeantur; primitiæ vero in gratitudinis argumentum Deo pro acceptis beneficiis per ſe offerantur, quamvis poſtea in miniſtrorum uſum convertantur. Inſuper decima, ut vox ipſa præfert, definitam fructuum partem exprimit; primitiæ vero non aliquam partem, ſed aliquid de primis fructibus quos terra gignit, ſignificant.

III. Omnes fere gentes, naturali perfuſæ lumine, Deo frugum aliquid offerre in more habuerunt. Caini, & Abelis oblationes ex communi opinione & teſtimonio Scripturæ *cap.* IV. *Geneſ.* fuerunt primitiæ de primogenitis gregis, & optimis terræ frugibus. Athenienſes iuvenes crinium primitias, cum ex ephebis exceſſiſſent, inquit Alexander ab Alexandro *Lib. V. dier. Gen.* Apollini conſecrabant. Romani, teſte Plinio *Lib. XVIII. cap.* II. nihil de terræ frugibus guſtabant, priuſquam novarum frugum Sacerdotibus primitias obtuliſſent. Tamen ante legem

Digitized by Google

ſcriptam præceptum nullum fuit naturale divinum, quod primos terræ fructus Deo offerendos præſcriberet. Eſt quidem, inquit D. Thomas, iuri naturali conſentaneum ut Deo, tamquam ſupremo Creatori, aliquid ex productis fructibus offeratur; at quod eiuſmodi oblatio ſit de primis terræ frugibus, aut quod in tanta quantitate, vel talibus perſonis detur, fuit in lege ſcripta iure divino, & in lege gratiæ iure eccleſiaſtico definitum. Ita docet Angelicus citata quæſtione lxxxvi. art. 4. *Pertinet autem ad ius naturale ut homo ex rebus ſibi datis a Deo aliquid exhibeat ad eius honorem; ſed quod talibus perſonis exhibeatur, aut de primis fructibus, aut in tali quantitate, hoc quidem fuit in veteri lege iure divino determinatum; in nova autem lege definitur per determinationem Eccleſiæ, ex qua homines obligantur, ut primitias ſolvant ſecundum conſuetudinem patriæ, & indigentiam miniſtrorum Eccleſiæ.* Dum Angelicus aſſerit, ad ius naturale pertinere quod homo aliquid Deo offerat de terræ fructibus, non intendit innuere aliquod præceptum iuris naturalis, quod hanc fieri oblationem iubeat; ſed eo illa verba ſpectant, ut exprimant, ſummopere naturæ conſentaneum eſſe, atque eidem inſitum, ut Deus non modo mente, corde, lingua, & ceteris animæ facultatibus, corporiſque membris, verum externis etiam rebus colatur.

IV. In lege veteri fuiſſe præceptum a Deo impoſitum filiis Iſrael de primitiarum oblatione, aperta ſunt Scripturæ teſtimonia. Exod. xxii. verſ. 29. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* Et cap. xxiii. verſ. 19. *Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui.* Et Num. xviii. verſ. 8. *Locutus eſt Dominus ad Aaron: Ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum.* Et verſ. 11. *Primitias autem quas voverint, & obtulerint filii Iſrael, tibi dedi, & filiis tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo: qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis. Omnem medullam olei, & vini, ac frumenti, quidquid offerant primitiarum Domino, dedi tibi.* Et Deuter. xii. verſ. 6. *Et offeretis in loco illo holocauſta, & victimas veſtras, decimas, & primitias manuum veſtrarum.*

V. Barboſa *Lib. III. de iure Eccleſ. univerſ. cap.* xxv. in eam propendet ſententiam quæ adſtruit, primitias conſilio tantum, non præcepto, Deum hominibus præſcripſiſſe. Quod evincere contendit illo textu Exod. xxv. verſ. 1. *Loquere filiis Iſrael, ut tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas.* At in hoc textu Deum loqui de tributis, ſeu eleemoſynis, quas populus ultroneus in fabricam Tabernaculi conferebat, evincunt verba quæ in *verſ.* 3. proxime ſequenti habentur. *Hæc autem ſunt quæ accipere debetis: aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byſſum, & pilos caprarum.* Ex quibus verbis colligitur, ſermonem hoc in capite minime eſſe de primitiis terræ quas Deus in gratiarum actionem, & in ſui ſupremi dominii ſignificationem ſibi offerri expreſſo præcepto iuſſit. Nec ſolum de omnibus terræ fru-

Digitized by Google

frugibus, ſed etiam de fructibus arborum populus Iſraeliticus primitias Deo offerre adſtrictus erat. Quantitas primitiarum non fuit in lege veteri definita uſque ad Ezechielem Prophetam, qui propter avaritiam Sacerdotum quantitatem primitiarum determinavit *cap.* xlv. his verbis. *Hæ ſunt primitiæ quas tolletis, ſextam partem ephi de coro frumenti, & ſextam partem ephi de coro hordei: menſura quoque olei, batus olei decima pars cori eſt, & decem bati corum faciunt, quia decem bati implent corum: & arietem unum de grege ducentorum, quæ nutrit Iſrael.* Animadvertit D. Thomas loco citato in reſponſione ad tertium, quod in lege non fuit determinata quantitas oblationis: quia, cum primitiæ ſpeciem præferant oblationis, conſentaneum eſt ut quantitas earumdem arbitrio relinquatur offerentis. At quia avara Sacerdotum cupiditas præter modum populi ſanguinem emungebat; idcirco ad eorum coercendam avaritiam Ezechiel primitiarum quotam determinavit. Quadruplex erat primitiarum genus in veteri lege. Primum offerebantur primitiæ ſpicarum adhuc virentium ſecundo die azymorum, iuxta illud Levitici II. verſ. 14. *Si autem obtuleris munus primarum* (non *primarium*, ut ſcribit Leander emendator Suarez, & Cornelii, qui ſcripſerant *primitiarum*) *frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino.* Deinde offerebantur primitiæ panis ex novo tritico in Pentecoſte, ut habetur Levit. XXIII. verſ. 15. *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas : . . . . ex omnibus habitaculis veſtris, panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini.* Tum de panibus, quos ſingulis hebdomadibus conficiebant, Deo primitias offerebant Hebræi, ut colligitur ex Lib. Num. cap. XV. verſ. 20. *Sicut de areis primitias ſeparatis, ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino : de pulmentis,* ideſt de panibus. Quarto tandem offerebant primitias in feſto Tabernaculorum ex omnibus frugibus. Exod. XXIII. verſ. 16. *Et ſolemnitatem meſſis primitivorum operis tui, quæcumque ſeminaveris in agro : ſolemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.* Abundantes primitias Deo offerebant Hebræi, non ſolum ob illam rationem univerſalem, omnibuſque communem, ut ſcilicet Deum primum cuiuſque meſſis, & fructuum terræ auctorem confiterentur; ſed etiam ut continenter liberationis ab AEgyptiaca ſervitute, & acquiſitionis terræ promiſſæ memoriam recolerent, atque Deo pro tot tantiſque beneficiis aliquod grati animi argumentum exhiberent. Hæc omnia indicantur Deut. XXVI. *Cumque intraveris terram quam Dominus Deus tuus tibi daturus eſt poſſidendam, & obtinueris eam, atque habitaveris in ea : tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones eas in cartallo, pergeſque ad locum quem Dominus Deus tuus elegerit, ut ibi invocetur nomen eius : accedeſque ad Sacerdotem qui fuerit in diebus illis, & dices ad eum : Profiteor hodie coram Domino Deo tuo,*

quod

quod ingreſſus ſum in terram pro qua iuravit patribus noſtris ut daret eam nobis. Suſcipienſque Sacerdos cartallum de manu tua, ponet ante altare Domini Dei tui . . . & eduxit nos de Ægypto in manu forti, & in brachio extento, in ingenti pavore, in ſignis atque portentis: & introduxit ad locum iſtum, & tradidit nobis terram lacte, & melle manantem. Et idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conſpectu Domini Dei tui, & adorato Domino Deo tuo &c.

VI. In lege gratiæ primitiæ non ſunt iure divino, ſed tantum eccleſiaſtico debitæ. D. Thomas non negat (ut falſo ei imponit Leander *tract.* vi. *diſp.* ix. *quæſt.* ix.) primitias eſſe vi præcepti eccleſiaſtici in lege nova ſolvendas. Quin expreſſe adducit canonem *Ex parte de decimis* xvi. *quæſt.* vii. ad evincendum, eas in novo fœdere eſſe præſcriptas. Deinde concludit, in lege veteri iure divino, & in lege gratiæ Eccleſiæ auctoritate primitias eſſe a fidelibus pendendas; ut ex eius verbis hoc capite *num.* 3. relatis conſtat. Fallitur quoque Bonacina, dum aſſerit *diſp. ult. de præcep. Eccleſ. punct. ult. num.* 2. nullum ius afferri poſſe in lege gratiæ, quo obligentur fideles ad primitias ſolvendas. Nam communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ fatentur, inſtitutum reipſa fuiſſe in Eccleſia hoc præceptum. Communis quoque eſt ſententia, ipſa experientia manifeſta confirmata, ubique fere obſoletum, & abrogatum eſſe eiuſmodi præceptum. Et hac ratione verum eſt fideles nunc non obligari ad primitias ſolvendas. Idcirco a longiore huius rei diſcuſſione abſtineo. Id dumtaxat adiicio, fideles, qui frugum ſuarum primitias Deo offerre negligunt, ingratitudinis notam non evadere. Præceptum poſitivum contraria conſuetudine abrogatum eſt; at deletus non eſt naturalis ille inſtinctus, qui intima voce prædicat debitum illud altiſſimum pendendi congruum tributum Deo ſupremo rerum omnium largitori. Quare & nunc pii fideles, maxime pauperes (quorum eſt regnum Dei) frugum, fructuumque omnium primitias Deo offerunt.

CAPUT II.

De oblationibus. Quid ſint oblationes: num iure ſint impoſitæ: a quibus ſolvendæ: & quibus debeantur.

I. Oblatio in ſua generali acceptione eſt cuiuſque rei ſpontanea largitio, quæ homini facta donatio dicitur, Deo dicata *oblatio* nuncupatur: quia Deo nihil dare, aliquid de ſuo offerre illi poſſumus. Hæc oblatio ad Deum relata comprehendit ſacrificium, decimas, primitias, eaſque res omnes quas fideles ſponte-

Digitized by Google

te in divinum cultum conferunt. Si res oblata in Dei cultum, & honorem conſumitur, ſacrificium appellatur. Si vero quod offertur in divinum cultum, in miniſtrorum cedit ſuſtentationem, decimæ, & primitiæ appellantur. Si res denique offertur, non vi alicuius præcepti, vel legis, ſed libere, licet in ſuſtentationem miniſtrorum cedat, abſolute oblatio dicitur. Sic docet Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. lxxxvi. art. 1. *Nomen oblationis commune eſt ad omnes res quæ in cultum Dei exhibentur, ita quod ſi aliquid exhibeatur in cultum divinum, quaſi in aliquod ſacrum, quod inde fieri debeat, conſumendum, & oblatio eſt, & ſacrificium . . . Si vero ſic exhibeatur, ut integrum maneat divino cultui deputandum, vel in uſu miniſtrorum expendendum, erit oblatio, & non ſacrificium*. Porro oblatio, de qua in præſenti, diſtinguitur & a ſacrificio, quod conſumitur in divinum cultum; & a decimis, ac primitiis, quæ in ſingulos annos vi præcepti debentur. Hæc autem ſpontanea eſt, & libera, atque uſualis, quæ in dies fieri poteſt. Quapropter deſcribi ſolet, quod ſit *donatio bonorum, quæ fideles religionis intuitu ad altare, aut in alio Eccleſiæ loco, aut extra Eccleſiam ad imaginem miraculoſam ſponte offerunt, ut vel Eccleſiæ, vel miniſtrorum uſui inſerviant*. Res quæ in Miſſa offeruntur, primario nomen oblationis retinent. Quare etiam vulgo appellatur *offerta*. Secundario oblationis nomen habent res quæ extra Eccleſiam, vel in Eccleſia offeruntur pro purificatione mulierum, pro deſponſationibus, aliiſque Paſtoris functionibus, vel ad aliquam imaginem &c. Solet diſtingui triplex alia oblationum ſpecies. Prima eſt donatio rei facta Deo, vel Eccleſiæ inter vivos. Secunda eſt donatio cauſſa mortis; & ſolet *mortarium* appellari. Tertia eſt uſualis earum rerum quas, ut diximus, fideles ad altare, vel ad manum Sacerdotis communiter offerre ſolent.

II. In lege veteri præceptum extabat iſtarum oblationum, ut colligitur ex Lib. Exod. cap. xxiii. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*. Id ipſum præcipitur Num. vii. xi. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Singuli duces per ſingulos dies offerant munera in dedicationem altaris*. Neque de hoc difficultas eſt inter Auctores. Potius in quæſtionem vertitur, num in lege gratiæ detur aliquod tale præceptum eccleſiaſticum. Sed communiſſima ſententia eſt, nullum de oblationibus, in ultimo ſenſu a nobis explicatis, dari in lege nova præceptum. Ita docet D. Thomas loco citato. *Huiuſmodi ergo oblationes de ſui ratione habent, quod voluntarie offerantur, ſecundum illud Exod.* xxv. *Ab homine qui offert ultroneus, accipietis eas*. Præterea nullum in ſacris canonibus reperitur mandatum quod cogat fideles ad oblationes exhibendas.

III. Obiici ſolent varii iuris textus: ut can. *Omnis Chriſtianus*, diſt. 1. de conſ. lxix. *Omnis Chriſtianus procuret ad Miſſarum ſolemnia aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Deus Moyſi dixit:* Non apparebis in conſpectu meo vacuus.

Digitized by Google

cauſ. *Etenim in collectis SS. PP. liquido apparet quod omnes Chriſtiani offerre aliquid Deo ex uſu SS. PP. debent*. Can. *Statuimus SS.* cauſ. XVI. can. *Quia Sacerdotes*, cauſ. X. quæſt. I. Reſponſio facilis & communis eſt, laudatos, ſimileſque canones intelligendos eſſe in hypotheſi quod miniſtri Eccleſiæ unde viverent, non haberent; vel facta poſitione quod fideles longa conſuetudine ſe ſe ad has oblationes obligaſſent.

IV. Tametſi oblationes ſint liberæ, animadvertit nihilominus D. Thomas citata *quæſt.* LXXXVI. *art.* I. eas multiplici ratione fieri debitas poſſe. *Primo*, inquit *ex præcedenti conventione; ſicut cum alicui conceditur aliquis fundus Eccleſiæ, ut certis temporibus certas oblationes faciat; quod tamen habet rationem cenſus. Secundo propter præcedentem deputationem, ſive promiſſionem; ſicut cum aliquis offert donationem inter vivos, vel cum reliquit in teſtamento Eccleſiæ aliquam rem mobilem, vel immobilem in poſterum ſolvendam. Tertio modo propter Eccleſiæ neceſſitatem; puta, ſi miniſtri Eccleſiæ non haberent unde ſuſtentarentur. Quarto propter conſuetudinem: tenentur enim fideles in aliquibus ſolemnitatibus ad aliquas oblationes conſuetas. Tamen in his duobus ultimis caſibus remanet oblatio quodammodo voluntaria, ſcilicet quantum ad quantitatem, vel ſpeciem rei oblatæ.*

V. Ex hac D. Thomæ doctrina evidentior apparet reſponſio data ad laudatos canones. Quod ſpectat ad tertiam rationem, quam promit Angelicus, iam ſæpius dictum eſt, ex eodem Angelico alimenta miniſtris Eccleſiæ iure naturali & divino deberi: quam ob cauſſam decimæ potiſſimum, & primitiæ deputatæ ſunt in miniſtrorum ſuſtentationem. Si vero miniſtri Eccleſiæ has decimas, ſuoſque eccleſiaſticos proventus, a fidelium liberalitate proficiſcentes, in uſus profanos prodigerent; vel ſi a ſuperioribus aliis perſonis iniuſte applicarentur, vel ad arbitrium dilapidarentur: tunc fideles obnoxii minime forent aliarum decimarum, ſive oblationum oneri. Si miniſtri Eccleſiæ tunc congrua ſuſtentatione defraudarentur, non ex fidelium culpa, ſed ex iniuſta bonorum eccleſiaſticorum diſtributione id ortum duceret. Immo in ſimilibus eventibus fideles non deberent ſolvere decimas aliis perſonis, a miniſtris Eccleſiæ applicatas; ſed omnes reditus retinere, ut ego quidem ſentio, poſſent, præter id quod ſatis foret ad honeſtam neceſſariamque miniſtrorum, ſeu Paſtorum ſuorum ſuſtentationem. Quod tamen ut præſtari licite poſſet, deberet eſſe evidens, publica, & manifeſta miniſtrorum Eccleſiæ indigentia. Nemo enim privata auctoritate in dubia cauſſa, immo nec in certa & manifeſta, quando neceſſitas vitæ ſuſtentandæ non urget, quidquam in rebus a ſuperiore ſtatutis augere, minuere, vel addere poteſt.

VI. Circa quartam rationem, qua Angelicus aſſerit, conſuetudine quandoque, nempe in magnis ſolemnitatibus, oblationes a fidelibus deberi, gravem controverſiam ſuſcitarunt Theologi non pauci, & Canoniſtæ. Nam Barboſa *Lib. III. de iu-*

re

re Eccl. cap. XXIII. *num.* II. Azorius *Lib. VII. cap.* VII. *quæſt.* XI. Hoſtienſis, Covarruvias, Guttierrez, aliique Canoniſtæ propugnant, obtinere conſuetudinem obligantem fideles ad oblationes. Sed communior, & vera ſententia oppoſitum defendit. Nam licet communiter fideles in magnis ſolemnitatibus, & alicubi ſingulis dominicis, aut bis in menſe, ſoleant Sacerdoti, ſeu Paſtori inter Miſſarum ſolemnia aliquid offerre; tamen fundamentum nullum adeſt aſſerendi, conſuetudinem hanc invectam a fidelibus fuiſſe cum animo ſe ſe obligandi. Immo contrarium manifeſto colligitur tum ex ipſius oblationis natura, quæ ſpontanea eſſe debet; tum ex ipſo intimo fidelium ſenſu. Nemo ſiquidem religioni ſibi vertit, dum eiuſmodi oblationes, etiam in magnis ſolemnitatibus, omittit. Neque Parochi, aut Epiſcopi cogere fideles ſolent ad eiuſmodi oblationes. Ergo infertur legitime, liberas eas eſſe, nullaque ſive lege, ſive conſuetudine debitas.

VII. Quod ſi alicubi conſuetudinem, tempore longo firmatam, & animo ſe ſe obligandi introduxiſſent populi; dubio procul obſervanda foret, ob rationes cuique obvias, quod nimirum conſuetudo legitime introducta, non per modum cuiuſdam ſpontaneæ devotionis, ſed per modum legis obligantis ſervari debet, non ſecus ac lex quælibet: quo in ſenſu loquitur D. Thomas in laudata auctoritate. Quamquam vero conſuetudo iſthæc ad culpam non obligaret; monendi tamen fideles eſſent ne a tam pio, & laudabili uſu deſciſcerent; ſed ſuadendi ut in eodem perſeverarent.

VIII. Oblationes quæ a fidelibus fiunt, ſoli Parocho debentur, ſive in Eccleſia, ſive extra Eccleſiam offerantur. Et ratio iam ſæpius indicata eſt, quod nempe ſolius Parochi ſit ſuis parochianis ſacramenta miniſtrare, eorumque cadavera ſepelire. Hinc oblationes factæ in Eccleſia cathedrali debentur Archipresbytero, ſeu Parocho, non Epiſcopo; niſi Epiſcopus ſimul Parochus foret. Deinde etiam oblationes factæ ſacris imaginibus, in ſacellis extantibus, pertinent ad Parochum illius parochiæ, in qua imagines, vel ſacella reperiuntur ſita. Item, ſi imago per quam Deus patrare miracula dignaretur, depicta foret in pariete alicuius domus, oblationes factæ ad Parochum pertinerent. Excipe caſum in quo offerentes vellent domino talis domus expreſſe ſuas oblationes conferre; puta ad ſublevandam illius egeſtatem. Nec audiendus eſt Trullench, qui *Lib. III. Decal. cap.* III. *dub.* 3. *num.* 8. negat, poſſe concedere Epiſcopum ut domino domus fiant eiuſmodi oblationes. Hoc enim abſque ullo fundamento aſſeritur. Immo Epiſcopus impedire minime poteſt quin fideles pauperibus illius domus eleemoſynas elargiantur, quando alia momenta non obſiſtant. Quid enim frequentius in Scriptura inculcatur quam pauperum levamen? Si itaque fideles vellent expreſſe ſuas oblationes paupertatis titulo domino parietis cui imago miraculoſa inhæret, elargiri, non video cur Epiſcopus id prohibere poſſet. Mos potius obtinet applicandi eiuſmodi oblatio-

tiones, quando abundantes ſunt, ad extruendam Eccleſiam, in qua imago collocanda ſit. Paſſim enim ſimiles imagines, quæ in muris ſunt depictæ, cum contingit Deum in illis, ſeu per illas manifeſtare omnipotentiam ſuam miraculorum patratione, in Eccleſias transferri ſolent. Semper tamen ſubſiſtit quod diximus, nimirum omnes oblationes factas, ſive intra, ſive extra Eccleſiam, iure communi deberi Parocho in cuius parochia factæ ſunt; etiamſi fierent in aliqua capella, in qua diſtincta beneficia erecta forent: quia licet Capellanus ius habeat ad proventus ſui beneficii; nullum tamen ius habet in oblationes quæ a fidelibus fiunt etiam in præfata capella. Si tamen fideles oblationes ſuas in ornatum capellæ, vel imaginis convertere vellent; Parochus obſtare nequiret, nec exigere quidquam poſſet. Quæ hactenus diximus, ſecundum ius commune vera ſunt. Ceterum hodie conſuetudo fere univerſalis obtinet oblationes factas extra altare eſſe illius capellæ, aut ſacelli in quibus ſunt ſacræ imagines, & fiunt oblationes, quæ communiter cedunt in ornatum, & conſervationem imaginum, & ſacellorum: quoniam ſic volunt fideles qui munera offerunt.

IX. Oblationes factas in Eccleſiis Regularium, Parochis deberi, defendit Trullench *Lib. III. Decal. cap.* 111. *dub.* 13. *num.* 9. quia ius commune, inquit ille, ſic decernit: & allegat tranſactionem factam ſuper oblationibus eiuſmodi inter Archiepiſcopum Valentinum & Regulares eiuſdem civitatis. Addit tamen, niſi Regulares Pontificum privilegiis ſint exempti; & niſi Regulares habeant titulum legitimæ præſcriptionis. Contrariam ſententiam propugnant Canoniſtæ, & Theologi communiter: quoniam expreſſe definitum eſt, oblationes factas in Eccleſiis Regularium ad ipſos Regulares pertinere in *cap.* 1. *de ſtatu Monach.* ubi hæc præſcribuntur Archiepiſcopo Neapolitano. *Alicui Monaſterio tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam diſciplinæ aliquid moleſtiæ inferatis: aut ſi quid illic pro diverſorum devotione acceſſerit, vobis vendicare æſtimetis: cum Monachis ibi ſervientibus debeat proficere quidquid a fidelibus taliter offerri contingit.* Eadem habentur in cap. *Nimis iniqua* de exceſſibus Prælatorum. *Quidquid etiam eis, dum celebrant Miſſarum ſolemnia, intra domorum ſuarum ambitum, pia fidelium devotione donatur, ab ipſis extorquere oblationis nomine contendentes.* Item Boniſacius IX. Fratribus Prædicatoribus conceſſit privilegium, quo confirmavit facultatem recipiendi oblationes factas in eorum Eccleſiis; & ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda Parochis prohibuit ne ullo pacto eas oblariones impedirent, vel præfatos Religioſos moleſtia afficerent. Hoc ipſum declaravit ſacra Congregatio Concilii *in Cavenſi, in Lun. & Sarzan. Oblationum* 8. *Februar.* 1627. teſte Barboſa *de offic. & poteſt. Paroch. cap.* XXIV. *num.* 29. *& in Summ. apoſtolic. deciſion. Collectan.* 530. *num.* 2.

X. D. Thomas conceptis verbis hanc ſententiam docet 2. 2. quæſt. lxxxvi. art. 2. ad 2.

ad 2. *Monachi, ſive alii Religioſi poſſunt oblationes recipere tripliciter. Uno modo ſicut pauperes per diſpenſationem Sacerdotis, vel ordinationem Eccleſiæ. Alio modo, ſi ſint miniſtri altaris: & tunc poſſunt accipere oblationes ſponte oblatas. Tertio modo, ſi parochiæ ſint eorum: & tunc ex debito poſſunt accipere oblationes, tamquam Eccleſiæ Rectores*. Fundamenta autem Trullench ſeipſis corruunt. Quoniam verum eſt iure communi ad Parochum oblationes pertinere; niſi ipſum ius commune deſignet aliquos alios præter Parochum, qui valeant fidelium oblationes accipere. Porro Regulares vi iuris communis facultate potiuntur accipiendi in ſuis Eccleſiis a fidelibus oblationes: quam facultatem novis privilegiis Romani Pontifices Regularibus confirmarunt. Itaque tum iure communi, tum virtute privilegiorum Regulares poſſunt retinere oblationes quæ fiunt ſodalitiis, ſeu confraternitatibus alicuius imaginis, ut puta B. Virginis Roſarii, Carmeli, aliorumque Sanctorum exiſtentibus in Eccleſiis Regularium ipſorum; nihilque ex illis Parocho debetur. Regulares enim ſuarum Eccleſiarum ſunt veri Parochi, & Rectores. Quapropter ius veluti parochiale in ſuis habent Eccleſiis, quemadmodum Parochi in ſuis; tametſi non eam habeant quam Parochi iuriſdictionem ſupra fideles. Verum tamen eſt oblationes quæ fiunt in capellis, & ſacellis Regularium, ut plurimum cedere in ornatum, & beneficium earumdem capellarum; ſic Regularibus ipſis una cum fidelibus in tam pium religioſumque opus conſentientibus. Laici nullum ius habent, vel habere poſſunt recipiendi oblationes: quia ius iſtud ſpirituale eſt. Et habetur aperte in cap. *Perveniens* XVI. quæſt. VII. & cap. I. quæſt. I. *Hanc conſuetudinem, quæ contra ſanctam Eccleſiam catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, ut nullo umquam modo, ullo tempore, oblationes quæ intra ſanctam Eccleſiam offeruntur, ſub dominio laicorum detineantur; ſed tantummodo Sacerdotibus dentur*. Neque conſuetudo etiam longiſſimi temporis illis ſuffragari poteſt, eo quod non ſint talis iuris capaces. Si Epiſcopus Miſſam celebret in Eccleſiis Regularium, oblationes, non Epiſcopo, nec Parocho, ſed Regularibus debentur: quia licet in *Clemen. de privil.* Epiſcopis permittatur facultas celebrandi in Eccleſiis Regularium, nil tamen de oblationibus immutatur; quapropter ſtandum eſt iuri communi, iuxta illud: *Omiſſum remaneat in diſpoſitione iuris communis*. Item, ſi oblationes fiant a feminis puerperis, filios ſuos Domino præſentantibus, candelarum, aliarumque rerum in Eccleſiis Regularium, ad hos, non ad Parochos, ſpectant.

XI. Non convenit inter Auctores, an introduci valeat conſuetudo ut aliquo die, v. g. in feſto Purificationis B. Virginis Mariæ, Clerici tribuant laicis aliquod munus, ut cereos albos, aut rubeos, vel quid ſimile. Negant Sylveſter *verb.* Decim. *num.* 7. Guttierrez, & alii. Oppoſitum communiter ſuſtinent Theologi, & Canoniſtæ. Diſtinguendum mihi videtur: nam, facta vera diſtinctione, omnes ſimul

mul conveniant neceſſe eſt. Si ſermo ſit de conſuetudine obligante Clericos, ſeu Eccleſiam, ut tributa laicis pendant Clerici de bonis Eccleſiæ; nemo vel Theologorum, vel Canoniſtarum id conceſſerit : quoniam hac ratione Eccleſia laicis ſubiiceretur; quod fieri nequit. Si poſtea ſermo ſit de pia conſuetudine, ſeu more, vel uſu, quo Clerici id faciant ad cieudos pietatis, & devotionis affectus in fidelium animis, & ut grati animi, ſeu affectus argumentum exhibeant; nullus, ut ego quidem arbitror, talem improbaverit conſuetudinem. Hoc ſiquidem pacto, nullo modo Eccleſia laicis ſubiicitur; ſed tamquam mater pia, & liberalis filios ſuos his munuſculis excitat ad ea quæ chriſtiana lex præcipit, peragenda. Et reipſa mos iſte in univerſa Italia obtinet; &, quantum ſcire mihi licuit, etiam in aliis Catholicorum regionibus.

XII. Dictum eſt ſupra, ab omnibus fidelibus Eccleſiam oblationes recipere. Nunc illi indicandi ſunt quorum oblationes Eccleſia reſpuit. Primo Eccleſia reiicit oblationes omnium infidelium, hæreticorum, Iudæorum, atque etiam fidelium qui ſunt excommunicati vitandi; ut declaratum eſt in *can.* XXXVII. Concilii Laodicenſis. Secundo reſpuit oblationem fratrum diſſidentium, quando diſſidium eorum notum eſt. *Cap.* Oblat. *diſt.* xc. Tandem nec a meretricibus, nec ab uſurariis, nec a pauperum oppreſſoribus oblationes ſuſcipit Eccleſia; ut cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* LXXXVI. *art.* 3. docent Theologi, & Canoniſtæ. Hoc tamen intelligendum eſt de peccatoribus publicis, & manifeſtis, ſeu de illis qui tales declarati ab Eccleſia ſunt. Sermo quoque eſt de oblationibus liberis, quæ ad altare fiunt; ſecus de oblationibus neceſſariis, puta de legatis, decimis, aliiſque cenſibus, qui vi alicuius legis, vel pacti debentur Eccleſiæ. Hæc enim omnia, etiam a peccatoribus, exigit Eccleſia. Ut autem oblatio ſit Deo accepta, duo ſunt neceſſaria. Primum eſt, ut victima quæ offertur, ſit honeſta, ſit propria offerentis, non aliena; ut ſit iuſte acquiſita, non uſuris, non fraudibus, vel alia via illicita; ut non ſit alteri debita, aut titulo iuſtitiæ, ut ſi fierent oblationes Deo, & interim creditores defraudarentur debitorum ſolutione; vel titulo pietatis, ut ſi filius, omiſſa ſuſtentatione patris, aut pater, neglectis filiorum neceſſariis alimentis, Eccleſiæ, & Deo victimas offerrent. Has oblationes, non gratas, ſed peroſas Deus habet. Secundo requiritur recta intentio, animique integritas offerentis.

XIII. Nulla eſt præſcripta pœna adverſus eos qui liberas oblationes omittunt. Multæ vero ſunt pœnæ quibus obnoxii ſunt qui oblationes neceſſarias, nempe decimas, legata, defunctorumque ſuffragia vel omittunt, vel elargiri Eccleſiæ differunt. Nam in cap. *Qui oblationes* XIII. quæſt. XI. hæc habentur : *Qui vero oblationes defunctorum aut negant Eccleſiis, aut difficulter reddunt, tamquam egentium necatores, excommunicentur*. Eadem habentur in Conciliis Aquiſgranenſi, Agathenſi, & aliis. Concilium vero Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *de reform. cap.* XI.

ex-

excommunicationis pœnam vibrat in eos omnes qui bona , cenſus ; iura , ſive feudalia , ſive emphiteutica ; fructus , & quæcumque emolumenta quæ ad Eccleſiam pertinent , in proprios uſus converterint ; aut quavis arte , ſeu quæſito colore , uſurpare , vel impedire , ne ſolvantur miniſtris Eccleſiæ , præſumpſerint , vel tentaverint . Qui admittunt ad oblationes , quæ inter Miſſarum ſolemnia fiunt in altari , excommunicatos a Papa , incurrunt excommunicationem maiorem ; ſi tamen excommunicati fuerint denuntiati . Interdicuntur vero ab Eccleſiæ ingreſſu illi qui uſuales oblationes recipiunt ab excommunicatis excommunicatione maiori , vel interdictis non toleratis ex *cap.* Epiſcop. *de privileg. in 6.* Et hæc pauca dixiſſe ſufficiat de decimis, primitiis, & oblationibus.

LIBER QUARTUS
DE QUINQUE
ECCLESIAE PRAECEPTIS.
DE QUARTO, ET QUINTO PRAECEPTO,

nimirum de ſacramentali peccatorum confeſſione, & communione quotannis facienda.

DISSERTATIO PRIMA.
DE PRAECEPTO ANNUAE CONFESSIONIS.

IN tractatu de pœnitentiæ ſacramento , ſuſo calamo, prout rei magnitudo poſtulat , confeſſionis ſacramentalis argumentum verſabimus . Ibi illius a Chriſto inſtitutionem evincemus, hæreticorum errores profligabimus; atque tanti ſacramenti notiones, & plura quæ præcedere illud debent, & plura quæ illud debent conſequi, pro dignitate explicaturi ſumus. In præſentia itaque de iis dumtaxat quæ præceptum eccleſiaſticum, quotannis peragendi ſacram peccatorum confeſſionem, ſpectant, ſermo nobis erit.

C A P U T I.

Propoſitiones damnatæ, & laxæ recenſentur.

QUoniam alibi, nempe in libro de ſacramento pœnitentiæ , & hæreticorum errores, & laxas opiniones deſcripturi ſumus; idcirco nunc recedimus a noſtra conſueta methodo præmittendi hæc omnia cuique tractatui . Verum, ne omnino viam arreptam derelinquamus , duas tantum hac de re propoſitiones ab Eccleſia damnatas circa confeſſionis præceptum , unamque & alteram propoſitionem , quæ laxitatem ſapere videtur , ob oculos ponere duximus conſentaneum.

Pro-

Digitized by Google

Propoſitiones damnatæ ab Alexandro VII.

1. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Hæc in ordine ex damnatis eſt 14.

2. *Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit confeſſionis præcepto, dicens, Commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem, non explicando copulam.* Hæc in ordine eſt 25.

Propoſitiones laxæ.

Prima aſſerit, ſenes octogenarios non teneri ad præceptum confeſſionis.

1. „ Verumtamen contrarium non ſolum probabilius, ſed certius mihi videtur. „ Ideoque tenendum profiteor, ſenectutem illam, utpote octuagenariam, quæ „ fere ſemper homines ita ſimplices, & rationis reddit expertes, ut nihil a pueris „ differre videantur, veluti *hoc eodem anno* pluribus oſtendimus, ab omnibus, & „ quibuſcumque tam eccleſiaſticis, quam divinis legibus eos immunes reddere: & „ ratio eſt, quoniam eiuſmodi ætatis ſenes, infantes pueri ſunt. Ita Hippocrates, „ ut refert Alphonſus a Ruizibus in *medicina medic. inſipient. Luminar.* 11. *fol.* 65. „ Ludovicus Vives *Lib. II. de Anima*, & alii a nobis relati *quæſt. proxime antecedenti*: quibus addenda ſunt quæ in eamdem rem adducit Velaſcus de privilegiis „ *miſerabil. perſonar. quæſt.* XVIII. *num.* 11. Ergo, cum pueri ante ſeptennium his „ legibus ſint ſoluti, veluti ſupra *ann.* 7. comprobavimus, etiam octuagenarii li„ beri erunt.... Cuius ſimile eſt quod ſcripſere Oſtienſis in *Sum. §. Quando confitendum, in principio*; & poſt eum Stephanus Caieta *in repet. cap. Ad limina §.* 5. „ *num.* 107. Palac. Rubeus in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, verbo, *Poſtquam ad annos diſcretionis* de pœn. & remiſſion. ſcilicet ita ſenes, qui iam diſcretione ca„ rent, ut ſæpenumero octogenarii eſſe ſolent, nec præcepto annuæ confeſſionis, „ aut ſuſceptionis Euchariſtiæ in Paſchate teneri, eo nimirum, quod *ſupra* dixi„ mus, quia in eis eadem capacitatis deficientia, ac in parvulis, militat. Igitur „ quemadmodum iſti a quocumque præcepto eccleſiaſtico hac ratione reperiuntur „ immunes, ſic & illi eſſe debebunt. “ D. Didacus de Narbona *in ſuo libro de ſtatu hominis &c. anno* 80. *quæſt.* IV. *num.* 2. *pag.* 682.

2. „ Si quis ſolum haberet peccata cordis, videtur quod poſſit differre confeſſio„ nem uſque ad mortis periculum; cum de illis Papa nihil habeat iudicare: ta„ men, quia ſemel in anno eſt præceptum communicare, quod digne fieri non „ poteſt ſine confeſſione etiam de peccato interiori; tenetur talis infra annum „ confiteri. Item, quia confeſſio non poteſt dividi, ſi cum peccato interiori,

„ habet exterius, de quo poteſt Eccleſia præcipere, tenetur indirecte cum illo „ de interiori confiteri." Margarita Confeſſorum *verb. Confeſſ. folio mihi* 44. Plures alias recenſere non minoris laxitatis propoſitiones ad tractatum de pœnitentia remittimus.

C A P U T II.

Eccleſia præceptum edidit, quod per ſe obligat omnes fideles ad ſacram peccatorum confeſſionem ſingulis annis faciendam. Nonnullæ quæſtiunculæ hac de re enucleantur.

I. QUoniam in tractatu de ſacramento pœnitentiæ ea omnia quæ ad traditionem, & hiſtoriam confeſſionis ſacramentalis pertinent, exhibituri ſumus; idcirco nunc plura, quæ diverſis temporibus Eccleſia edidit, decreta pro confeſſione a fidelibus frequentanda, miſſa facimus. Olim enim ter in anno ad confeſſionem adſtringebantur fideles. Porro ſummus Pontifex Innocentius III. in Concilio generali Lateranenſi IV. anno 1215. celebrato hunc edidit canonem. *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam ſtudeat pro viribus adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum: niſi forte de conſilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab eius perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens chriſtiana careat ſepultura.* Hoc Concilii Lateranenſis ſtatutum confirmavit Tridentina Synodus *ſeſſ.* XIV. *can.* VIII. his verbis. *Si quis dixerit, confeſſionem omnium peccatorum; qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtifideles, iuxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem, ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ; anathema ſit.*

II. Durandus in *IV. Sent. diſt.* XVII. *quæſt.* XIV. in controverſiam vocat, num conſtitutio Concilii Lateranenſis conſilium ſit, & ſalubris adhortatio, vel præceptum. In id potius pendere videtur, quod conſilium ſit, non præceptum. Nil tamen decretorie ſtatuit; ſed dubitanter, & ſubobſcure loquitur. Negare non audet, Eccleſiam poteſtatem habere obligandi fideles ad ſacramentorum frequentiam; ſed ſolum dubitat, an reipſa latum ſit præceptum obligans ad ſecretam confeſſionem, quæ, cum occulta ſit, Eccleſiæ conſtare nequit, quiſnam confeſſus nec ne ſit.

Hæc

Hæc Durandi dubitatio nulla eſt. Quin Eccleſia, ut ſibi de gregis ſui ſalute conſtet, præceptum de annua tulit confeſſione. Quare omnes ad unum Theologi, & Canoniſtæ ſuſtinent, Concilium Lateranenſe, præceptum impoſuiſſe fidelibus omnibus, ut ſingulis annis proprio Sacerdoti peccata ſua confiterentur.

III. Franciſcus Suarez *Tom. IV. in* III. *part. diſp.* XXXVI. *num. 3.* refert, quoſdam Theologos docuiſſe, hoc præceptum non per ſe, ſed per accidens obligare, ratione nempe Euchariſtiæ percipiendæ. Et ſubdit in hanc ſententiam iviſſe S. Thomam in *IV. diſt.* XVII. *quæſt.* III. *art.* I. *quæſtiunc.* 4. & D. Antoninum *III. Part. tit.* XIV. *cap.* XIX. *§.* 3. Mirum eſt, doctum, & accuratum Theologum iſtius ſententiæ patronos conſtituere Aquinatem, & Antoninum; cum ipſi in locis laudatis oppoſitum doceant, & communem Catholicorum ſententiam apertiſſime propugnent. Nam S. Thomas in primis, recenſita ſententia Petri Lombardi, & Gratiani, qui ante Concilium Lateranenſe ſolum tamquam opinionem probabiliorem defendebant neceſſitatem confitendi peccata Sacerdoti, hæc ſcribit. *An ſufficiat ſoli Deo confiteri. Magiſter, & Gratianus hoc pro opinione ponunt. Sed nunc poſt determinationem Eccleſiæ, ſub Innocentio III. factam, hæreſis reputanda eſt.* Tum more ſuo validam prodit rationem, cui præceptum eccleſiaſticum nixum eſt. Hæc enim habet diſt. XVII. quæſt. III. art. I. quæſtiunc. I. *Illa ſacramenta, quæ ordinantur contra culpam, cum qua ſalus eſſe non poteſt, ſunt de neceſſitate ſalutis: & ideo ſicut baptiſmus, quo deletur originale, eſt de neceſſitate ſalutis; ita & pœnitentiæ ſacramentum.... quod fit per confeſſionem peccantis: & ideo confeſſio eſt de neceſſitate ſalutis eius qui in peccatum actuale mortale incidit.* Conceptis pariter verbis eamdem doctrinam docet in Supplem. quæſt. VI. art. 3. *Ad confeſſionem dupliciter obligamur. Uno modo ex iure divino.... Alio modo ex præcepto iuris poſitivi; & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ, edita in Concilio generali ſub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorem ſe recognoſceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei; tum ut cum maiori reverentia ad Euchariſtiam accedatur; tum etiam ut Eccleſiarum rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat.* S. Antoninus hanc doctrinam D. Thomæ fere ad verbum tranſcribit. Immerito itaque Suarez imponit ſanctis his Doctoribus, quod docuerint, præceptum annuæ confeſſionis ſolum per accidens obligare; cum aperte oppoſitum doceant, ut cuique ex allata doctrina conſtare poteſt. Sed hæc obiter dicta ſint.

IV. Unanimi itaque conſenſione Theologi catholici docent, dari præceptum eccleſiaſticum, quo omnes Chriſtifideles ſemel in anno miniſtris Eccleſiæ peccata ſua confiteri tenentur. Idque conſtat tum ex Concilii Lateranenſis IV. *can.* XXI. tum ex Concilii Tridentini *ſeſſ.* XIV. *can.* VIII. proxime relatis, tum denique ex univerſali catholicæ Eccleſiæ ſenſu. Quare qui oppoſitum doceret, hæreſim manifeſtam evulgaret, & ut hæreticus ab omnibus haberetur. Præceptum iſtud, ut ex D.

Thoma vidimus, non tantum ratione communionis, ſed abſolute obligat. Quare, ſi quis impedimento legitimo ligatus ſuſcipere Euchariſtiam nequiret, ad confeſſionem nihilominus adſtringeretur: & qui ſine rationabili cauſſa tum communionem, tum confeſſionem omitteret, duo peccata mortalia adverſus duo diſtincta præcepta communionis, & confeſſionis perpetraret.

V. Præceptum iſtud, ut ſuo loco demonſtrabitur, divinum eſt, ſi a temporis determinatione ſeiunctum abſolute ſpectetur. Eccleſiaſticum autem eſt, quatenus præſcribit hanc confeſſionem quotannis faciendam eſſe. Sic docent omnes Theologi, & ſic declaratum eſt in Tridentino Concilio ſeſſ. XIV. cap. V. *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit ut Chriſtifideles confiterentur, quod iure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur*. Confeſſio itaque peccatorum, Sacerdoti facienda, iure divino neceſſaria ſemper fuit vel in re, vel in voto, ut de baptiſmo dicetur. Frequentia vero iſtius confeſſionis iuris eſt eccleſiaſtici. Quapropter Eccleſia, vel ſummus Pontifex poſſet, ſi congruum, & expediens iudicaret, præcipere ut bis, vel ter, ſicuti olim, ſideles confiterentur; aut contra poſſet ab eiuſdem frequentia diſpenſare cum aliquibus ex iuſta cauſſa, quæ difficillime occurrere poteſt. De hoc conſule D. Thomam in *IV. diſt.* XVII. *quæſt.* III. *art.* I. *quæſtiunc.* I.

VI. Quæſt. I. *An hoc præceptum obliget non ſolum Catholicos, ſed etiam hæreticos?* Reſp. Affirmativa ſententia eſt omnium Theologorum. Quoniam hoc præceptum comprehendit omnes utriuſque ſexus fideles baptizatos: ſed etiam hæretici ſunt baptizati, & quidem valide, ut nunc ſupponimus: igitur etiam hæretici iſtius præcepti obligationi obnoxii ſunt. Non eo tamen modo hæretici quo Catholici, huic, & aliis Eccleſiæ præceptis ſubiiciuntur. Nam Catholici immediate, hæretici tantum mediate obligantur obedire huic præcepto, quatenus adſtringuntur Eccleſiæ reconciliari, ut, ab excommunicatione ſoluti, ſiant Eccleſiæ membra. Quare, ſi iſti ad ovile redirent, non eſſent de violatione præceptorum Eccleſiæ examinandi. Sed de hoc alias.

VII. Quæſt. II. *An peccata mortalia omnia, tum interna, tum externa, fideles manifeſtare vi iſtius præcepti Sacerdoti teneantur?* Reſp. Affirmative reſpondent Theologi omnes: & ex Tridentino *ſeſſ.* XIV. *cap.* V. evidenter conſtat. *Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint.* Hinc confutata remanet opinio quam docet *Margarita Confeſſorum*, & nos ſub initium tractatus retulimus, videlicet quod ſi quis haberet ſolum peccata interna cordis, poſſet differre confeſſionem uſque ad mortis periculum. Præceptum enim eccleſiaſticum eſt determinatio præcepti divini quoad circumſtantiam temporis. Divi-

num

num autem præceptum omnia tum interna, tum externa peccata confiteri iubet. Suarez *diſp.* XXXVI. *ſect.* 2. *num.* 2. referens hanc Margaritæ opinionem, inquit: *Sed eſt pluſquam temeraria ſententia.*

VIII. Quæſt. III. *Utrum non tantum mortalia, ſed etiam venialia vi huius præcepti teneantur fideles confiteri?* Reſp. Negativa ſententia communiſſima eſt penes Theologos; eſtque expreſſe declarata in Tridentino loco proxime laudato his verbis. *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* Ratio quoque id oſtendit: quia præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis eſt determinatio præcepti divini. Præceptum autem divinum non obligat ad confeſſionem venialium. Ergo neque eccleſiaſticum. Diſputant Theologi, an Eccleſia præcipere poſſit confeſſionem venialium. Negant non pauci; ſed plures adfirmant. In diſcuſſione inutilis quæſtionis tempus terendum non eſt. Cur non poſſit præcipere, profecto non teneo. Sed, quia numquam id præcepit, neque, ut prudenter præſumitur, in poſterum præcipiet, non video cur longius de eo quod numquam erit, diſputare debeamus.

IX. Quæſt. IV. *An qui nullum perpetravit mortale peccatum, teneatur ſemel in anno confiteri venialia?* Reſp. Dictum eſt numero præcedenti, venialia non eſſe materiam neceſſariam præcepti: idcirco quæritur, an, data hypotheſi quod quis nulla mortali noxa contaminatus eſſet, iſte obnoxius foret obligationi annuæ confeſſionis. In utramque partem diſputant Auctores. Si ſola vis, & natura præcepti ſpectetur, probabilius videtur, eum non teneri: quia, ablata materia neceſſaria, præceptum non obligat. Sola autem peccata mortalia materia ſunt neceſſaria iſtius præcepti. Verum & hanc diſputationem inter inutiles reiicio: quia, cum fidelis in Paſchate ſumere ex præcepto Euchariſtiam debeat, ſiſtere ſe Sacerdoti debet, eique manifeſtare conſcientiam ſuam, & rationem reddere cur intra annum nec ſemel confiteatur. Paſtor ſiquidem poſſet eum cogere ut ſemel in anno ad confeſſionem faciendam accederet. Sed, ut dixi, hypotheſes iſtæ omni ſunt deſtitutæ fundamento. Qui enim a mortalibus abſtinet, frequenter confitetur, ut gratiam Dei, qua in virtutis via queat perſeverare, aſſequatur. Qui per annum integrum nec ſemel confitetur, cum poſſit, difficillime immunis evadet vel a culpa mortali certa, vel a dubia, vel a tot, & adeo gravibus venialibus, ut nimium audax, & inverecundus, ne plus dicam, foret, niſi confeſſionis ſacramento conſcientiam purgaret, antequam ad ſacram menſam accederet. Quare in praxi nullum umquam ego, cauſſa neceſſaria ſublata, a præcepto annuæ confeſſionis excuſarem. Qui lucrari vult iubilæum, etiamſi mortalia non habeat, confiteri debet. Quia bulla iubilæi confeſſionem præcipit, tamquam quid requiſitum ad in-

dulgentiam lucrandam. Proverbii autem loco habetur hoc dictum: *Bullæ tantum valent, quantum ſonant*. Contrariam opinionem docent multi Auctores. Sed noſtra, quam ſuſtinent Caietanus, Sotus, Sanchez, Diana, Corduba, Fagundez, pluresque alii, probabilior eſt. Qui habet iuſtam cauſſam tacendi mortale quod perpetravit, tenetur implere præceptum annuæ confeſſionis, manifeſtando venialia. Quia, ut peccati, quod tacet, veniam aſſequatur per contritionem, neceſſarium eſt propoſitum confeſſionis faciendæ modo quo fieri poteſt meliori. Itaque, ſi alia mortalia non habeat, venialia confiteri adſtringitur, ut annuæ confeſſionis præceptum impleat.

CAPUT III.

Qua anni parte præceptum confeſſionis obliget: & quomodo computandus annus ſit. Variæ hac de re quæſtiunculæ diſcutiuntur.

I. Sententia communis docet, præceptum iſtud obligare ſolum confiteri ſemel in anno, nulla eiuſmodi anni parte deſignata: quia lex reipſa non limitat, nec deputat aliquod tempus determinatum; ſed ſolum infra annum ut quilibet fidelis confiteatur, præcipit. Si autem Eccleſia voluiſſet ut fideles aliquo anni definito tempore ad pœnitentiæ tribunal accederent, conceptis verbis tempus illud determinaſſet; quemadmodum præceptum annuæ communionis tempori paſchali aperte illigavit. Cuius diſcriminis congrua aſſignari ratio poteſt. Nam uſus Euchariſtiæ abſolute præcipitur, non modo peccatoribus, ſed iuſtis etiam. Nec peccatum ullo modo ſupponit; ideo tali die, vel hebdomada præcipi poteſt. Deinde etiam conveniens fuit præceptum communionis tempori paſchali affigi, propter illius temporis ſolemnitatem; & ut tempore definito univerſa Eccleſia in tanti ſacramenti participatione ſimul conveniret, ac unanimi conſenſione tam ſublimis myſterii publicam fidem profiteretur. Peccatorum confeſſio remedium eſt, & medicina, quæ morbum ſupponit. Non eſt autem definitum tempus in quo homo peccet. Et quia ſatis, ac valde congruum eſt ut ſtatim poſt peccatum pœnitentiæ balſamum vulneri applicetur, dum commode fieri poteſt; idcirco noluit Eccleſia confeſſionis præceptum ad aliquam anni partem limitare; ſed liberum reliquit, ut quiſque medicinam ſumeret, prout ſibi congruum, & expediens iudicaret; dummodo tamen ultra annum non differret.

II. Petrus Soto Auctor graviſſimus *lect. v. de confeſſione* ſuſtinet, confeſſionis præceptum in determinata anni parte obligare, nempe in Quadrageſima, & in Paſchate. Et ſane huic ſententiæ valde favet non ſolum Sixtus IV. in *Extrav. viceſ. de*

Digitized by Google

de tregua, & pace; verum etiam Tridentinum *ſeſs.* XIV. *cap.* V. ubi hæc habentur. *Unde iam in univerſa Eccleſia, cum ingenti animarum fidelium fructu, obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tamquam pium, & merito retinendum.* Reſpondent contrariæ ſententiæ patroni, conſuetudinem hanc vim legis non habere; ſed pium eſſe morem in populorum devotione fundatum.

III. Utraque ſententia, ſi recte exponatur, aliquid veri continet. Prima, ſi abſolute loquamur, vera eſt. Textus enim clarus & perſpicuus eſt; nullamque anni partem determinat. Secunda quoque veram continet doctrinam, quæ praxim fidelium propinquius ſpectat. Sed ſuo in ſenſu vero exponenda eſt. Dum ergo Auctores, & ipſa Tridentina Synodus dicunt, in Quadrageſima potiſſimum peccatorum ſordes eluendas eſſe confeſſionis ſacramento, non id intendunt, ut fideles qui e. g. ſub initium anni peccata perpetrarunt, debeant confeſſionem differre uſque ad Quadrageſimam (hoc enim, ut animadvertit Suarez *diſput.* XXXVI. *num.* 10. omnino improbabile eſt) ſed intelligunt, eos fideles ad confeſſionem in Quadrageſima faciendam obligare qui conſcientiam habent peccati mortalis non confeſſi. Quamvis enim ii qui ſemel in anno confeſſi fuerint, præceptum annuæ confeſſionis abſolute impleverint; attamen & praxis, & conſuetudo, quæ optime legem interpretatur, oſtendunt, fideles ipſos perſuaſos eſſe, ſe ad confeſſionem teneri in Quadrageſima, quoties alicuius peccati mortalis conſcii ſunt. Quo in caſu, non ſolum per accidens, ſed etiam per ſe obligati videntur. Quemadmodum enim qui per aliquam anni partem venialia ſæpius confeſſus eſſet, ſi in Quadrageſima crimen letale perpetraret, dubio procul ad confeſſionem vi præcepti obligaretur; cur non ita obligabitur qui ſemel eſt confeſſus, ſi in peccata mortalia relabatur? Non me fugit, diſcriminis aliquid intercedere. Sed, miſſis inutilibus diſputationibus, quæ pro praxi vera, & neceſſaria ſunt, ediſſeramus. Certum eſt fideles qui peccati mortalis rei ſunt, in Quadrageſima, ſive in Paſchate ad confeſſionem adſtrictos eſſe ratione communionis ſuſcipiendæ; quamvis pluries, nedum ſemel, intra eumdem annum confeſſi fuiſſent. Qui enim peccati mortalis conſcius ſibi eſt, iure divino tenetur conſcientiam purgare, antequam ad Euchariſtiam ſumendam accedat. Id etiam pro praxi diſcriminis eſt, quod, ſi per ſe, ſeu vi præcepti confeſſionis confiteri teneantur fideles, dum omittunt tum confeſſionem, tum communionem, duo peccata mortalia perpetrabunt adverſus duo præcepta confeſſionis, & communionis. Si vero ſolum per accidens, ſeu ratione communionis obſtringantur; tunc confeſſionem, & communionem omittentes unum dumtaxat peccatum perpetrarent adverſus præceptum communionis. Qui vero nullius peccati mortalis conſcientiam habent, quamquam vi præcepti abſolute non teneantur ad con-

confeſſionem, potiſſimum ſi pluries intra annum confeſſi fuerint; nihilominus iuxta univerſalem, piamque fidelium conſuetudinem, antequam ad ſacram communionem accedant, confeſſionem ſacramentalem præmittere ſolent. Et revera quiſque fidelium religioni ſibi verteret, licet nullius peccati letalis foret conſcius, ſi nec in Quadrageſima, nec in Paſchate confiteretur. Quia itaque fideles omnes, tum iuſti, tum peccatores, in Quadrageſima reipſa confitentur; idcirco hanc conſuetudinem laudat Tridentina Synodus, eamque commendant plurima alia Concilia provincialia.

IV. Quæſt. I. *Quomodo computandum ſit anni initium & finis pro obſervantia iſtius præcepti?* Reſp. Plures Auctores, nempe Vaſquez, Becanus, Lugo, Diana, ſuſtinent annum computandum eſſe a ianuario in ianuarium: quia ſic iuxta communem uſum annus computatur. Verum communiſſima, &, ut ego quidem ſentio, veriſſima ſententia annum hunc computat a Paſchate Reſurrectionis ad aliud Paſcha Reſurrectionis. Quia licet annus civilis a ianuario in ianuarium ſupputetur; annus tamen eccleſiaſticus commodius intra duo Reſurrectionis Paſchata includitur: &, quia ſententia communiſſima eſt, Auctores non recenſeo.

V. Quæſt. II. *An qui per integrum annum confeſſus non fuit, teneatur, cum primum commode poſſit, confiteri?* Reſp. Sylveſter, Ledeſma, Marchantius, & alii reſpondent negative. Leander *tract.* v. *de pœnit. diſp.* III. *quæſt.* XLI. aſſerit, S. Antoninum hanc docere ſententiam *III. Part. tit.* IX. *cap.* IX. ubi ſanctus Archipræſul agit de proceſſu per denuntiationem. Titulo vero XIV. *cap.* XIX. ubi de confeſſionis præcepto tractat, nec verbum habet quod huic ſententiæ faveat. Contraria opinio communis, & vera eſt. Eam docent Navarrus *cap.* XXI. *num.* 45. Suarez *diſp.* XXXVI. *ſec.* 4. *num.* 2. Vaſquez *quæſt.* XC. *dub.* 2. *art.* 3. Victoria *num.* 147. Coninchius *diſp.* V. *num.* 65. Layman *tract.* VI. *cap.* V. *num.* 9. Nugnus *in addit. quæſt.* VI. *artic.* 5. *diff.* 6. Lugo *diſp.* XV. *numer.* 17. Diana *III. Part. tract.* IV. *reſol.* 130. Becanus, Valentia, Bonacina, Palaus, Leander, Salmanticenſes, & alii communiter. Ratio ex ipſius præcepti natura depromitur. Quoniam præcepti intentio eo pertinet, ut fideles abſolute confiteantur infra annum, & ultra annum non differant. Abſolute iure divino confiteri fideles tenentur. Eccleſia præcipit ut quotannis hoc præceptum impleatur; & conſequenter vetat ne ultra annum differatur eiuſdem executio. Ergo qui intra annum non ſatisfacit tali præcepto, ſemper obnoxius eſt obligationi illud, cum primum potuerit, implendi. Quemadmodum, ſi quis ſingulis annis ſolvere cenſum teneatur, & uno anno ſolutionem omittat, anno tranſacto, non liberatur a debito ſolutionis, ſed multo magis obſtringitur Ergo ex forma, & intentione eiuſmodi præcepti aperte colligitur, quod fideles non teneantur confiteri ante finem anni vi eiuſdem præcepti, & quod nequeant confeſſionem ultra annum differre. Idque apertius ex uſu, & praxi Eccleſiæ conſtat.

Digitized by Google

ſtat. Siquidem fideles qui iſtius præcepti obſervantiam ultra annum differunt, excommunicationem incurrunt, a qua non abſolvuntur, niſi confeſſione peracta. Quod ſi tenentur confiteri, ut excommunicationis abſolutionem aſſequantur, evidenter elicitur, non extingui obligationem confitendi, tranſacto anno; ſed præceptum ſemper urgere, donec impleatur. Si enim excommunicati eſſent ob ſolam omiſſionem confeſſionis; patrata culpa, pœna remitti poſſet. Sed Eccleſia vetat ne eiuſmodi fidelibus abſolutio ab excommunicatione concedatur, uſque dum confeſſionem, quam omiſerunt, peregerint. Manifeſto itaque conſtat præceptum iſtud obligare etiam poſt elapſum annum.

VI. Obiiciunt Auctores primæ ſententiæ. Præceptum affirmativum, determinate obligans pro aliquo tempore, illo tranſacto non obligat; ut patet in præcepto ieiunii, in præcepto audiendi Sacrum, & in præcepto recitandi horas canonicas. Idem ergo dicendum de annuæ confeſſionis præcepto. Reſpondetur negando conſequentiam. Antecedens verum eſt, quando præceptum affirmans alligat obligationem alicui tempori determinato, habetque præcipiens rationem aliquam illius temporis determinati; ut evenit in ieiunio, in Sacri auditione. Eiuſmodi ſiquidem præcepta reſpectum aliquem habent ad tempus cui obligatio affigitur; puta, quod tali die ieiunetur, & die feſto audiatur Sacrum. Præceptum autem confeſſionis nullum reſpectum peculiarem habet ad ſpatium temporis deſignati; ſed ſolum iubet intra annum confiteri, & ne ultra differatur vetat. Immo quaſi dicere poſſemus, quod hoc præceptum annuæ confeſſionis afficit directe fideles, nulloque modo tempus, niſi tamquam terminum, ultra quem executio non extendatur. Alia præcepta memorata peculiarem rationem habent dierum in quibus ieiunandum, & audiendum Sacrum eſt. Quod ſi eadem præcepta abſolute lata fuiſſent, ipſoſque fideles immediate, ut dicitur, ſpectarent; idem de illis ac de confeſſione dicendum foret. Nonne, quando Confeſſarius imponit pœnitenti ut bis in hac hebdomada ieiunet, vel audiat Sacrum, vel recitet officium mortuorum, ſi hac in hebdomada penſum ſolvere omiſerit pœnitens, tenetur, cum primum potuerit, illud reddere: quoniam hoc præceptum non reſpicit hebdomadam, niſi tamquam terminum obligationis implendæ? Idem omnino eſt dicendum de præcepto annuæ confeſſionis.

VII. Quæſt. III. *An, ſi quis anno elapſo confeſſionem omiſerit, & confiteatur ſub iſtius anni initium, ſatisfaciat hac unica confeſſione utriuſque anni præcepto?* Reſp. Cardinalis de Lugo *diſp.* xv. *num.* 180. Dicaſtillus *diſp.* vi. *dub.* 8. *num.* 138. Henricus a S. Ignatio *Lib. V. cap.* clxxxv. *num.* 2291. & alii affirmantem opinionem defendunt: quia, quando eadem res eodem tempore, duplici præcepto imperatur, unica actione impleri poteſt; ut patet in recitatione horarum ex præcepto Regulæ, & Eccleſiæ Regularibus impoſita. Alteram ſententiam defendunt Diana *IV. Part.* *tract.*

tract. v. *reſol.* 206. Leander *tract.* v. *diſp.* III. *quæſt.* xliv. Hurtado *diſp.* VII. *diff.* 12. & alii. Auctores iſti docent, quod, ſi fidelis culpabiliter diſtulerit confeſſionem anni præteriti in hunc annum, mortalemque hoc anno commiſerit culpam, ſatisfaciat unica confeſſione utrique præcepto; nec teneatur hoc anno iterum confiteri: quia revera ſuppoſuit clavibus Eccleſiæ materiam neceſſariam pro utroque anno. Si e contrario ſine culpa confeſſionem omiſerit anno præterito, & anno currenti nullum perpetraverit peccatum mortale; tunc teneri eum affirmant iterum confiteri. Tertia ſententia communis, quæve mihi unice in praxi ſequenda videtur, docet, hunc Chriſtianum ſua confeſſione, quam in principio illius anni facit, ſatisfacere ſolum præcepto anni præteriti; teneri vero iterum confiteri, ut ſatisfaciat præcepto anni currentis. Hanc docent Suarez *diſp.* XXXVI. *ſec.* 4. *num.* 5. Silvius III. *part. quæſt.* lxxx. *art.* II. *quæſt.* IV. Coninchius *diſp.* V. *dub.* 8. *num.* 65. Bonacina *diſp.* V. *quæſt.* V. *ſec.* 2. *punct.* 4. Navarrus *cap.* XXI. *num.* 45. Medina *cod. de conf. quæſt.* XIV. Filliucius *tract.* VII. *cap.* III. *num.* 36. Becanus *quæſt.* VIII. *cap.* XXXVI. *concl.* 5. Nugnus in *Addit. quæſt.* VI. *art.* 5. *diff.* 5. Sotus in *IV. diſt.* X. *quæſt.* I. *art.* 4. Sporer *Tom. III.* III. *part. cap.* IV. *quæſt.* I. *num.* 536. Tamburinus *tract.* II. *de* 2. *præcep. Eccle. cap.* IV. *num.* 21. (licet probabilem etiam iudicet oppoſitam) & alii plures. Ratio eſt, quia, ut diximus, præceptum hoc non elabitur cum ipſo anno; ſed, anno etiam tranſacto, præceptum urget, obligatque fidelem, ut quam primum poteſt, confiteatur. Ergo prima confeſſione ſatisfacit præcepto anni præteriti; deinde altera confeſſione (poſito quod relabatur in aliquod peccatum mortale) implebit præceptum anni currentis. Verum utique eſt poſſe uno, & eodem actu ſatisfieri duplici obligationi, eodem tempore concurrenti, quando aliquæ peculiares rationes oppoſitum fieri non iubeant. In noſtro autem caſu præceptum confeſſionis peculiari ratione afficit fideles, eoſque obligat, etiam tranſacto anno. Et ideo oportet ut una confeſſione ſatisfiat præcepto anni elapſi, & altera confeſſione præcepto anni currentis. Nec alicuius momenti eſt illud quod opponi ſolet, nempe, ſi quis differat uſque ad finem anni, aut ſi per decem vel viginti annos omittat confeſſionem, poteſt in Paſchate unica confeſſione ſatisfacere omnibus obligationibus. Quoniam aliud eſt quod unico actu aliquando poſſint multæ impleri obligationes; & aliud eſt quod ſemper id præſtari licite, & valide queat. Primum conceditur; ſecundum negatur. Dum ſub finem anni quis confitetur, primum omnium implet præceptum confeſſionis anni currentis; deinde manifeſtat omiſſionem præteritarum confeſſionum. Quare iuxta communem omnium exiſtimationem nulla hic occurrit difficultas. At, dum ſub initium anni confitetur, ipſemet pœnitens primum omnium intendit implere præceptum anni præteriti. Denique in hac materia non humana ratio, ſed Eccleſiæ praxis conſulenda eſt. Porro Paſtores Eccleſiæ non abſolvunt fideles ab excommunicatione, donec

Digitized by Google

donec confiteantur: & dum ſub initium anni ſupplent confeſſionem anni præteriti, ſub eadem cenſura ab illis exigunt ſequentem confeſſionem, ut advertit Suarez loco laudato. Idcirco hanc opinionem ut tutiorem amplectimur: quia magis Eccleſiæ intentioni, & praxi eam exiſtimamus conſentaneam.

VIII. Quæſt. IV. *An qui ineunte anno prævidet ſe a confeſſione impediendum fore in toto ſequenti anni tempore vel ob penuriam Confeſſariorum, vel ob aliud obſtaculum, teneatur confeſſionem anticipare?* Reſp. Affirmative reſpondent omnes Doctores quos ego legi. Ratio evidens eſt. Obligatio præcepti incipit ſub initium anni urgere, & intra latitudinem eiuſdem anni implenda eſt. Ergo qui prævidet ſe ſub finem anni impleturum minime fore hanc obligationem, tenetur eam exequi tempore antecedenti; ſicut qui ſummo mane diei dominicæ prævidet ſe impediendum fore a Sacro audiendo, tenetur illud mane audire, ut præceptum impleat.

IX. Quæſt. V. *An qui ſemel in anno confeſſus eſt peccata mortalia, ſi ante finem anni in novum peccatum mortale relapſus fuerit; vel qui venialia confeſſus ſæpius, & iterum, intra annum mortaliter peccet, teneatur illo anno iterum confiteri, ut præcepto ſatisfaciat?* Reſp. Secunda pars ex dictis paullo ante liquet. Venialia enim non ſunt confeſſionis materia neceſſaria. Quapropter, ſi quis mortale perpetret ante finem illius anni, in quo ſæpius venialia eſt confeſſus, tenetur mortale quod intra illum annum perpetraverit, vi præcepti confiteri. Idem dicendum de eo qui in confeſſione venialium oblitus fuerit abſque culpa peccatum mortale: tenetur enim, ſi intra annum recordetur, confiteri illud. Primam partem, nempe eum qui ſemel confeſſus eſt peccata mortalia, non teneri vi præcepti iterum confiteri intra eumdem annum, etiamſi nova peccata mortalia iteret, Doctores plures tuentur, Lugo, Diana, Bonacina, Leander, Hurtado, Salmanticenſes, & alii. Sed ex iis quæ dicta ſunt *num.* 3. oppoſita opinio probabilior nobis videtur; quam docent Suarez *diſp.* XXXVI. *num.* 9. & 10. ac Henriquez *Lib. IV. cap.* IV. *num.* 2. Ratio, quam iam ſupra indicavimus, valida eſt. Eccleſia iubet cuicumque fideli confiteri omnia peccata infra annum commiſſa. Ergo qui ſub finem anni conſcientiam habet peccati mortalis, illud confiteri tenetur. Eccleſia, inquis, ſemel confiteri præcipit. Verum eſt. Sed ſimul præcipit omnia illius anni peccata confiteri. Qui ſemel confitetur omnia peccata totius anni, implet præceptum. At, ſi nova peccata committat intra annum, antequam annus elabatur, ea clavibus ſubmittere debet. Non ad pura præcepti verba, ſed ad intentionem Eccleſiæ animum intendere debemus. Porro intentio, & conſuetudo Eccleſiæ ita interpretari videtur ſenſum iſtius præcepti: nempe ut fideles qui in Quadrageſima conſcientiam habent peccati mortalis, teneantur, antequam tempus paſchale excurrat, hoc mortale peccatum confiteri; etiamſi ob aliquam cauſſam communionem percipere nequirent. Siquidem iuxta piam, & rationabilem exiſtimationem

pec-

peccata totius anni ſunt integra iſtius præcepti materia. Ergo, inquis, toties confiteri debemus, quoties letaliter delinquimus. Inepta eſt conſecutio. Solum enim adſtringeris omnia totius anni peccata confiteri, ſive una, ſive pluribus confeſſionibus. Hinc reiicio quod inquit Cardinalis Lugo *diſp.* xv. *ſec.* 7. *num.* 169. videlicet eum qui ſemel intra annum confeſſus eſt peccata venialia, & mortale dubium, ſi incidat ante finem anni in peccatum mortale certum, non teneri ad novam confeſſionem, ut præcepto ſatisfaciat. Quoniam, licet peccatum dubium ſit materia neceſſaria confeſſionis; compertum tamen non eſt quod ſit materia ſufficiens pro præcepti obſervantia, quando adeſt materia certa. Præceptum confeſſionis comprehendit integrum anni ſpatium. Si intra annum materia certa adeſt, qua illud impleri valeat; non video cur ſola materia dubia impleri poſſit. Peccata enim venialia, quæ ſimul cum dubia culpa ſubiiciuntur clavibus, licet conferant ad conſtituendam materiam certam confeſſionis; nihil tamen conferunt ad obſervantiam præcepti annuæ confeſſionis. Quare in praxi, non modo ratione communionis paſchalis, ſed etiam ut præceptum tuto impleatur, præfatum fidelem ad confeſſionem peccati mortalis certi, intra annum commiſſi, ego obligarem.

X. Quæſt. VI. *An qui, adhibita ſufficienti diligentia, confitetur omnia peccata quæ memoriæ occurrunt, ſi poſt confeſſionem alicuius peccati obliti recordetur, teneatur illud, antequam elabatur annus, confiteri?* Reſp. Communiſſima ſententia eſt negativa, quam præter Auctores laudatos *quæſt. præc.* defendit etiam Suarez loco citato *ſec.* IV. *num.* 8. eo quod qui omnia peccata quæ memoriæ occurrunt, confitetur, adhibetque omnem diligentiam, ut omnia confiteatur, revera ſatisfacit intentioni Eccleſiæ, quæ præcipit confiteri omnia peccata commiſſa illo anno; atque hanc confeſſionem ſuam extendit ad omnia peccata quæ per totum annum commiſit. Quæ ſane opinio valde probabilis eſt. Oppoſitum tamen defendit Medina *Lib. X. cap.* IV. *§.* 41. rationemque prodit minime ſpernendam. Qui ex iuſta cauſſa omiſit confeſſionem annuam, tenetur, cum primum poteſt, confeſſionem ſupplere: idem ergo videtur dicendum etiam de eo qui peccatum aliquod oblitus inculpabiliter eſt. Utraque opinio probabilis eſt. At ſecurior eſt ſecunda.

XI. Quæſt. VII. *An qui propter iuſtam cauſſam omittit ſcienter aliquod peccatum mortale, aliis manifeſtatis, teneatur illud confiteri intra annum, ſi commode poſſit?* Reſp. Multi, nempe Lugo, Dicaſtillus, Leander, & alii negative reſpondent. Sed probabilior mihi videtur opinio affirmativa. Quia tenetur quiſque confiteri omnia peccata illo anno commiſſa. Ergo, ſublato impedimento, excuſante a manifeſtatione alicuius peccati, urget obligatio illud confitendi. Quod ſane & rectæ rationi, & Eccleſiæ intentioni ſatis conſentaneum videtur. Reſpondet Layman *Lib. V. tract.* VI. *cap.* V. *num.* 10. Concilium Lateranenſe præcipere ut omnia peccata fide-

fideles confiteantur, quatenus id pertinet ad integritatem confeſſionis; ideſt, ne quis aliquod mortale retineat, vetat: non autem eo pertinent verba Concilii, ut omnia peccata intra annum commiſſa neceſſe ſit confiteri. At reſponſio iſthæc arbitraria eſt, omnique deſtituta fundamento. Quoniam Concilium eo loci nullo modo loquitur de integritate confeſſionis. Supponit enim integre fieri debere, quotieſcumque fit. Sed iubet fideles ſemel in anno omnia peccata ſua Sacerdoti confiteri. Confeſſio ſacramentalis ſuapte natura integritatem includit. Quare, ſi *τὸ omnia peccata* integritatem ſpectaret confeſſionis, clauſula ſuperflua foret. Dicendum itaque, Concilium præcipere ut fideles quotannis ſemel omnia illius anni peccata confiteantur: quod & rectæ rationi, & Eccleſiæ intentioni ſatis congrum cenſetur. Neque quod Lugo ſubdit, nobis probatur, nimirum eum qui in mortis articulo aliquod mortale confeſſus eſt, plura vero ob impotentiam omiſit, non teneri ad hæc peccata omiſſa confitenda, etiamſi convaluerit infra annum, & commode poſſit confeſſionem, ſi velit, peragere. Non, inquam, hæc opinio nobis probatur: quoniam & rationi, & Eccleſiæ intentioni, ut dictum eſt, valde conforme videtur ut quiſque, remoto impedimento, impleat præceptum illud a cuius obſervantia ratione impotentiæ excuſabatur. Omnia quæ in oppoſitum afferuntur, frigidæ ſunt ſubtilitates.

CAPUT IV.

Præceptum annuæ confeſſionis non impletur per confeſſionem invalidam. Aliæ nonnullæ difficultates explicantur.

I. MAgna olim contentione diſputabant Theologi, num fideles confeſſione invalida, ſive culpa pœnitentis, ſive malitia Confeſſarii, præcepto annuæ confeſſionis ſatisfacerent. Affirmantem ſententiam propugnabant Alenſis, Gabriel, Paludanus, Sylveſter, Victoria, Canus, & alii, hac innixi ratione. Eccleſia præcipit tantum actnm exteriorem, ſecus internum. Qui ergo exterius peccata confitetur, licet interno deſtitutus dolore, Eccleſiæ præcepto ſatisfacit. Immo crediderim ego, inquit Canus *relect. de pœn. p. 6.* quod, cum peccator ſe ſiſtit Sacerdoti iuxta præſcriptum illius capituli, *Quod quidam de pœnitentiis*, etiamſi non recipiat abſolutionem, impleat præceptum Eccleſiæ ex quadam eiuſdem Eccleſiæ pia & clementi diſpenſatione.

II. Contrariam ſententiam defendunt Durandus in *IV. diſt.* XVII. *quæſt.* XIV. Soto in *IV. diſt.* XVIII. *quæſt.* III. *art.* 5. Petrus Soto *lect.* 8. Navarrus *cap.* X. *num.* 4. Medina *quæſt.* XXIV. Suarez *diſp.* XXXVI. *ſec.* 7. Nugnus *in addit. quæſt.* VI. *art.* 5. *diff.*

diſſ. 6. Cardinalis de Lugo *diſp.* XV. *num.* 136. Gonet *diſp.* VIII. *art.* 2. Sylvius in *III. P. quæſt.* VI. *art.* 5. Leander *tract.* V. *diſp.* III. *quæſt.* IIII. & paucis, ne in ſingulorum recenſione tempus teram, omnes Theologi, poſtquam Alexander Papa VII. damnavit ſequentem propoſitionem, quæ in ordine eſt 14. *Qui facit confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ*. Planum itaque nunc eſt ex declaratione Eccleſiæ, fideles qui invalide confitentur, non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ. Ratio quoque evidens eſt. Nam præceptum Eccleſiæ eſt determinatio præcepti divini; ſeu Eccleſia iubet fideles ſingulis annis ſemel implere præceptum quo Deus imperat peccatorum confeſſionem. Hoc autem divinum præceptum impleri nequit, niſi per ſuſceptionem ſacramenti. Porro qui confeſſionem nullam facit, non ſuſcipit ſacramentum. Fatentur & adverſarii, præceptum divinum non impleri per confeſſionem invalidam ex defectu doloris interni, quia Deus poteſt præcipere actus internos; impleri vero ſubdunt præceptum eccleſiaſticum, eo quod Eccleſia actus internos præcipere nequeat. At reſponſio nulla eſt: tum ob rationem datam, nimirum quia præceptum eccleſiaſticum eſt determinatio iuris divini; tum quia Eccleſia reipſa præcipere valet, & præcipit actus internos, ſine quibus actus non conſiſtunt externi, qui ab illa ipſa præcipiuntur. Ergo Eccleſia; præcipiens externam peccatorum confeſſionem, ſimul internum dolorem, ad hanc confeſſionem ſacramentalem neceſſarium, imperat. Quod confirmatur ex cap. *Utriuſque ſexus* de pœnit. & remiſs. ubi Eccleſia præcipit fideles omnia peccata ſua mortalia fideliter & ſincere confiteri. Qui revera de peccatis ſuis non dolet, qui aliquod peccatum omittit, qui firmum propoſitum emendationis non habet; is ſane nec fideliter, nec ſincere, ſed ficte, & infideliter confitetur. Tandem qui facit confeſſionem voluntarie nullam, reipſa omittit confeſſionem, quam Eccleſia præcipit. Quoniam Eccleſia non præcipit confeſſionem ludicram, ſeu ſpeciem, & ſimulacrum confeſſionis; ſed confeſſionem veram, & ſinceram, atque adeo validam.

III. Ex quibus infertur, illum non ſatisfacere Eccleſiæ præcepto qui facit confeſſionem ex quocumque capite, ſive ex defectu doloris, ſive ex occultatione alicuius peccati interni, ſive ex defectu veri propoſiti ſe ſe emendandi, nullam. Et conſequenter hic obnoxius eſt excommunicationi ſynodali, quam plures Epiſcopi infligunt in ſuis diœceſibus iis omnibus qui ſemel in anno confiteri omnia peccata ſua omittunt. Quia licet crimen iſtud probari nequeat, quando ex defectu actus interni contingit; hoc tamen non impedit quominus Eccleſia excommunicationis pœnam ferre poſſit in eos qui renuunt confiteri, ſicut Eccleſia præcipit. Neque pœna iſta in actum internum vibratur; ſed in externam, & contumacem omiſſionem ſacramentalis confeſſionis. Et hæc opinio communis eſt.

IV. Quærunt etiam communiter Theologi, an per confeſſionem validam, ſed in-

informem, impleri poſſit hoc præceptum annuæ confeſſionis ? Qui negant dari poſſe validam confeſſionem, ſimulque informem, conſequenter negant poſſe quemquam per talem confeſſionem ſatisfacere Eccleſiæ præcepto. Contra vero qui defendunt dari reipſa poſſe ſacramentum validum, & informe, nempe abſque effectu gratiæ ſanctificantis, propugnant pariter, tali confeſſione ſatisfieri præcepto eccleſiaſtico. Quid ego ſentiam, tum manifeſtabo, cum in tractatu de ſacramento pœnitentiæ hanc diſcutiam controverſiam de ſacramento valido, & informi. Obiter hic tantum dico, quod, admiſſa ſententia defendente confeſſionem validam & informem, admitti etiam poteſt, ut communiter admittunt Theologi, tali confeſſione impleri poſſe præceptum annuæ confeſſionis.

V. Neque huic præcepto ſatisfit ea confeſſione in qua abſolutio Sacerdotis non obtinetur, ſive id ex eius malitia, ſive ex eius oſcitantia contingat. Quoniam, dum Eccleſia confeſſionem præcipit, ſuſceptionem iubet ſacramenti; ſublata autem quocumque ex capite abſolutione, ſacramentum haudquaquam conficitur. Ergo præceptum non impletur. Quemadmodum qui Euchariſtiam ſe percipere putaret, hoſtia minime conſecrata ſumpta, præcepto communicandi non ſatisfaceret: quia reipſa ſacramentalem communionem non ſuſcepiſſet, ſive ex malitia, ſive ex negligentia Sacerdotis id accidiſſet: & fidelis, errore detecto, ad communionem veram ſuſcipiendam adſtrictus foret. Idem ergo dicendum de eo qui in peccatorum confeſſione abſolutionem non eſſet aſſecutus. Hæc opinio communis eſt. Sunt tamen aliqui qui oppoſitum ſentiunt, eo quod culpa Sacerdotis non debet, nec poteſt nocumentum pœnitenti inferre: potiſſimum quia non eſt in poteſtate pœnitentis abſolutio ſacramentalis. Nec Eccleſia ad id obſtringere fideles poteſt quod eſt extra eorum voluntatem, nec ab eis pendet. Hæc tamen omnia evincunt ſolum fideles excuſari a culpa violationis præcepti, bona fide ſuffragante. At bona fide ceſſante, confeſtim criminis rei evaderent, ſi defectum, qui præter eorum voluntatem contigit, ſupplere non curarent. Licet abſolutio non ſit in eorum facultate; eorum tamen poteſtatis eſt alium adire Sacerdotem, defectu cognito, a quo abſolutionem obtineant. Quando itaque defectus eſt ſolum ex parte Sacerdotis, fideles bona fide operantes excuſantur tum a culpa, tum a pœnis; ſed non liberantur a debito implendi præceptum, fraude, ſeu defectu detecto.

Digitized by Google

CAPUT V.

De iis qui huic præcepto ſubjecti ſunt : & de cauſſis quibus quandoque fideles aliqui ab obſervantia iſtius præcepti excuſari queunt.

I. IAM ſub initium diſſertationis dictum eſt, omnes homines baptizatos, non modo catholicos, ſed etiam hæreticos, teneri ad præceptum confeſſionis. Expendendum nunc breviter ſupereſt, qua ætate Catholici ipſi implere hoc præceptum adſtringantur. Aliquod enim faceſſit negotium Theologis clauſula illa Lateranenſis Concilii, *Omnis utriuſque ſexus fidelis, cum ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua, ſaltem ſemel in anno, confiteatur*. Alii ſiquidem volunt, tunc cenſendos eſſe pueros ad annos diſcretionis perveniſſe, cum annum attigerint pubertatis, nempe 14. neque ante hunc annum ad confeſſionis annuæ præceptum adſtringi. Hæc opinio communiter reprobatur. Alii, quos inter D. Antoninus *II. Part. tit.* IX. *cap.* VIII. *§.* 2. ſuſtinent, pueros circiter undecimum, puellas circiter decimum ſuæ ætatis annum obſervantiæ iſtius præcepti ſubjectos eſſe. Sed communis ſententia docet, pueros, cum primum illis affulget rationis lumen, ad hoc præceptum teneri : quod contingere circa ſeptennium communiter ſolet. Quid, ſi ante ſeptennium ratione potiantur? Negant Caſtropalaus *tract.* 111. *diſp.* 1. *punct.* 24. *§.* 2. *num.* 3. Diana *IV. Part. tract.* 111. *reſ.* 52. & alii, eos ad annuæ confeſſionis præceptum adſtringi. Sed communis, & vera opinio docet, pueros, ſtatim ac obtinuerint rationis uſum ad peccandum mortaliter, iſtius legis obligatione conſtringi. Et quemadmodum, ſi tardius ſeptennio lux rationis illis ſplendeat, ſolum poſt ſeptennium, & aliquando poſt octennium, confiteri tenentur ; ita ſi lux iſta ſeptennium præveniat, ante ſeptennium pueri confiteri debent. Quamquam, ut id quod magis praxi inſervit, dicam, frequentius poſt ſeptennium, ne dicam octennium, quam ante, uſus rationis in pueris contingit. Aliquando pueri lumen ſufficiens habent ad peccandum, ſecus ad pœnitendum : facilior namque eſt cognitio turpitudinis, & malitiæ, quæ naturali verecundiæ adverſatur, quam notitia gravitatis divinæ offenſæ, doloris ſupernaturalis, & neceſſarii propoſiti pro vera confeſſione. Quare puerorum Confeſſarii primum omnium ſumma ſint patientia inſtructi oportet, atque caritate ardentes, & dexteritate prædîti. Primo ex variis tum interrogationibus, tum reſponſionibus deprehendere ſtudeant, num pueri revera cognoſcant ſe letaliter peccaſſe, & quid ſit Deum graviter offendere. Qua habita cognitione, ſuper pœna peccato mortali debita eos inſtruere debent, ob illorum oculos æternæ gloriæ privationem, atque inferni atrocia tormen-

Digitized by Google

menta exponendo. Si indolis ingenuæ, & ad bonum propenſæ illos deprehenderint, poterunt abſolutionis beneficium illis impertire; ſecus vero, ſi fuerint vel tardioris mentis, vel naturæ vagæ, & in malum pronæ. Sed pro iſtis maiorem adhibeant Confeſſarii diligentiam neceſſe eſt, eos ſæpius interrogando, inſtruendo, abſolutionem differendo. Eos tamen de dilatione abſolutionis admoneant, quotidianum exercitium alicuius devotionis erga B. Virginem, Angelum Cuſtodem, Sanctumque, cuius præferunt nomen, imponant. In his Chriſtianiſmi officiis eos exercere curent, & qua minis, qua adhortationibus conentur in timore Domini eos inſtruere, atque in eorum mente defigere, in hunc ſolum finem creatos, redemptoſque fuiſſe, ut paradiſum aſſequantur, evitentque infernum. Improbum, moleſtumque laborem deliniat dulcis, & ſecura ſpes præmii ſummi quod eiuſmodi Confeſſariis paratum a Deo eſt: quandoquidem ex optima puerorum diſciplina magnopere mundi pendet reformatio; proindeque eorumdem inſtructio magni meriti res eſt.

II. Quæſt. I. *An ſenes octogenarii annuæ confeſſionis præcepto ſubiecti ſint?* Reſp. Non dubito quin lector ſupercilia contracturus ſit, dum hoc quæſitum expoſitum legerit; ſed certus quoque ſum, maiori cum indignatione eum lecturum cauſſam cur illud ego diſcutiendum propoſuerim. D. Didacus de Narbona Ictus non obſcuri nominis, *in libro de ſtatu hominis ad annum octogeſimum quæſt.* IV. *num.* 2. *pag.* 682. negat viros octogenarios præcepto confeſſionis, aliiſque eccleſiaſticis mandatis ſubiectos eſſe. Relata ſiquidem opinione, adfirmante eoſdem legibus eccleſiaſticis conſtringi, illam refellit, ſuamque contrariam firmat his verbis. *Verumtamen contrarium, non ſolum probabilius, ſed certius mihi videtur. Ideoque tenendum profiteor, ſenectutem illam, utpote octuagenariam, quæ fere ſemper ita homines ſimplices, & rationis reddit expertes, ut nihil a pueris differre videantur, veluti hoc eodem anno pluribus oſtendimus, ab omnibus, & quibuſcumque tam eccleſiaſticis, quam divinis legibus eos immunes reddere. Et ratio eſt, quoniam eiuſmodi ætatis ſenes infantes pueri ſunt. Ita Hippocrates, ut refert Alphonſus a Ruizibus* in Medicina Medicor. inſipient. luminar. 2. fol. 65. *Ludovicus Vives* Lib. II. de anima, *& alii a nobis relati* q. proxime antecedenti: *quibus addenda ſunt quæ in eamdem rem adducit Velaſcus* de privilegiis miſerab. perſonar. quæſt. XVIII. num. 11. *Ergo, cum pueri ante ſeptennium his legibus ſint ſoluti, velut ſupra* num. 7. *comprobavimus, etiam octuagenarii liberi cenſendi erunt . . . Cuius ſimile eſt, quod ſcripſere Hoſtienſis* in Summa §. Quando confitendum in principio, *& poſt eum Stephanus Caieta* in repetit. cap. Ad limina §. 5. num. 107. *Palac. Rubeus in cap.* Omnis utriuſque ſexus, *verbo* Poſtquam ad annos diſcretionis, *de pœn. & remiſs. ſcilicet ita ſenes, qui iam diſcretione carent, ut ſæpenumero octuagenarii eſſe ſolent, nec præcepto annuæ confeſſionis, aut ſuſceptionis Euchariſtiæ in Paſchate teneri, eo nimirum quod ſu-*

pra diximus, quia in eis eadem capacitatis deficientia, ac in parvulis, militat: igitur, quemadmodum iſti a quocumque eccleſiaſtico præcepto hac ratione reperiuntur immunes, ſic & illi eſſe debebunt. Hactenus Narbona, qui, dum hæc ſcribebat, fuerit oportet ex illis ſenibus vietis, & depontanis, qui non cauſſa ætatis, ſed infirmitatis, aliquando rationis occaſum patiuntur.

III. Hæc Narbonæ opinio prorſus improbabilis (ut modeſtius quam conditio cauſſæ fert, loquar) eſt. Quod aliquando homines octogenarii rationis expertes fieri poſſint ob aliquam infirmitatem, quemadmodum & ſexagenarii, quinquagenarii, aut quadragenarii, nemo inficias iverit. At quod ætas octogenaria lumen rationis extinguat, vel ita obnubilet, ut a præceptis Eccleſiæ, immo & a divinis legibus eiuſdem ætatis ſenes abſolvat, nemo ſanæ mentis dixerit. Nec Hoſtienſis a Narbona laudatus aſſerit, octogenarios ſenes a confeſſionis præcepto, ſed a ieiunii lege ſolutos eſſe; quin expreſſe adfirmat, confeſſionis lege eos teneri. Inquit enim loco citato. *Item confitendum eſt tempore pueritiæ .... Item & tempore ſenectutis: in quo caſu, ſi eſt in ætate decrepita, ſcilicet ultra ſenium iam proceſſit, puta poſt* 80. *annos alleviari debet ieiuniis, & gravari orationibus ..... Quid, ſi ſit ita ſenex, quod omni diſcretione careat? Dic ſicut de pupillo & furioſo.* Hoſtienſis ergo aſſerit, eos ſenes dumtaxat qui, ut furioſi, mentis lumen amiſerunt, legibus non teneri. At nec verbum habet quod indicet ætatem octoginta annorum rationis lumen ita obſcurare, ut auferat debitum obſervandi leges eccleſiaſticas, & divinas; ſicut defendit Narbona. Cum itaque manifeſtiſſima experientia compertum, exploratumque ſit, ſenes octogenarios, non modo rationis uſu potiri, ſed & prudentia, atque diſcretione præditos communiter eſſe, plus minuſve, prout magis vel minus in virili ætate ingenio abundarunt: conſequitur, eoſdem obſervationi legis tum divinæ, tum eccleſiaſticæ ſubiectos eſſe; pigetque in re certiſſima amplius immorari.

IV. Quæſt. II. *An ſummi Pontifices huic annuæ confeſſionis præcepto obnoxii ſint?* Reſp. Negant aliqui, nempe Ricardus in *IV. diſt.* XVII. *art.* 2. *quæſt.* 4. *ad* 5. Navarrus *de pœnit. diſt.* V. *§.* 1. *num.* 32. Ludovicus de S. Iuvan. *quæſt.* V. *de Confeſſ. art.* 6. *dub.* 2. quia, cum Pontifex ſit ſupra Concilium, Concilii lege non obſtringitur. Quæ ratio nulla eſt: quia, licet ſummus Pontifex ſit Concilio ſuperior, non inde tamen infertur a legis obligatione eum liberum eſſe; ſed ſolum conſequitur eum ſubiectum non eſſe poteſtati cogenti. Obligatur itaque ſummus Pontifex legem, ſive in Concilio, ſive a ſe extra Concilium latam, obſervare ſecundum vim dirigenrem, non per poteſtatem cogentem; ut peroptime aſſerit S. Thomas 1. 2. quæſt. XCVI. art. 5. ad 3. *Princeps dicitur eſſe ſolutus a lege, quantum ad vim coactivam ... Sed quantum ad vim directivam legis Princeps ſubditur legi propria voluntate, ſecundum quod dicitur .... Patere legem, quam ipſe tuleris.*

D. Tho-

D. Thomæ ſententiam communiter defendunt Theologi, Suarez *diſp.* xxxvi. *ſec.* 2. *num.* 5. Covarruvias in *cap.* Alma Mater, *I. P. cap.* 1. *§.* 5. Bonacina *diſp.* iii. *quæſt.* v. *ſec.* 2. *punct.* 4. *num.* 4. Lugo *diſp.* xv. *num.* 142. Azorius *Lib.VII. cap.* xxix. Becanus *cap.* xxxvi. *de pœn. quæſt.* iii. Vaſquez *quæſt.* xc. *art.* 1. *dub.* 5. *num.* 12. & alii plurimi.

V. Quæſt. III. *An præter præceptum contentum in cap.* Utriuſque ſexus *&c. detur alia lex quæ obliget ad ſecretam peccatorum confeſſionem?* Reſp. Nullum aliud præceptum reperitur præter illud quod explicuimus, obligans omnes fideles ad confitendum peccata pluſquam ſemel in anno. Duo dumtaxat dantur iura, quæ confeſſiones religioſarum perſonarum ſpectant. Primum eſt in Clementina 1. *Ne in agro*, ubi præcipitur ut Religioſi ſancti Benedicti ſingulis menſibus confiteantur. In controverſiam vocant Theologi, num ii ſoli Religioſi præfatæ legi ſubiiciantur qui conſcientiam habent alicuius peccati mortalis; an vero etiam alii qui nonniſi venialium peccatorum rei ſunt. Primam ſententiam defendunt Sotus *in IV. diſt.* xviii. *quæſt.* 1. *art.* 3. Paludanus *diſt.* xvii. *quæſt.* ii. *artic.* 4. Diana *Part. VIII. tract.* 1. *reſol.* xvi. Leander *tract.* v. *diſp.* iii. *quæſt.* xlix. & alii apud eumdem. Secundam propugnant Caietanus *Tom. I. opuſc. tit.* v. *quæſt.* 1. Canus *relect. de pœnit. part.* v. Navarrus *in cap.* Placuit *de pœnit. diſt.* vi. *num.* 122. Layman *tract.* vi. *cap.* v. Nugnus *in addit. quæſt.* vi. *art.* 5. *diff.* 7. Suarez *diſp.* xxxvi. *ſect.* 5. *num.* 7. Vaſquez *quæſt.* ix. *artic.* 2. *dub.* 3. Henriquez *Lib. I. de pœnit. cap.* iv. *num.* 10. Granados *tract.* ii. *diſp.* ix. *num.* 21. Hanc ſecundam nos probabiliorem reputamus. Quoniam veriſimile minime eſt Pontificem præſumpſiſſe, Religioſos illos ſingulis menſibus peccaturos mortaliter. Sed legem tulit pro monaſticæ diſciplinæ reformatione, ſeu conſervatione. Et ſicuti pro chriſtiana diſciplina ſemel in anno Eccleſia definivit eſſe a fidelibus confeſſionem peragendam; ſic pro monaſtica diſciplina ſemel ſingulis menſibus Monachos confiteri debere, Pontifex ſummus decrevit. Id autem diſcriminis intercedit, quod vi cap. *Utriuſque ſexus* obligantur fideles directe ad mortalium peccatorum confeſſionem; Monachi vero, qui ſtatum perfectionis profitentur, confiteri tenentur leves culpas, a quibus nemo mundus evadit, ſingulis menſibus. Quæ interpretatio conſentanea eſt aliis plurimis ſtatutis ſacrorum Ordinum, in quibus præcipitur ut Religioſi vel ſingulis hebdomadibus, vel bis in menſe confiteantur.

VI. Quæſt. IV. *An hæc lex Clementina obliget præfatos Monachos ad confeſſionem venialium ſub mortali?* Reſp. Leander pro affirmante ſententia recenſet loco laudato *quæſt.* xlix. Canum *relect. de pœnit. part.* v. Caietanum *Tom. I. opuſc.* Suarez *diſput.* xxxvi. *ſec.* 5. & alios. Canus conceptis verbis oppoſitum ſcribit, inquiens, *eam Clementinam obligare quidem Monachos ad menſtruam confeſſionem venialium, non tamen ſub mortali; ut patet ex pœna ſubiecta, quæ non adeo gravis eſt.* Idem

ſentit Caietanus. Et Suarez, quamquam aſſerat, colligendam non eſſe obligationis gravitatem ex gravitate pœnæ, ſed ex legis materia, quod verum eſt; non tamen ſtatuit legem hanc obligare ſub mortali; ſed concludit hoc pendere ex inſtituto, & conſuetudine talis Religionis; quod etiam veriſſimum eſt. Quia neque ad mortalia confitenda vi præfatæ Clementinæ ſub gravi peccato Monachos teneri, ſed ad ſummum ſub veniali, communis ſententia docet. Et reipſa ex conſuetudine Religionis Benedictinæ conſtitutio Clementina non obligat ſub mortali; neque extenditur ad alias Religiones.

VII. Quæſt. V. *An aliud ius reperiatur obligans Religioſos ad confeſſionis frequentiam?* Reſp. Alterum ius indicatum eſt in Tridentino *ſeſſ.* xxv. *cap.* x. de Regularibus, ubi admonentur Sanctimoniales, ut ſingulis menſibus ad pœnitentiæ ſacramentum accedant. Quod tamen lex abſolute non eſt; ſed gravis, & pia adhortatio. *Admoneantur*, inquit Synodus, *Sanctimoniales, ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant.*

VIII. Quæſt. VI. *Quænam ſint cauſſæ ab iſtius præcepti obſervantia excuſantes?* Reſp. Plures occurrere cauſſæ poſſunt, quæ aliquos fideles excuſent ab executione huius præcepti. Et in primis planum eſt impotentiam phyſicam excuſare, quando videlicet Confeſſarius, quacumque adhibita diligentia, haberi non poſſit. Quin non ſolum phyſica, ſed etiam moralis impotentia excuſare poteſt, ut quando nonniſi poſt longum iter Confeſſarius haberi nequiret. Quando autem reputanda ſit moralis impotentia, & quænam difficultas, quodve iter ſufficiat ad conſtituendam moralem impotentiam huiuſmodi, communiter Auctores dicunt, id iudicio prudentis viri decernendum eſſe. Et ſane non una pro omnibus regula ſtatui poteſt. Nam iter unius & alterius diei non excuſabit hominem ſanum, & robuſtum, etiamſi pedes, multominus ſi equo inſidens, illud peragere deberet: excuſabit vero mulierem, puellam, hominemque debilem, alioſque ſimiles. Quare iuxta perſonarum diverſitatem prudens Confeſſarius iudicium ferre debet.

IX. Quæſt. VII. *An grave periculum famæ, honoris, vel temporanei detrimenti excuſet ab iſtius præcepti obſervantia?* Reſp. Si tibi, vel alteri ex tua confeſſione immineat notabile damnum honoris, vitæ, aut fortunæ; dubio procul a præcepto confeſſionis excuſaris: quoniam cum tanto periculo lex eccleſiaſtica non obligat. Raro tamen id accidere poteſt. Advertendum hic eſt, quod, ſi periculum foret in manifeſtatione unius, vel alterius peccati, ſecus in manifeſtatione aliorum, illa occultanda, hæc manifeſtanda forent, & dimidiata confeſſio eſſet peragenda, ut fuſius ſuo loco dicetur. Si vero quis nulla mortalia, præter ea quorum manifeſtatio periculi plena eſſet, haberet; poſſet venialia confiteri iuxta ea quæ ſupra dicta ſunt. Rurſus animadvertas velim, illud detrimentum famæ, vel honoris,

quod tu ſubires apud Confeſſarium audientem crimina, in quæ præter opinionem quam de te conceperat, lapſus es, non te excuſare ab obſervantia huius præcepti.

X. Quæſt. VIII. *An fidelis qui idioma ignorat Sacerdotis Confeſſarii, teneatur per interpretem confiteri, ut impleat præceptum annuæ confeſſionis?* Reſp. Omnes Theologi docent, præceptum Eccleſiæ non obligare cum tanto rigore, ut quis debeat per interpretem confiteri. Idque evincunt ex ipſo cap. *Utriuſque ſexus*, cuius hæc ſunt verba. *Omnis fidelis teneatur ſolus confiteri peccata ſua proprio Sacerdoti*. Illud vocabulum *ſolus* interpretem excludit. Difficultas ſolum penes Theologos eſt, an quis teneatur confiteri per interpretem, ut ſatisfaciat præcepto divino confeſſionis extra mortis articulum, & in articulo mortis. Et quo ad primam difficultatis partem, Sylveſter *verb.* Confeſſ. I. *quæſt.* XV. Archidiaconus, & alii apud eumdem Sylveſtrum ſuſtinent, etiam extra mortis articulum teneri fideles ad confeſſionem per interpretem, ut divinum impleant præceptum. Leander *tract.* V. *diſp.* VI. *quæſt.* IX. laudat pro hac ſententia etiam Canum *relect. de pœnit. part.* VI. ubi conceptis verbis oppoſitum docet: ait enim: *In reliquis vero eventibus, etiam cum iure divino confeſſio eſt in præcepto, credere ſine periculo poſſumus, neminem obligari ad confeſſionem peccatorum per interpretem*. Communiſſima eſt Theologorum opinio, extra mortis articulum neminem umquam obligari ad confeſſionem per interpretem, etiam cum divinum confitendi præceptum urgeat. Eam defendunt Caietanus *verb.* Confeſſ. *cond.* XI. Soto *diſt.* XVIII. *quæſt.* II. *art.* 6. Petrus Soto *lect.* XI. Medina *quæſt.* X. Vaſquez *quæſt.* XCI. *artic.* 3. *dub.* 3. Bonacina *diſput.* V. *quæſt.* IV. *ſect.* I. *punct.* 2. §. 2. *num.* 22. Hurtado *diſp.* VIII. *diff.* 2. Diana, Villalobos, Layman, Palaus, Salmanticenſes, & alii communiter. Contrariam ſententiam docet S. Thomas in Supplem. quæſt. IX. art. 3. ad 2. *Dicendum, quod in eo qui uſum linguæ non habet, ſicut eſt mutus, vel qui eſt alterius linguæ, ſufficit quod per ſcriptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur: quia non exigitur ab homine pluſquam poſſit; quamvis homo non poſſit, vel debeat baptiſmum accipere niſi in aqua, quæ eſt omnino ab exteriori, & nobis ab alio exhibetur. Sed actus confeſſionis eſt ab intra, & a nobis. Et ideo, quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri*. Aſſerit itaque Angelicus, quod non ſolum poſſimus, ſed etiam quod debeamus meliori quo fieri poteſt modo confiteri. Neque aſſertionem ſuam ad mortis articulum limitat; ſed abſolute loquitur. Nec porro illius abſoluta doctrina applicanda eſt eventibus, prout rationabiles videbitur. Rationi autem ſatis conſentaneum apparet in gravi periculo vitæ, vel aliqua ſpirituali neceſſitate urgente; ut ſi per plures annos quis confiteri minime potuiſſet, & ex alia parte criminum multitudine preſſus foret, medicinaque ſacramentali ſummopere indigeret: rationi, inquam, conſentaneum vide-

tur, hunc Chriſtianum debere, ſeu teneri, meliori quo poteſt modo confiteri; & conſequenter etiam per interpretem confeſſionem peragere, ut animæ ſuæ undiqueverſum vulneribus ſauciatæ conſulat, eamque priſtinæ incolumitati reſtituat. Hic Chriſtianus per contritionem, inquis, animæ ſuæ ſuccurrere valet. Id fieri poſſe, quis ibit inficias? At contritio illa, caritatis ardore æſtuans, neceſſaria ad culparum abolitionem, animæque ſanctificationem donum eſt peculiare, ad quod aſſequendum difficillime peccatores perveniunt. Qua de cauſſa laudati Auctores attritionem, ex ſolo timore inferni conceptam, ſufficere cum ſacramento volunt. Summam difficultatem, non modo contritionis perfectæ, ſed etiam imperfectæ, quæ actualem ſaltem inchoatam caritatem adiunctam habeat, opponere non deſiſtunt. Cur nunc adeo facilem hanc produnt contritionem? Si enim ſecundum ſacræ Scripturæ regulas loquendum nobis eſt, Deus dona ſua illis non impartitur qui ea quæ viribus ſuis efficere poſſunt, reipſa non præſtant. Poteſt peccator per interpretem confiteri; licet cum non levi rubore, & difficultate. Qua ergo ratione ab hac confeſſione liberandus eſt? Quia lex confeſſionis cum tanto incommodo non obligat? At hoc ipſum eſt quod vocatur in controverſiam. S. Thomas aſſerit, legem confeſſionis ad id obligare: ratio quoque ſuadere videtur. Ceterum, quia maior pars Theologorum oppoſitum docet; & ex alia parte ratio valida non occurrit; ideo a certa ferenda ſententia abſtinemus; ſolumque conſulimus, ſtandum eſſe D. Thomæ doctrinæ, quam quiſque ſuæ ſalutis magnopere cupidus executioni, ut ego quidem arbitror, occaſione data, certo demandaret. Ut tamen quid ſentio ipſe, clarius dicam, ego a præcepto annuæ confeſſionis excuſarem eum qui nequiret niſi per interpretem confiteri; minime vero excuſarem a divino præcepto. Quare Sacerdotem celebraturum, & in peccato mortali exiſtentem, ad confeſſionem per interpretem obligarem. Rationem iam iam aſſignabo.

XI. Quid porro de Chriſtiano peccatore in mortis articulo conſtituto dicendam? Caietanus, Soto, Caſtropalaus, Dicaſtillus, Antonius a Spiritu ſancto, Gabriel a ſancto Vincentio, Leander, Ledeſma, & alii docent, neque morte imminente, vi præcepti, ſive eccleſiaſtici, ſive divini, Chriſtianum adſtrictum eſſe ad confeſſionem per interpretem. Suarez *diſp.* XXXVI. *ſect. 6.* hanc opinionem vocat practice probabilem; aitque quemquam tuto poſſe eam ſequi; oppoſitam vero ſpeculative veriorem, valdeque probabilem appellat. Subdit poſtea, quemquam tum ex lege pœnitentiæ, ut Deo ſatisfaciat, tum ex debito caritatis, ut conſulat ſuæ ſaluti, ad talem confeſſionem per interpretem adſtringi. Quam ſententiam duabus temperat regulis. Si homo probabilem habeat exiſtimationem de ſua vera contritione, excuſari poterit ab obligatione confitendi per interpretem: quia talis confeſſio non videtur moraliter neceſſaria ad ſalutem. Si autem dubius foret de con-

contritione ſua, tunc teneretur confiteri etiam per interpretem; ſed hoc in caſu poſſet ea ſolum peccata confiteri quæ cum minori ſua infamia manifeſtare valeret: neque enim integritas materialis confeſſionis neceſſaria eſſet. Ad integritatem materialem quod attinet, nulla eſt difficultas. Doctrinam Suarez adoptant etiam Salmanticenſes *tract.* VI. *cap.* VII. *punct.* 2. *num.* 20. & 21.

XII. Tam ſententia quæ ſtatuit, non teneri peccatorem, in mortis articulo conſtitutum, confiteri per interpretem, quam doctrina Suarez, nullo modo mihi probatur. Et ut a doctrina quam tradit Suarez, auſpicemur, ſalvo tanto Doctori debito obſequio, ea mihi falſa videtur. Lege pœnitentiæ, & caritatis tenetur Chriſtianus etiam per interpretem confiteri; abſolvitur vero ab hac lege, ſi probabiliter putet ſe eſſe contritum? Etiamne in mortis articulo; etiamne in iis quæ neceſſaria ſunt abſolute, &, ut dicitur, neceſſitate medii probabilitas ſuffragatur? Anne fieri poteſt ut homo, peccati mortalis conſcius, ſalutem aſſequatur ſine contritione vera, quæ reipſa talis ſit? Nemo hoc dixerit. Porro qui probabilem ſolum exiſtimationem habet de ſua contritione, reipſa decipi poteſt. Nec contritio exiſtimata, nec iudicium probabile de contritione ad iuſtificationem ſufficiunt; ſed neceſſaria eſt contritio in re, &, ut dicitur, in effectu. Nemo enim dixerit, poſſe quempiam per ſolam contritionem exiſtimatam, abſque ſacramento, mortalium peccatorum ſordes eluere. Probabile ergo iudicium de corde contrito in articulo mortis a debito confeſſionis abſolvere nequit. Ex alia parte iudicium moraliter certum de eadem contritione difficillimum eſſe, in homine potiſſimum gravibus culpis obnoxio, nemo non videt. Conſequitur ergo neceſſariam eſſe confeſſionem per interpretem in tali eventu. Et hæc dicta ſint contra probabilem contritionem, quam abſque confeſſione per interpretem ſufficere, Suarez, & alii poſt ipſum docent.

XIII. Ut vero expendamus ſententiam quæ propugnat, neque in mortis articulo vi præcepti divini quempiam teneri ad confeſſionem per interpretem; teneri vero ſubdit lege caritatis erga ſe ipſum, quatenus quiſque obligatur reconciliari Deo, ne periculo æternæ damnationis ſe ſe exponat: ut, inquam, ſententiam hanc expendamus, in primis quærimus, quo fundamento aſſerant Auctores iſti; præceptum divinum non obligare ad confeſſionem per interpretem; ad eam vero obligare legem caritatis erga ſeipſum. Fortaſſe quia divina lex cum noſtræ famæ detrimento non obligat? Sed cur lex propriæ caritatis cum famæ eiuſdem detrimento obligat? Verum hæc obiter dicta ſint: & ad id quod caput eſt, accedamus. Atque primum omnium candide fateor, magni mihi ponderis eſſe auctoritatem tot Theologorum, qui negant, neceſſariam eſſe confeſſionem per interpretem, ſive vitæ tempore, ut impleatur præceptum divinum, ſive in articulo mortis, modo ſupra explicato. Sed eadem ingenuitate fateor, rationem quam,

ut

ut id evincant, afferunt, mihi non probari; quin immo valde exilem mihi videri. Nam unica eorum ratio detrimento famæ, quod confeſſionem per interpretem conſequitur, innixa eſt. Nihil enim aliud obiiciunt, niſi quod lex divina non obligat cum detrimento famæ, honoris, aliorumque bonorum.

XIV. Præceptum divinum non obligare ad confeſſionem cum gravi detrimento, quod extrinſecus timetur, ipſe concedo. Nego vero, mecumque negabit omnis prudens, qui experientiam quotidianam conſuluerit, tale detrimentum occurrere in confeſſione per interpretem. Quod ut clarius conſtet, ſtatuendum eſt tamquam extra aleam diſputationis poſitum, aliquod famæ detrimentum ſubeundum eſſe in confeſſione, quocumque modo fiat, ſive per interpretem, ſive directe in aure Sacerdotis. Id ſolum diſcriminis eſt, quod, ſi Confeſſori proxime peccata pandantur, penes unum, ſi per interpretem manifeſtentur, penes duos cuiuſdam famæ iactura fit. Nam uterque ſigillo obſtringitur. Et quamquam Confeſſarius pœnarum quoque metu, & ſacramentali vinculo os obſignatum habeat; nihilominus tamen etiam interpres graviſſimo naturali ſigillo ligatur; quod naturale ſigillum tantam vim habet penes viros probos, quantam penes Confeſſarios ſigillum ſacrum: neque prudenter timeri poteſt interpretem revelaturum peccata quæ hac via cognoverit. Præterquamquod peccatum valde enorme, vel contra bonum publicum, vel aliud ſimile, reticeri tunc temporis poſſet: neque enim neceſſariam aſſerimus in hoc caſu integritatem confeſſionis materialem. Accedit quod mundus univerſus, ſicuti Confeſſarium, ita & interpretem, qui peccata ſic cognita proderet, tamquam infamem, ſceleſtum, & fedifragum execraretur, atque terra marique exterminandum decerneret. Ex quibus colligitur, famæ detrimentum, cui obnoxia eſt confeſſio per interpretem, non aliud eſſe, niſi quod peccata, quæ alioqui deberent eſſe nota uni, ſint nota duobus. Hoc eſt totum illud damnum, hoc integrum detrimentum, quod tanto verborum apparatu exaggeratur, amplificaturque. Hoc autem detrimentum tanti minime eſt, ut a confeſſione per interpretem excuſare, quemadmodum ego quidem arbitror, valeat. Quoniam, admiſſo debito confeſſionis faciendæ Sacerdoti, parum refert quod uni, vel duobus peccata manifeſtentur. Quod ipſa manifeſta, & quotidiana experientia compertum eſt. Nonne homines Confeſſarios paſſim permutant, & modo uni, modo alteri confitentur? Hodie per confeſſionem manifeſtant uni Sacerdoti omnia peccata quæ memoriæ occurrunt; craſtina die peccata oblita, quorumve recordantur, per reconciliationem, ut vocant, alteri Sacerdoti revelant. Nec in mentem illis venit quod famæ propriæ iacturam inducat hæc peccatorum ſuorum manifeſtatio, duobus, aut tribus Confeſſoribus facta. Quid plura? Aliquis in mortis articulo conſtitutus, aut etiam extra mortis periculum, ut impleat divinum confeſſionis præceptum, confitetur ſua peccata Sacerdoti. Hic, vix media confeſſione audita, repentina morte occum-

occumbit. Adeſt alter Confeſſor. Nonne huic manifeſtanda ſunt peccata omnia? Quin, ſi & iſte, quemadmodum primus, e vivis decederet, tertio Confeſſario manifeſtanda forent crimina eadem. Quod confirmatur in eo qui peccati reſervati reus eſt, quive a Superiore licentiam petere haud poteſt confitendi inferiori, quin duobus innoteſcat, nempe Epiſcopo, & Confeſſario: & tamen non propterea is ab onere confitendi liberatur. Et quamvis hæc licentia per Confeſſarium peti ſoleat; nihilominus Confeſſarius ad id non tenetur, & libere hoc petitionis onus reſpuere valet. Quin, ſi abſolute loquamur, intentio Eccleſiæ reſervantis eſt ut pœnitens ipſe adeat Superiorem, & ita fieri deberet. Poſſet etiam pœnitens ipſi Superiori ſua confiteri peccata, & Superior deberet eum audire. Sed paſſim propter occupationes, & negotia, aliaſque cauſſas, ad inferiores Confeſſarios illum remittunt. Tandem in mortis articulo quilibet Sacerdos poteſtatem habet abſolvendi moribundum ab omnibus peccatis, reſervatis etiam Papæ, onere tamen impoſito poſtea ſiſtendi ſe Superiori pro obtinenda abſolutione a cenſuris reſervatis. Quod etiam fit ſæpius extra mortis articulum, cum quis vel celebrare, vel Euchariſtiam ſumere debet. Ipſa ergo manifeſta experientia conſtat, paſſim Chriſtianos manifeſtare duobus & pluribus Confeſſariis ſua crimina, quæ uni manifeſtanda eſſent. Quod quamquam libere ſæpius faciant; attamen caſus occurrunt, & occurrere non infrequenter ſolent, in quibus neceſſario tenentur pluribus Confeſſariis peccata ſua pandere.

XV. Hæc fuſius diſputata ſunt, ut palam fieret, incommodum illud manifeſtandi duobus propria peccata, non eſſe, attenta experientia, & communi exiſtimatione, adeo grave, ut excuſare poſſit a divino confeſſionis præcepto, potiſſimum in mortis articulo. Eſt dubio procul aliquod incommodum confiteri per interpretem. Quin concedo, plus quidquam incommodi afferre manifeſtationem peccati, interpreti factam, & Confeſſori, quam duobus Confeſſariis: quia interpres extrinſecus ſe habet ad confeſſionem. At ſubdo, hoc maius incommodum compenſari ſatis per reticentiam alicuius peccati peculiaris infamiæ & malitiæ, quam in confeſſione per interpretem licitam eſſe concedimus; ſecus vero in confeſſione directe Sacerdoti facta. Abſque fundamento igitur amplificant, exaggerantque adverſarii detrimentum famæ, & honoris in confeſſione per interpretem; cum revera & abſolute, & iuxta experientiam, communemque exiſtimationem leve ſit, vel non adeo grave, ut ab obſervantia divini præcepti eximere queat. Quare, licet verum ſit, grave damnum vitæ, famæ, bonorumque fortunæ excuſare a præcepto divino confeſſionis, etiam Sacerdoti faciendæ; non inde tamen inferri legitime poteſt, ab eodem præcepto excuſare pariter confeſſionem per interpretem: quia falſum eſt eiuſmodi confeſſionem ſimile grave damnum inducere.

XVI. Rationes quas hucuſque produximus, niſi me omnia fallunt, ſatis oſtendunt,

Digitized by Google

dunt, veram eſſe S. Thomæ ſententiam, a qua non modo extranei, ſed etiam domeſtici recedunt. Reſolvit S. Doctor loco laudato, confeſſionem faciendam eſſe etiam per interpretem, quia, *quando non poſſumus uno modo, debemus, ſecundum quod poſſumus, confiteri:* quoniam præceptum confeſſionis, potiſſimum cum quis ad communionem, vel Miſſam celebrandam accedere debet, & animam habet gravi crimine inquinatam, maximi momenti res eſt. Si periculum profanandi ſacramenti niſi anima celebrantis, vel communicantis per confeſſionem mundetur, & periculum lædendæ famæ per talem confeſſionem invicem comparentur; quiſque prudens, & pius iudicabit graviſſimum illud, leve iſtud. Concludo igitur, neceſſariam eſſe confeſſionem per interpretem iure tum divino, tum naturali omnibus in articulo mortis conſtitutis. Deinde ſubdo, neceſſariam eam eſſe, quoties præceptum divinum implendum eſt; dummodo adſit interpres prudens, & gravis, de quo nulla prudens ſuſpicio haberi revelationis, ſeu naturalis ſigilli fractionis, poſſit. Addo, in eiuſmodi confeſſionibus per interpretem reticeri poſſe, occaſione data, aliquod peccatum enorme, & peculiaris infamiæ. Poſtremum habenda eſt perſonarum ratio. Communiter homines facillime peccata ſua aliis communicant. Cur, amabo te, excuſabuntur iſti a confeſſione per interpretem, quando præceptum divinum ſervandum ſit? Sunt alii qui peculiari rubore, & verecundia ſuffunduntur in manifeſtatione ſuorum criminum. Iſti omittere poſſunt ea peccata quorum manifeſtatio ſingularem affert infamiam. Denique cur in his eventibus urgere non debet ratio quam ſacra Tridentina Synodus profert, ut fidelibus animos ingerat ad confeſſionem frequentandam? *Ipſa vero huiuſmodi confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri poſſet, niſi tot tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus, digne ad hoc ſacramentum accedentibus, per abſolutionem certiſſime conferuntur:* ſeſs. XIV. cap. V.

XVII. Obiicit 1. Vaſquez loco ſupra laudato. Si ad implendum præceptum divinum eſſet neceſſaria confeſſio per interpretem, neceſſaria quoque eſſet ad obſervandum præceptum eccleſiaſticum: quoniam præceptum eccleſiaſticum eſt determinatio præcepti divini, ſeu temporis deſignatio, in quo præceptum divinum obligare declaravit Eccleſia. Reſp. Conſequentia negatur. Utique præceptum eccleſiaſticum iuris divini determinatio eſt. Ergo tantæ obligationis eſt præceptum Eccleſiæ, quantæ eſt præceptum divinum? Illatio manifeſte falſa eſt. Habemus enim fundamentum prudenter præſumendi, Eccleſiam non obligare ad præcepti obſervantiam cum tanto onere. Quod fundamentum deeſt in obſervantia divini præcepti iubentis, ſancta ſancte tractanda eſſe. Adde, quod Eccleſia expreſſe videtur excipere confeſſionem per interpretem, dum præcipit ut pœnitens ſingulis annis *ſolus* proprio Sacerdoti confiteatur. Quamquam, ut candide fatear, præfata particula *ſolus* non eſt penes me tanti ponderis, ut ob illam ſolam excludenda ſit

con

confeſſio per interpretem. Nam idcirco appoſita videtur illa particula, quia communiter homines, non per alios, ſed ſoli ſua peccata confitentur. Tandem, ut pleniſſime meam ſententiam promam, dico, eos qui nulla, aut levi verecundia ſuffunduntur in manifeſtandis per interpretem propriis peccatis, teneri per interpretem confiteri, ut præceptum eccleſiaſticum annuæ confeſſionis impleant. Non me fugit, Theologorum neminem hanc meam docere opinionem. Sed neque rationem teneo cur aliquis poſſit eam impugnare. Nam ideo dicimus, præceptum Eccleſiæ non adſtringere ad confeſſionem per interpretem, quia huiuſmodi confeſſio grave & peculiare incommodum affert. Ergo, admiſſa hypotheſi quod plures nullum peculiare incommodum, præter illud quod cuique confeſſioni adnexum eſt, experirentur; qua ratione ab obſervantia præcepti liberi iſti erunt? Nonne, ſublata cauſſa, removetur effectus? Nonne impedimento remoto, lex obligat? Hanc ſane regulam ſervamus in aliorum Eccleſiæ præceptorum explicatione. Præceptum ieiunii non obligat ſenes qui patiuntur peculiare incommodum ob imbecillam valetudinem; at obligat alios ſanos, & robuſtos, qui peculiare incommodum non perferunt, ut graviores doctioreſque Theologi docent. Cur prodigam in benignitate præſumere Eccleſiam debemus? Cur ſatis non erit ut cum illis benigna ſit, & indulgens qui indulgentia, ac diſpenſatione indigent? Anne eadem ratione infirmi, debiles, & ſani regendi, ac curandi erunt?

XVIII. Obiicies 2. Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* V. declarat, præceptum divinum non obligare ad confeſſionem publicam, quamquam utilem eſſe eam ſubdat: ergo vi præcepti divini minime obligamur ad confitendum peccata Sacerdoti alio audiente. Reſp. Conſequentia falſa eſt. Synodus loquitur de confeſſione publica, quæ coram omnibus alta voce fiat, quæve oppoſita directe eſt confeſſioni ſecretæ. Confeſſio in aurem interpretis fideliſſimi, & naturali ſigillo obſtricti, nullo modo publica eſt, ſed ſecreta.

XIX. Obiicies 3. Si ſcirem, Confeſſarium vel uni ſoli revelaturum mea peccata, non tenerer eidem confiteri. Ergo neque teneor, quando alius præter Confeſſarium audire debet eadem peccata. Reſp. Argumentum undique vacillat. Primum in articulo mortis, etiam cum tali ſcientia, lege caritatis propriæ quemquam teneri ad confeſſionem publicam, docent adverſarii ipſi, quando moribundus dubius de contritione ſua eſſet. Quare in tali periculo conſtitutus, quando aliud malum non timeret præter manifeſtationem ſuorum peccatorum, alteri ſoli faciendam abſque alio ſuo præiudicio, non excuſaretur a confeſſione; ſicut non excuſatur a confitendo peccato reſervato Superiori manifeſtando. Deinde aliud eſt quod Confeſſor revelet peccata pœnitentis etiam uni ſoli, cui ille voluerit; aliud eſt quod ipſemet pœnitens ſeligat interpretem fidelem, prudentem, ſigilloque graviſſimo ligatum. Et hæc dicta ſint in defenſionem doctrinæ S. Thomæ, &, ut ego arbitror, veritatis.

XX.

Digitized by Google

XX. Quæſt. IX. *An qui non poteſt propria voce confiteri, quia mutus eſt, teneatur confiteri per nutus, vel ſcripturam?* Reſp. Multi negant, ut Navarrus in *Manual. cap.* XI. *numer.* 36. Diana *III. Part. reſol.* 128. Sotus *in IV. diſt.* XVIII. Valentia *Tom. IV. diſp.* VII. *quæſt.* XI. *punct.* 1. Filliucius *tract.* VII. *num.* 63. Henriquez *Lib. III. cap.* IV. Armilla, Angelus, Ledeſma, Ricardus, Vega, & alii. Hi omnes negant, debitum eſſe confitendi per ſcripturam, quando pœnitens eſt mutus, vel Sacerdos ſurdus: quia, inquiunt, ſcriptura eſt publicum inſtrumentum; & qui ſcriptis peccata conſignat, periculo perdendi ſcriptum ſe ſe exponit. Nemo autem cum tanto periculo tenetur ad implendum præceptum annuæ confeſſionis. Immo aliqui excuſant pœnitentem ab obſervantia præcepti divini ob deſcriptum periculum. Contraria ſententia communis eſt, & vera; eamque docent D. Thomas in *Supplem. quæſt.* IX. *artic.* 3. *ad* 2. Caietanus *verb.* Conf. *condit.* 11. Sylveſter *verb.* Conf. 1. *quæſt.* XV. Petrus Soto *de Conf. lect.* XI. Paludanus *in IV. diſt.* XVII. *quæſt.* 11. Nugnus *in addit. quæſt.* VI. *art.* 6. *diff.* 3. Vaſquez *quæſt.* XC. *art.* 4. *dub.* 5. Suarez *diſp.* XXXVI. *ſec.* 6. *num.* 7. Bonacina de *ſacram. pœnit. diſp.* V. *ſec.* 2. *punct. ult.* cum Dicaſtillo *diſp.* VI. *dub.* 14. *num.* 240. diſtinguit, & aſſerit, pœnitentem qui poteſt commode, & ſine periculo per ſcriptionem confiteri, ad eamdem confeſſionem ſcriptam teneri; qui vero non poteſt, niſi cum periculo, & incommodo confiteri, a debito confeſſionis liberari. Huic doctrinæ ſubſcribunt Salmanticenſes *tract.* VI. *cap.* VII. *punct.* 2. *num.* 17. Verum Auctores iſti non explicant quodnam periculum, aut incommodum ſatis ſit ad eximendum pœnitentem ab onere confeſſionis annuæ. Breviter ergo dicimus, quod ſicuti quando pœnitens poteſt propria voce confiteri, tenetur per vocem ad confeſſionem; ita, quando poteſt confiteri per ſcripturam, urgente præcepto, ad confeſſionem ſcriptam adſtringitur. Periculum quod allegat Bonacina, vel incommodum quod ex natura confeſſionis ſcriptæ oritur, quia nimirum incommodum eſt ſcriptis peccata prodere, aut quia annexum folio ſcripto eſt periculum amiſſionis, profecto nihil valet ad excuſandam omiſſionem confeſſionis: tenemur enim ſubire & ſcriptionis incommodum, & onus cuſtodiendi ſcripturam peccatorum, ut impleamus ſive divina, ſive eccleſiaſtica præcepta. Si autem periculum extrinſecus timeretur; puta, quia Confeſſarius prævidetur abuſurus ſcriptura, vel eadem ſcriptura ab aliis e manibus Confeſſarii ſurripienda metuitur; his in caſibus pœnitens ad confeſſionem non teneretur per ſcripturam; ſicuti neque voce ſecreto confiteri adſtringeretur ille qui prudenter prævideret Confeſſarium revelaturum peccata audita. Tenetur ergo Chriſtianus mutus per nutus, vel Confeſſori ſurdo per ſcripturam manifeſtare peccata ſua, ut impleat præceptum ſive eccleſiaſticum, ſive divinum. Plura alia in tractatu de ſacramento pœnitentiæ, potiſſimum circa obligationem frequentandi confeſſionem, & num liceat confiteri Confeſſario diſtanti per epiſtolas, differemus.

C A-

CAPUT VI.

De pœnis impoſitis iis qui annuæ confeſſionis præceptum non implent.

I. DUrandus in *IV. diſt.* XVII. *quæſt.* XIV. probabile eſſe cenſet, non poſſe Eccleſiam punire hoc delictum: quia eſt ita occultum, ut in Eccleſiæ foro probari nequeat. Quam opinionem omnes fere Theologi, ut falſam, reiiciunt. Et falſitatis ratio evidens eſt. Nam ſæpe tranſgreſſio iſtius præcepti evinci poteſt in ipſo foro; ut cum homo in publico, & manifeſto concubinatu perſiſtit, cum uſuras publice, & continenter exercet. Inſuper poteſt Eccleſia atteſtationem exigere a fidelibus; & frequenter oſtendi poteſt, talem peccatorem ad nullum Confeſſarium acceſsiſſe. Tandem, licet aliquando ex defectu probationis puniri non poſſet eiuſmodi tranſgreſsio, non hinc conſequeretur eamdem puniri non poſſe defectu iuriſdictionis. Poſtremo duplex pœna diſtinguenda eſt. Altera eſt quæ cenſuram infligit ipſo facto incurrendam abſque iudicis ſententia: & hac pœna Eccleſia plectere poteſt tranſgreſſores huius præcepti: quoniam tranſgreſsio externa eſt, licet occulta; ut conſtat de hæreſi externa, ſed occulta, quæ in foro externo probari nequit. Altera pœna eſt quam iudex, cauſſa cognita, imponit: & hac etiam pœna multari poteſt præcepti iſtius violator: quia, licet non ſemper, frequenter tamen tranſgreſsio iſta, ut dictum eſt, probari valet.

II. Iure communi nulla pœna, ipſo facto incurrenda, annuæ confeſſionis præcepti tranſgreſſoribus impoſita eſt. Nam in cap. *Utriuſque ſexus* ſolum præſcribitur ut tranſgreſſores *arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priventur eccleſiaſtica ſepultura.* Quarum pœnarum executionem iudicis ſententia præcedere debet. In pluribus tamen diœceſibus Epiſcopi ſententiam excommunicationis, ipſo facto abſque iudicis ſententia incurrendæ, in tranſgreſſores vibrant.

III. Quæſt. I. *An incurrant hanc pœnam excommunicationis qui utrumque confeſſionis, & communionis, vel qui alterutrum tantum præceptum violant?* Reſp. Excommunicantur communiter qui utrumque, vel alterutrum non impleverint. Et hæc ſententia communis eſt.

IV. Quæſt. II. *An qui facit confeſſionem nullam, incurrat hanc excommunicationis pœnam?* Reſp. Sicuti per confeſſionem nullam nemo ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, ut ſupra probatum eſt; ita incurrit pœnas ab Eccleſia inflictas. Res ex ſe manifeſta eſt. Nam Eccleſia imponit pœnas tranſgreſſoribus præcepti. Qui facit confeſſionem nullam, reipſa tranſgreditur præceptum. Ergo ſubiectus eſt pœnis latis in tranſgreſſores præcepti.

V.

Digitized by Google

V. Quæſt. III. *An pueri impuberes, non implentes præceptum annuæ confeſſionis, incurrant præfatas pœnas?* Reſp. Affirmative reſpondent aliqui; ſed communiſſima ſententia docet oppoſitum, nimirum pueros confeſſionem annuam omittentes, ante annum decimum quartum, vel duodecimum neque excommunicationem incurrere, neque Eccleſiæ ingreſſu, neque eccleſiaſtica ſepultura privandos eſſe: quia Eccleſia numquam conſuevit puerorum delicta ſimilibus pœnis plectere. Si tamen in aliquibus diœceſibus imponeretur hæc pœna omnibus iis qui poſt octavum annum præceptum non impleverint; tunc & pueri pœnam incurrerent. Sed, quando talis clauſula non apponitur, pueri excepti a pœna intelligendi ſunt iuxta communem uſum.

VI. Quæſt. IV. *An meretrices, non implentes præceptum annuæ confeſſionis, incurrant excommunicationem ſynodalem, ceteraſque communis iuris pœnas?* Reſp. Leander *tract.* v. *diſp.* III. *quæſt.* LVIII. defendit, meretrices non incurrere dictas pœnas; & laudat pro hae ſua opinione Vivaldum, Zerola, Graffium, Rodriquez, & alios; quia Eccleſia, inquit, permittit miſerrimum meretricum ſtatum; ideo non videtur dicendum, illas tam ſevera pœna punire velle. Hæc ratio nulla eſt: quia plura permittit Eccleſia quæ impedire non poteſt. Quapropter probabilior eſt ſententia affirmativa, ſcilicet meretrices ſubiectas eſſe huiuſmodi pœnis. Eam defendunt Vaſquez *quæſt.* XCII. *art.* 3. *dub.* 5. *numer.* 8. Fagundez *numer.* 11. Sa *verb.* Excommun. *numer.* 4. Lugo *diſp.* XV. *ſec.* 7. *numer.* 148. Ratio eſt manifeſta: quia lex generalis eſt, nulloſque a pœnis, quas imponit, tranſgreſſores excipit. Cur ergo excipiendæ meretrices?

DIS.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

DE QUINTO ECCLESIAE PRAECEPTO,

nimirum

De ſacra communione paſchali.

PRAELOQUIUM.

HOC quintum & ultimum Eccleſiæ præceptum brevi manu tractabimus, eo quod in tractatu de ſacramento Euchariſtiæ ex profeſſo de ſumptione dominici corporis, quatenus divino mandato præſcribitur, atque de illius frequenti uſu acturi ſumus. Ea ſola dumtaxat in præſentia ediſſeremus quæ ad obſervantiam præcepti eccleſiaſtici de annua paſchali communione neceſſaria ſunt. Quandoquidem ſicut ſemel in anno confiteri, ita ſemel in anno Paſchatis tempore Eccleſia corpus Chriſti ſumere præcipit. Sub initium Eccleſiæ tanta erat fidelium pietas, & tanta dominici corporis fames, eiuſque ſacratiſſimi ſanguinis ſitis, ut opus minime fuerit illis ſponte currentibus calcaria addere. Decurſu temporis caritas deferbuit, pietas ceſſavit, Chriſtianorumque diſciplina ad extremum devenerat laxitatis. Quare octavo Eccleſiæ ſæculo, vel circiter illud tempus, neceſſe fuit ut Eccleſia ſuis mandatis fidelium oſcitantiam, & ſoporem excitaret, eoſque ſuis præceptis ad communionem cogeret. Gratianus *de conſecrat. diſt.* 1. laudat decretalem ex ſummo Pontifice Fabiano, in qua ter in anno communionem ſumere fidelibus præcipitur. Eruditi omnes abiudicant Fabiano Pontifici, qui tertio Eccleſiæ ſæculo floruit, laudatam decretalem; eamque circiter octavum ſæculum editam volunt. Textus decretalis eiuſmodi eſt. *Et ſi non frequentius, ſaltem in anno ter laici homines communicent; niſi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur, in Paſcha videlicet, & Pentecoſte, & Natali Domini*. Sæculo tertio decimo, nempe anno 1215. in Concilio Lateranenſi IV. præceptum hoc limitatum fuit ad unicam quotannis communionem in Paſchate percipiendam. De vi iſtius præcepti, deque fidelium obligatione ad illud ſervandum, pauca libabimus. Plura ſiquidem, ut diximus, dicenda remittimus ad tractatum de ſacramento Euchariſtiæ, ubi tum hæreticorum errores, tum laxas adverſus morum regulas opi-

opiniones recenſebimus. Unicam adverſus hoc præceptum damnatam propoſitionem ab Innocentio XI. anno 1679. ob oculos ſub initium diſſertationis pono, quæ in ordine eſt 55. *Præcepto communionis annuæ ſatisſit per ſacrilegam Domini manducationem.*

CAPUT I.

An detur præceptum eccleſiaſticum communicandi ſemel in anno; & quas perſonas obliget.

I. Omnes Theologi catholici reſpondent affirmative. Præceptum iſtud latum fuit in Concilio Lateranenſi, & his verbis concluditur. *Omnis utriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioqui & vivens ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.*

II. Hoc præceptum obligat ſolos fideles baptizatos: quia nomine fidelium illi intelliguntur qui per baptiſmum Chriſti fidem profeſſi ſunt. Hæretici dicuntur huic præcepto ſubiecti, quatenus Eccleſiæ iuriſdictioni ſubditi ſunt, tenenturque in eius regredi ſinum; ut explicatum eſt in præcedenti diſſertatione. Soli autem fideles adulti hac lege tenentur; quemadmodum ex verbis legis conſtat: quoniam ſoli adulti ſunt præcepti, & obligationis capaces. Nullus itaque fidelium adultorum, ſive laici, ſive Clerici, ſive ſæculares, ſive Religioſi ſint, ab iſtius eximuntur præcepti obſervantia.

III. Antiquitus infantes, antequam eis lumen affulgeret rationis, ſtatim poſt baptiſmatis ſuſceptionem ſacro Euchariſtiæ pabulo reficiebantur. Hæc diſciplina pluribus viguit ſæculis, quæ poſt tertium decimum ubique fere obſolevit. Lubet referre quæ hac de diſciplina ſtatuit Concilium Tridentinum ſeſſ. XXI. cap. IV. *Denique eadem S. Synodus docet, parvulos, uſu rationis carentes, nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem . . . Neque ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit: ut enim ſanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt.*

IV. Antiquata diſciplina communicandi pueros ante rationis uſum, diſputant Theologi, an communio concedenda nunc illis ſit, ſtatim ac rationis lumen aſſecuti fuerint. Tam Concilium Lateranenſe, quam Tridentinum præcipiunt ut omnes

Digitized by Google

mnes fideles, cum ad annos diſcretionis pervenerint, ſemel in anno ſacram percipiant communionem. Nihilominus diſſidium eſt inter Theologos. Maior namque, potiſſimum recentiorum, pars ſuſtinet, differendam eſſe pueris communionem uſque ad duodecimum annum, alii addunt uſque ad quartum decimum, & alii uſque ad quintum decimum. Suarez *Tom. III. in III. P. diſp.* lxx. *ſec.* 1. docet, maiorem in pueris requiri cognitionem pro communione percipienda quam pro confeſſione peragenda; atque adeo non ſtatim poſt confeſſionem eos eſſe ad communionem admittendos. Non adprobat tamen regulam generalem, qua *Soto* ſtatuit, eſſe illis concedendam communionem, cum annum attigerint duodecimum; neque illorum qui ſuſtinent, tempus congruum iſtius communionis eſſe annum quartumdecimum, aut quintumdecimum. Ipſe vero Doctor eximius Suarez reſolvit, illud intervallum quod infra decimum & quintumdecimum annum interfluit, eſſe tempus opportunum, quo pueris impertienda ſacra communio ſit. Hanc opinionem ſuſtinent Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* VII. *punct.* 2. *num.* 1. & 2. Granados *diſp.* IV. *num.* 2. Diana *III. P. tract.* VI. *reſol.* 70. Trullench *Lib. III. in Decal. cap.* 5. *dub.* 2. Caietanus *in III. P. quæſt.* lxxx. *art.* 9. Soto *diſt.* XII. *quæſt.* 1. *art.* 11. Valentia, Conradus, Rodriquez, Layman, Tamburinus, & alii.

V. Hæc opinio mihi minime probatur, propterea quod decreta, & canones Conciliorum oppoſitum docere, manifeſtum apparet. Nam Concilium Lateranenſe cap. *Utriuſque ſexus* iubet, fideles ad communionem accedere, cum ad annos pervenerint diſcretionis. Idem expreſſe docet Concilium Tridentinum ſeſſ. XIII. can. 9. *Si quis negaverit, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum iuxta præceptum ſanctæ matris Eccleſiæ; anathema ſit*. Iuxta communem loquendi modum tempus diſcretionis eſt tempus illud in quo pueri ſunt doli capaces, valentque peccare mortaliter. Cum itaque duo Concilia œcumenica conceptis verbis declarent, omnes ad communionem teneri, cum ad uſum diſcretionis, ſeu rationis pervenerint; quo fundamento poſſumus nos hanc legem relaxare? Verba legis, inquit *P. Suarez*, ſunt accommodate intelligenda, & iuxta genus materiæ. Sacramentum autem Euchariſtiæ longe dignius eſt quam ſacramentum confeſſionis. Iſtud vero etiam magis eſt neceſſarium. Ideo hoc anticipandum, illud differendum eſt. Hæc omnia comperta erant Patribus Concilii Lateranenſis, & Tridentini; & nihilominus idem pro utroque ſacramento diſcretionis tempus aſſignarunt. Quia profeſſio ſtatus religioſi res eſt quæ maiorem & experientiam, & deliberationem expoſcit; Tridentinum decrevit ad illam admittendos non eſſe iuvenes ante annum quintumdecimum. Quidni & decreviſſet, non admittendos pueros ad communionem ante duodecimum, vel decimumquartum, ſi id opus

Ee ij fuiſ-

fuiſſet? Cur nihil diſcriminis inter præceptum confeſſionis, & communionis ſtatuerunt, ſed idem pro utroque ſacramento tempus definiere ambo illa Concilia? Quid quod Catechiſmus Concilii Tridentini eodem prorſus modo loquitur de confeſſione, ac de communione; decernitque pueros, cum primum compertum fuerit, eos aliquam admirabilium ſacramentorum cognitionem habere, confeſtim ad eorumdem participationem admittendos eſſe? De ſacra communione *II. P. ſec.* 63. hæc habet. *Qua vero ætate pueris ſacra myſteria danda ſint, nemo melius conſtituere poterit quam pater, & Sacerdos cui illi confitentur peccata. Ad illos etiam pertinet explorare, & a pueris percontari, an huius admirabilis ſacramenti cognitionem aliquam acceperint, & guſtum habeant.* Idem omnino, ſed aliis verbis, docet eadem *II. Part. ſec.* 44. *de ſacram. pœnit.* circa ætatem qua pueri confiteri debeant. *Primum namque ex Concilii Lateranenſis canone cuius initium eſt*, Omnis utriuſque ſexus, *perſpicitur neminem confeſſionis lege adſtrictum eſſe ante eam ætatem qua rationis uſum habere poteſt. Neque tamen ea ætas certo aliquo annorum numero definita eſt. Sed illud univerſe ſtatuendum videtur, ab eo tempore confeſſionem puero indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, in eiuſque mentem dolus cadere poteſt.* Sive itaque pueri ſint octennes, ſive novennes, ſive ſeptennes, dum Sacerdoti conſtat eos accepiſſe tanti ſacramenti *cognitionem aliquam*, inquit Catechiſmus, ad ſacram communionem accedere debent. Eamdem doctrinam prius, nempe paucis annis poſt celebrationem Lateranenſis Concilii tradiderat S. Thomas III. P. quæſt. lxxx. art. 9. ad 3. *Sed, quando iam pueri incipiunt aliqualem uſum rationis habere, ut poſſint devotionem concipere huius ſacramenti, tunc poteſt eis hoc ſacramentum conferri.* Sanctus Antoninus eamdem pro confeſſione, & communione præſcribit ætatem, Concilii Lateranenſis canoni innixus III. P. tit. xiv. cap. xii. §. 5. *Puer, cum eſt doli capax, cum ſcilicet poteſt mortaliter peccare, tunc obligatur ad præceptum de confeſſione, & per conſequens de communione, quæ ſimul dantur.* Auctoritate ergo ſpectata & Conciliorum, & Sanctorum, quæ certo prævalere debet magno recentiorum Theologorum numero, falſa eſt iſtorum ſententia, nempe pueros non teneri ad communionem ante vel decimum, vel duodecimum, vel quartum decimum annum.

VI. Nec ratio quam P. Suarez allegat pro ſua opinione, mihi probatur. Inquit enim, maturiorem ætatem exigi in pueris ad communionem quam ad confeſſionem, ut graviore iudicio inter cibum hunc ſacrum, & profanos diſtinguere valeant. Verum, & ut ex quotidiana experientia didici, & ut ratio ipſa etiam indicare videtur, difficilius eſt imbuere puerum, eumque aptum reddere ad confeſſionem bene peragendam quam ad communionem ſuſcipiendam. Nam, ſi pueri pravæ indolis ſunt, & ad peccandum ſagaces; quam arduum non eſt eos ad conci-

ci-

Digitized by Google

cipiendum verum, & ſupernaturalem dolorem de peccatis commiſſis adverſus divinam maieſtatem excitare? Quam arduum non eſt eos inducere ad eliciendum firmum ſtabileque propoſitum in poſterum non peccandi? Si autem boni ſunt ingenii, malitiæque inſcii, non minus difficile eſt eos ad præfatos actus doloris, & propoſiti eliciendos perciere. Quod ſi Confeſſarius utriuſque generis pueros ad dictos actus præſtandos, ut oportet, præparare, & diſponere valet; ut mea præfert opinio, quam facillime ſacræ communionis percipiendæ efficere capaces poterit. Admiſſa enim in pueris cognitione ſive attritionis, ſive contritionis, & firmæ voluntatis ulterius non peccandi, quæ ad confeſſionis ſacramentum ſunt neceſſariæ: quid, quæſo, facilius quam eos ad fidem ſimul, & reverentiam concipiendam erga auguſtiſſimum ſacramentum permovere? Perarduum eſt eos in peccatum poſt uſum rationis lapſos ad vitam cæleſtem regenerare; aut, ſi in peccatum lapſi non ſint, difficile eſt eos docere neceſſitatem doloris, & propoſiti neceſſarii ad confeſſionem. Ceterum, elevati cum fuerint ad ſtatum gratiæ, aut ad eiuſdem gratiæ augmentum provecti, cur defraudandi erunt ſacro illo pabulo, ad eamdem vitam cæleſtem alendam, conſervandamque a Chriſto Domino inſtituto? Olim pueris ad confeſſionem ineptis Euchariſtia concedebatur; illis autem nunc, etiam poſt confeſſionem, eadem negabitur? Si character proprius iſtius ſacramenti eſt, cæleſti quodam adipe animam, gratia ſanante ornatam, ſaginare, ut proficere in dies valeat, & altius aſſurgere; ego ſane non percipio, qua ratione pueri illi qui uſu præditi rationis, ſacramento pœnitentiæ ſupponuntur, aut regenerati ad vitam cæleſtem, aut in eadem vita magis roborati, non debeant Euchariſtiam ſuſcipere, quæ peculiariſſimum vitæ cæleſtis in hac via alimentum eſt. Quod ſi poſſunt ad communionem admitti, ſuntque illius capaces; præceptum iam urget, cui ut ſatisfaciant, admonendi ſunt ut ad ſacram menſam accedant.

VII. Sententia ergo noſtra, ſeu verius D. Thomæ, Antonini, & Concilii, ac Catechiſmi Tridentini, hæc eſt. Cum pueri ad annos diſcretionis pervenerint, ſintque revera ita apti ad confeſsionem peccatorum faciendam, ut teneantur illud præceptum implere; ſunt quoque ſacræ communionis capaces, & ad obſervantiam iſtius præcepti, non ſecus ac alterius, adſtringuntur. Quia vero, ut Catechiſmus ait, non poteſt præciſe tempus definiri quo pueri annos diſcretionis attingant; idcirco parentum, & Sacerdotum eſt id explorare, & a pueris percontari, an poſt inſtructionem acceptam, tanti ſacramenti cognitionem aliquam ſint aſſecuti. Illud enim quod alibi diximus, & eſt ſuapte natura compertum, in memoriam revocamus, alios pueros citius, alios tardius lucem rationis obtinere. Quapropter annus, ſeu tempus præciſum determinari nequit quo obligatio talis in-

incipiat. Id ſolum dicimus, quod, ſi circiter ſeptennium, vel octennium, aut novennium, vel tardius, aut celerius, lumen rationis pueri adeo perfecte aſſequerentur, ut revera perciperent quid ſit mortale peccatum, de eodem conteri, illudque deteſtari, & confeſsionem facere, præceptumque confeſsionis implere poſſent, & tenerentur; conſtricti quoque forent ad ſacræ communionis præceptum implendum. Non negaverim tamen, poſſe Sacerdotem, prout expediens iudicaverit, aliquot menſes, non vero annum, poſt confeſsionem, differre communionem pueris in hunc finem, ut maiori virtutum apparatu, atque ferventiore caritate, & profundiore obſequio, ac reverentia ad tam admirabile ſacramentum accedant. Hanc noſtram ſententiam præter D. Thomam, & Antoninum defendunt etiam Tabiena *verb.* Commun. *num.* 3. Ioannes Sancius in *ſelect. diſp.* XXVI. Caſtropalaus *tract.* III. *diſp.* I. *punct.* 24. *§.* 2. *num.* 7. Philippus de Cruce in *Theſau. Eccleſ. tract.* I. *§.* II. *num.* 3. Leander *tract.* VII. *diſp.* III. *quæſt.* V. & apud eumdem Henriquez, Ledeſma, Vivaldus, Marcilla, & alii.

VIII. Obiicit Suarez, ſacramentum confeſſionis magis neceſſarium eſſe quam ſacramentum communionis; idcirco illud anticipandum. Inſuper Eccleſiæ mos obtinet ut pueri tardius ad communionem quam ad confeſſionem admittantur. Reſp. Eccleſiam non latuit hæc maior unius ſacramenti præ altero neceſſitas; & nihilominus idem diſcretionis tempus pro utriuſque ſacramenti ſuſceptione definivit. In iis quæ poſitivi iuris ſunt, voluntas legislatoris magis quam rei præſcriptæ materia, attendenda eſt. Sacramentum confeſſionis præcedere debet, ut anima vel abſolute vivat, vel perfectiorem vitam divinam conſequatur. Sed, hac vita poſita, alimentum quoque iſtius vitæ proprium conferatur viventi oportet. Conſuetudo obtinet ut tardius pueri ad communionem quam ad confeſſionem accedant. Hoc & nos concedimus; dummodo dilatio iſta non ſit ad annum, ſed ad aliquod tempus congruum unius, vel alterius menſis, plus minuſve, prout prudenti miniſtro opportunum viſum fuerit, ut pueri magis accendantur erga auguſtiſſimum myſterium, ut ardentius appetant divinas epulas, ut denique ſplendidiore caritatis veſte ad cæleſtes nuptias valeant accedere. Quod ſi alicubi mos eſſet ut pueri, licet abundanti rationis lumine circiter ſeptennium aut octennium perfuſi, differrent communionem ad decimum, duodecimum, vel quartumdecimum annum; dicimus, hunc morem ab Eccleſia non probari, cum potius Eccleſia contrarium ſuis canonibus ſtatuat. Ex ipſa ego experientia didici, multos parentes, & ſacros miniſtros nimium eſſe in puerorum inſtructione negligentes. Prætextu ſiquidem maturioris ætatis, & gravioris iudicii, neceſſarii ad hoc ſacramentum percipiendum, differunt eorum inſtructionem poſt decennium. Sæpiſſime, antequam ad Euchariſtiam accedant, non ſolum ſunt doli capaces,

non

Digitized by Google

non ſolum ſciunt diſcernere inter bonum & malum; ſed in malitia valde edocti ſunt, & non raro etiam mortui, quando comedere incipiunt cibum divinum. Quod ſi ſtatim, poſtquam per primam confeſſionem rite factam ſanctificati fuerunt, cæleſti alimento roborati, & ſaginati fuiſſent, & in tenera illa ætate viam Domini percurrere cœpiſſent; non adeo fortaſſis in adoleſcentia, & conſequenter in provecta ætate effrenes forent, atque ad omnia vitia proni. Deſinant ergo abuſui, & parentum, ac Sacerdotum oſcitantiæ, & culpabili negligentiæ velamen prætendere conſuetudinis eccleſiaſticæ.

IX. Suarez cum aliis, pro illius ſententia citatis, quamquam doceat non teneri pueros, ſtatim ac ratione potiuntur, ad communionem, ut impleant præceptum eccleſiaſticum, ſubdit tamen ad eamdem communionem teneri, ut impleant præceptum divinum. Quare in articulo mortis miniſtrandum eſſe pueris, lumine rationis præditis, ſacrum viaticum adfirmat P. Suarez cum ceteris Theologis. Omnes ergo pueri qui in articulo mortis ſunt capaces confeſſionis, & extremæ unctionis, ſunt quoque capaces ſuſcipiendi viatici, eiſque adminiſtrari debet.

X. Parentes, & Confeſſarii qui vel in articulo mortis, vel in Paſchate non permittunt pueros doli capaces ſuſcipere corpus dominicum, peccant mortaliter abſolute loquendo: quia in articulo mortis urget præceptum Chriſti Domini: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*: in Paſchate vero urget præceptum Eccleſiæ. Peccare eos mortaliter dicimus, ſi ob negligentiam, & defectum ſollicitudinis in puerorum inſtructione in cauſſa forent ne dicti pueri, alioqui capaces, præcepto paſchalis communionis ſatisfacerent; ſecus, ſi bona fide, poſt diligentem illorum inſtructionem exiſtimarent eos non eſſe adhuc ad communionem aptos, & propterea opportunum prudenter ducerent, in aliud tempus differendam eſſe præcepti executionem. Quando in articulo mortis dubitatur, an pueri ſint capaces doli, poteſt eis adminiſtrari viaticum. In dubio poſſumus in favorem puerorum diſpenſare ſacramentum, cuius effectus etiam ante rationis lumen participare valent, ut ex antiqua diſciplina palam eſt. Si enim olim Eccleſia illis ſimul cum baptiſmate Euchariſtiam miniſtrabat; profecto cenſebat illos capaces eſſe percipiendi fructus eiuſdem ſacramenti, ut docent Suarez, Vaſquez, Lugo, Diana, & alii paſſim. Si itaque ſunt capaces, & ex alia parte prohibitio non obſtat; dicendum videtur, eos reficiendos eſſe ſacro viatico. Nec enim ſine fundamento aſſerimus, præceptum Eccleſiæ excludere ſolum eos a communione qui certe carent rationis lumine; ſecus eos de quibus controverſia eſt, num illud poſſideant. Quæ tamen hactenus dicta ſunt de puerorum obligatione ad communionem, ſapientum iudicio ſubiicio.

XI. Præter præceptum impoſitum fidelibus communicandi ſemel in anno, docent Tabiena *verb.* Commun. *num.* 4. Navarrus *cap.* XXI. *num. ult.* Armilla *verb.* Commun. *num.* 13. (non 16. ut citat Leander) dari aliud præceptum contentum *in Clementina*, In agro, §. Sane, *de ſtatu Monachor.* quo adſtringuntur Benedictini ſingulis menſibus communionem frequentare. Subdit tamen Armilla, conſuetudinem Religionis attendendam eſſe.

CAPUT II.

De tempore quo hoc præceptum communionis implendum eſt. Quid ſit tempus paſchale. Quæſtiunculæ nonnullæ hac de re enucleantur.

I. IAM dictum eſt, ſub initium Eccleſiæ communionem fuiſſe fidelibus quotidianam, deinde trinam ſingulis annis, & tandem unicam in anno. Præceptum ſumendi dominicum corpus divinum eſt: *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis . . . non habebitis vitam in vobis*: Ioan. VI. Quia vero Deus tempus non definivit quo tale implendum præceptum eſſet; idcirco Eccleſia tempus in quo præceptum divinum deberent fideles obſervare, deſignavit. Porro, ne præceptum fragilitati humanæ naturæ, & univerſæ fidelium multitudini nimium grave foret, nonniſi ſemel in anno eius obſervationem impoſuit.

II. Tempus quo præceptum obligat, eſt paſchale, ut ex Concilii Lateranenſis verbis, *Ad minus in Paſcha*, & ex canone Tridentini, *Singulis annis, ſaltem in Paſchate*, conſtat. Temporis finitio congrua eſt. Nam hoc tempore fideles, quadrageſimalibus ieiuniis afflicti, & admirabilium myſteriorum contemplatione excitati, magis apti & diſpoſiti ad hoc ſacramentum ſuſcipiendum videntur. Deinde hoc eodem tempore auguſtiſſimum ſacramentum iſtud inſtitutum fuit, & noſtra redemptio conſummata. Quamobrem nullum aliud tempus adeo congruum erat, in quo commemoratio fieret divinæ inſtitutionis huius ſacramenti per ipſius ſuſceptionem.

III. Nomine Paſchatis ſolum diem Reſurrectionis intelligendum eſſe, Panormitanus in cap. *Omnis utriuſque ſexus*, docet; ſed oppoſitum ſuſtinent Theologi omnes; & Eccleſia ipſa ſub Eugenio IV. declaravit, tempus iſtud paſchale quindecim dies comprehendere, a dominica palmarum uſque ad dominicam in albis incluſive, ut refert Sylveſter verb. *Euchariſt.* 3. Navarrus *cap.* XXI. *num.* 45. Quicumque fidelis qui in aliquo ex his quindecim diebus ſacram communionem ſuſcipiat, præceptum implet. Qui vero intra iſtud quindecim dierum intervallum non

non recipit ſacramentum hoc, licet pluries intra annum illud frequentaverit, præceptum non implet Eccleſiæ. Si hoc temporis ſpatium foret alicubi magis amplum ex legitima conſuetudine; hæc ſervari poſſet. Ferunt, conſuetudinem obtinere Mediolani, ut quiſque ſingulis Quadrageſimæ diebus implere valeat præceptum iſtud communionis paſchalis. Azorius *Lib. VII. cap.* xxx. *quæſt.* iv. refert, Clementem VII. univerſæ Hiſpaniæ privilegium impartiiſſe ſatisfaciendi quolibet die Quadrageſimæ præcepto paſchalis communionis. Suarez *diſp.* lxx. *ſect.* 1. nec de tali uſu, nec de tali conceſſione ſibi conſtare teſtatur.

IV. Quæſt. I. *An qui tempore paſchali non implevit communionis præceptum, teneatur illud implere, tranſacto Paſchate, cum primum commode potuerit?* Reſp. Id quod penes omnes certum eſt, primum omnium dicamus oportet. Certum porro eſt poſſe fidelium quemlibet de ſui Sacerdotis, ſeu Confeſſarii conſilio poſt tempus paſchale, plus minuſve, prout Confeſſario expediens viſum fuerit, communionem differre: quia id clare exprimitur in lege lata a Concilio Lateranenſi: *Niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* De illis autem qui abſque Sacerdotis auctoritate differunt hanc communionem, triplex refertur ſententia. Prima docet, eum qui ex impotentia, & abſque culpa omiſit communionem, teneri ad implendum præceptum, cum primum potuerit; ſecus eum qui ob ſuam malitiam communionem omiſit. Pro hac ſententia Salmanticenſes *tract.* iv. *cap.* viii. *punct.* 2. *num.* 19. referunt Armillam; ſed falſo. Armilla ſiquidem docet *verb.* Commun. *num.* 6. neminem, tranſacto anno, ad implendum præceptum iſtud teneri, quacumque ex cauſſa illud obſervare ſuo tempore neglexerit. Hanc eamdem ſententiam, quæ ex tribus ſecunda eſt, conceptis verbis docent S. Antoninus *II. Part. tit.* ix. *cap.* ix. *§.* 3. Sylveſter *verb.* Euchariſt. iii. *quæſt.* xv. Tabiena *verb.* Commun. *quæſt.* vii. Medina *cod. de pœnitent. quæſt. de conf.* Soto *in IV. diſt.* xviii. *quæſt.* 1. *art.* 4. Victoria *in Summ. num.* 137. Sa *verb.* Euchariſt. *num.* 7. Toletus *Lib. VII. cap.* xviii. Ortiz *cap.* xix. *§.* 39. Granados *tract.* x. *diſp.* iv. *num.* 7. Bonacina in eam inclinat *diſp.* iv. *quæſt.* vii. *punct.* 2. *num.* 13. Diana *III. Par. tract.* iv. *reſol.* xli. Henriquez *Lib. VIII. cap.* v. *num.* 1. Ghetius *verb.* Commun. *cap.* 1. *§.* 1. & quidam alii. Ratio quam D. Antoninus cum aliis Auctoribus pro hac ſententia profert, hæc eſt. Præceptum affirmativum, imperans aliquem actum die, vel tempore præſcripto, elapſo tali tempore, non obligat, quocumque ex capite neglecta fuerit præcepti executio: quod patet, inquit D. Antoninus, in præceptis audiendi Miſſam, ieiunandi, & aliis. Præceptum ſiquidem affirmativum non obligat pro ſemper. Cum igitur tempus deſignet, & ad illud obligationem limitet; cur ultra illud extendi debet obligationis onus? Intentio ſiquidem legiſ-

latoris expreſſa eſt in verbis legis, illigantis obligationem tempori definito. Deinde non eſt neceſſaria obſervantia per modum compenſationis, ſeu reſtitutionis, quæ locum tantum habet in tranſgreſſione præceptorum quæ ſunt contra iuſtitiam commutativam. Præceptum autem communionis paſchalis affirmans eſt. Igitur, elapſo Paſchate, non obligat. Eo vel maxime quod Eccleſia hoc Paſchatis tempore recolere intendit dominicæ cœnæ, paſſionis, & mortis myſteria.

V. Tertia ſententia nunc communis docet, fideles teneri ad implendum præceptum communionis paſchalis, cum primum poſſunt, quacumque ex cauſſa, ſive legitimo impedimento, ſive negligentia, & malitia illud tempore debito obſervare omiſerint. Hanc defendunt Suarez *Tom. III. diſput.* lxx. *ſect.* 2. Navarrus *cap.* xxi. *num.* 15. Sylvius *in III. Part. quæſt.* lxxx. *artic.* 11. *quæſtiunc.* 4. Nugnus *quæſt.* lxxx. *art.* 11. *diff.* 2. Reginaldus *Lib. XXIX. num.* 75. Filliucius *num.* 58. Fagundez *præc.* 111. *Lib. I. cap.* vi. *num.* 2. Hurtado *diſp.* vii. *de pœnit. diff.* 12. Lugo *diſput.* xvi. *num.* 66. Villalobos *I. Part. tract.* vii. *diff.* 42. *num.* 8. Trullench *Lib. III. in Decal. cap.* v. *dub.* 2. *num.* 25. Dicaſtillo *tract.* iv. *diſp.* x. *dub.* 6. Azorius *Lib. VII. cap.* xxx. *quæſt.* v. Layman *Lib. V. tract.* iv. *cap.* v. Tamburinus *de 3. præcep. Eccl.* ut probabilem defendit. Salmanticenſes *tract.* iv. *cap.* viii. Gonet *de pœnit. num.* 12. Graſſius, Gabriel a S. Vincentio, & alii plures apud Dianam *reſol.* xli. Hanc ſententiam ampleſtimur & nos, tamquam probabiliorem, immo & unice veram. Ut autem maiori qua fieri poteſt evidentia illam demonſtremus, diſtinguamus oportet præcepta affirmativa duplicis quodammodo generis. Alia ſunt quæ præcipiunt aliquam actionem propter peculiarem circumſtantiam illius temporis in quo exercenda eſt; ut audire Miſſam in die feſto, ieiunare in vigilia alicuius Sancti &c. ita ut ratio potiſſima cur præcipiant tales actus, ſit talis temporis ſolemnitas, qua tranſacta, ceſſat obligatio. Aliquando etiam præcipiuntur aliqui actus, tamquam onus, & penſum ſingulis diebus perſolvendum; ita ut proprie, & per ſe præcipiatur illorum exercitium diurnum, & quotidianum. In eiuſmodi præceptis temporis ratio directe, & per ſe a legislatore ſpectatur. Propterea quæ hoc modo præcipiuntur, ſi ob negligentiam, aut malitiam omittantur, obligatio cum ipſo tempore elabitur. Et de huiuſmodi actibus vera eſt contraria ſententia: quam tamen reiicimus ut falſam, quia ſub hoc genere comprehendit præceptum communionis paſchalis. Nam dantur alia præcepta, quæ primo, & per ſe actum imperant, deinde tempus in quo executioni mandari debeat, definiunt, tamquam quid magis congruum & opportunum. Iſtius generis eſt præceptum communionis paſchalis. Primum & abſolute ſumptionem dominici corporis præcipit; deinde ipſam exequendam paſchali tempore mandat ob congruas rationes, quas ſupra indicavimus.

VI.

VI. Porro, ne gratis hæc aſſerere videamur, altius arceſſenda ſunt principia, quibus palam fiat, præceptum communionis paſchalis abſolute imperare communionem; ſecundario vero temporis conditionem ſpectare. Tunc ergo dicimus, præceptum primo & abſolute actum præcipere, quando actus ille alia lege ſuperiori debitus eſt, & a temporis circumſtantia minime pendet; præcipitur vero illius executio tali tempore, & non alio facienda, quia variæ congruentiæ expoſcunt ut potius hoc quam illo tempore exerceantur eiuſmodi actus præcepti. Doctrinam exemplis confirmo. Tributum vi iuſtitiæ Regi debetur. Ob varias rationes tempus præſcribitur in quo ſolvatur. Anne, elapſo tempore, tranſit debitum ſolvendi tributum? Minime: quia abſolute tributum ſolvendum eſt. Confeſſarius imponit pœnitenti ob gravia crimina, in tribunali pœnitentiæ audita, ieiunium die veneris ſervandum. Anne, elapſo die veneris, elabitur debitum ieiunandi? Nequaquam. Cur? Quia pœnitens lege ſuperiori obſtrictus eſt ſatisfacere divinæ iuſtitiæ pro pœna debita ſuis culpis. Quare, cum Confeſſarius imponit ieiunium, præcipit ſatisfactionem abſolute debitam; diem autem veneris, vel alium pro executione præſcribit ob aliquam congruentiam; v. g. ut pœnitens tali die Chriſti paſſionem recolat. Obligatus certo die, aut menſe pecuniam ſolvere, die tranſacto, ad ſolutionem certe tenetur, eo quod ſolutio pecuniæ abſolute debeatur. Itaque declaratum eſt in iure *l. Celſus*, *§. Sed ipſe*, *ff. de receptis arbitris*. Iſtius ſane indolis, ſeu naturæ eſt lex annuæ communionis. Perceptio dominici corporis abſolute præſcripta eſt. Lege divina, ab ipſo Chriſto lata, fideles omnes tenentur manducare corpus Filii hominis. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. Eccleſia definivit tempus intra quod eiuſmodi divinum præceptum impleri debeat, & ultra quod differri executio non poſſit. Hoc Eccleſiæ præceptum partim affirmans eſt, & partim negans; quemadmodum ſunt fere omnia præcepta inferiora, quæ determinant tempus in quo præcepta ſuperioris ordinis impleri debent. Præceptum annuæ communionis negativum eſt, quatenus prohibet ne ultra unius anni ſpatium communio, iure divino præcepta, differatur: affirmativum vero, prout præſcribit ut intra annum, ſemel ſaltem, & hoc in Paſchate, quiſque fidelium cæleſti pane reficiatur. Quod clare eruitur ex ipſius Tridentini Concilii *ſeſſ.* XIII. *can.* IX. ubi dicitur: *Si quis negaverit, omnes fideles teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum; anathema ſit*. Iſte quoque eſt ſenſus Eccleſiæ, quæ, ut diximus in explicatione præcepti confeſſionis, excommunicationis pœnam infligit omnibus qui præceptum hoc tranſgrediuntur; & ab hac pœna eos non abſolvit, donec impleverint quod neglexerunt. Cum itaque Paſtores Eccleſiæ cenſuris compellant fideles ad obſervandam hanc Eccleſiæ legem, etiam elapſo tempore pro illius obſervantia depu-

putato , dicamus neceſſe eſt, legis iſtius obligationem minime extingui , tranſacto executionis tempore . Quando præceptum aliquod duo præſcribit, & ſubſtantiam actus, & circumſtantiam illius , ſublata circumſtantia , remanet onus exequendi actum . Sic qui non poteſt communicare in parochia , ut lex præſcribit , tenetur alibi, ſi poteſt , communionem percipere . Denique communio paſchalis eſt quædam publica fidei catholicæ ſignificatio, & apertum teſtimonium . Ut Eccleſia deprehendere facilius poſſit veros ſuos filios, eoſque a falſis, & ementitis ſecernere , præcipit eis , tempore paſchali ſingulis annis religionis ſuæ inſignia prodere , & explicare . Anne , ſi negligant præfinito tempore manifeſtare unum ex præcipuis catholicæ religionis characteribus , liberi erunt ab onere idipſum præſtandi , cum primum potuerint ? Sane qui ad hæc omnia ſerio animum intenderit , fateatur oportet , præceptum communionis paſchalis , elapſo tempore, tamquam termino, ultra quem obſervantia non differatur , deſignato , obligare fideles, ut quam primum potuerint, executioni illud demandent.

VII. Quæſt. II. *An qui prævidet ſe communionem percipere non poſſe infra quindecim dies Paſchatis, teneatur anticipare illam ?* Reſp. Negant Suarez *diſput.* lxx. *ſect.* 2. Azorius *Lib. VII. cap.* xxx. *quæſt. ultim.* Filliucius *num.* 59. Reginaldus *Lib. XXIX. num.* 76. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* VII. *punct.* 2. *num.* 15. Ghetius *verb.* Commun. *cap.* 1. *§.* 1. Leander *tractat.* VII. *diſput.* III. *quæſt.* XXX. & alii apud ipſum : quia præceptum ante illos quindecim deſtinatos dies non obligat . Ergo illud anticipare nemo tenetur; ſicuti nemo adſtringitur prævenire ieiunium ſacrum quod craſtina die implere debet. Id confirmat P. Suarez hac ratione , quæ valida illi videtur. Nemo tenetur anticipare actum præceptum , niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi eiuſdem præcepti . Sed per communionem anticipatam nemo iſtius præcepti obligationem implet. Prima propoſitio per ſe patet : quia lex non obligat, niſi ut impleatur : igitur actus quo impleri nequit , ſuperfluus eſt. Secunda quoque propoſitio eſt manifeſta : quoniam, ſi tempore paſchali non occurreret impedimentum quod timebatur , tunc qui communionem anticipaſſet , deberet ad ſacram communionem accedere.

VIII. Contrariam ſententiam defendunt Vaſquez *quæſt.* xc. *artic.* 3. *dub.* 2. *num.* 13. Nugnus *quæſt.* lxxx. *art.* 11. *diff.* 3. Sylvius *in III. Part. quæſt.* lxxx. *artic.* 11. *quæſtiunc.* 3. Fagundez *præcep.* III. *Lib. I. cap.* VI. *num.* 2. Hurtado *diſp.* VII. *de pœnitent. diff.* 12. Lugo *diſp.* XVI. *num.* 75. Layman *Lib. V. tract.* IV. *cap.* V. *num.* 9. Caſtropalaus *tract.* XXI. *diſp. unica*. Bernal *diſp.* XXXIV. *cap.* III. *§.* 2. Salmanticenſes *tract.* IV. *cap.* VIII. *punct.* 2. *num.* 22. Natalis ab Alexandro *Lib. II. artic.* 5. *reg.* 4. Hanc ego amplector opinionem , ut probabiliorem , & tamquam chriſtianæ pietati magis faventem . Neque enim negare volo, rationes quas prodit

Digitized by Google

dit perdoctus P. Suarez, eſſe ſatis probabiles. Fateor etiam rationem quam Salmanticenſes ex Caſtropalao allegant pro hac pia ſententia, mihi haudquaquam probari. Inquiunt enim, duo eſſe præcepta, alterum communicandi ſemel in anno; alterum communicandi in Paſchate. Qui anticipat communionem, implet præceptum communicandi ſemel in anno, ſecus præceptum communicandi in Paſchate. Ex quo conſequi videtur quod fideles teneantur vi legis bis in anno communicare: quod falſum eſt. Quare, hac miſſa ratione, aliam inimus viam, ut ſententiam hanc demonſtremus. In memoriam itaque revocamus, quod, quando præceptum iubet primo, & abſolute ſubſtantiam actus, deinde circumſtantiam illius, ſi utrumque ſervari nequeat, id ſervandum eſt quod primario loco iubetur. Præceptum quo de agimus, primum & abſolute communionem imponit, ſemel in anno percipiendam; addit vero, ceu ſecundario, temporis circumſtantiam. Primo definit divinum præceptum, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, ſemel in anno implendum eſſe: deinde tempus executionis deſignat. Ratio iſthæc adeo evidens viſa fuit P. Suarez, ut reiecerit, tamquam improbabilem, ſententiam quam ſupra impugnavimus, nempe quæ docet, fideles qui tempore Paſchali non communicant, elapſo dicto tempore, non teneri ad communionem. Ab ea autem nunc recedit, ut mihi videtur, abſque gravi fundamento. Interim confirmatur noſtra ſententia. Qui prævidet ſe impediendum fore ab obſervantia præcepti annuæ confeſſionis, tenetur confeſſionem anticipare, ut ipſemet P. Suarez fatetur. Quidni ergo & communionem? Denique, ſi Eccleſia indulget ut pœnitens poſſit, & aliquando debeat ultra tempus paſchale de conſilio Sacerdotis differre tum confeſſionem, tum communionem; cur non poterit, & debebit tum confeſſionem, tum communionem anticipare? Profecto ex lege ipſa, concedente dilationem ob aliquam peculiarem cauſſam ultra tempus paſchale, clare colligitur, circumſtantiam temporis paſchalis ab Eccleſia non ſpectari, niſi tamquam conditionem congruam, & opportunam. Abſolute vero, & primario loco Eccleſia intendit fideles omnes ſingulis annis ſemel ad minus communionem percipere. Qui ergo utrumque, & ſubſtantiam præcepti, ſeu actum primarium a lege imperatum, & circumſtantiam adiunctam implere valet; præſtare utrumque debet; qui poteſt exequi primum, ſecus ſecundum, ad primum adſtringitur. Morum præcepta plura ſæpius imperant. Quando unum ſine altero fieri poteſt, cur omitti debet?

IX. Argumenta quæ pro contraria ſententia allegantur, ex iis quæ diximus, facile ſolvi poſſunt. Et ad illud cui maxime fidit P. Suarez, non unam, ſed duplicem dare poſſumus reſponſionem; quarum alteram & ipſe probabilem reputat.

Eſt

Digitized by Google

Eſt vero eiuſmodi. Ille qui bona fide, & ſincero animo implendi præceptum ex Sacerdotis, cui futurum impedimentum manifeſtavit, conſilio communionem anticipat, reipſa præceptum implet; ita ut, ceſſante etiam impedimento, quod prudenter timebat, paſchali tempore ad aliam communionem non teneatur. Hanc reſponſionem probabilem agnoſcit & ipſemet Suarez. Volo eam ipſius legis verbis confirmare. *Semel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum.* Tò enim *ad minus in Paſcha* ſuapte natura indicare videtur, quod ſemel in anno percipienda communio ſit ſaltem in Paſchate, quando in toto anno nulla præceſſit communio. Sed iam ſupra ex communi ſenſu Eccleſiæ, & Theologorum probavimus, præceptum iſtud iubere communionem, paſchali tempore ſuſcipiendam. Ideo etiam nunc admittimus quod præceptum abſolute paſchali tempori illigat communionem. Sed addimus, quod, quemadmodum præceptum iſtud impleri poteſt, etiam quando ex rationabili cauſſa ultra tempus aſſignatum differtur communio; ita potiori iure impletur, cum ob rationabilem cauſſam eadem communio anticipatur. At, inquis, impletur in primo caſu, quia lex id declarat; de anticipatione vero nihil lex decernit. Verum habet. Sed, quoties caſus ſunt omnino ſimiles, & rationes eædem, interpretationi locus relinquitur. Nec enim lex omnes eventus recenſet; ſed pro unius reſolutione regulam exhibet, ut ad illius amuſſim alios nos reſolvere valeamus. Eo vel magis quod anticipatio conformior legi eſt quam dilatio. Quid de his duobus hominibus diceres? Petrus, prævidens periculum non ſuſcipiendi communionem in Paſchate, hanc non anticipat, & adveniente Paſchate, atque impedimento obſtante, reipſa non communicat. Paulus, idem prævidens periculum, communionem anticipat. Quis melius ad legis intentionem ſe conformavit? Nonne Paulus? Quæro, an Paulus impleverit præceptum. Dubio procul: quia intra annum communionem percepit; & ſolummodo circumſtantiam ob impedimentum omiſit. Petrus vero minime illud implevit; ſed ſolum dici poteſt, quod tempore paſchali ab obſervatione præcepti ratione impedimenti excuſetur. Negatur itaque per hanc anticipatam communionem non impleri præceptum. Et ſic corruit totum argumentum P. Suarez. At, ſi impedimentum in Paſchate non occurreret; numquid liber foret Paulus a communione, illo tempore recipienda? Diana *II.P. tract.* IV. *reſ.*42. docet, liberum fore Paulum a debito communionis quia iam ſatisfeciſſet præcepto. Sed ego dico, & eſt ſecunda reſponſio, Paulum tunc adſtrictum eſſe ad communionem ratione circumſtantiæ temporis. Poſſet enim tunc cumulate, & plene præceptum implere; poſſet & ſubſtantiam actus, & circumſtantiam illius exequi: idcirco per accidens ratione circumſtantiæ adſtringeretur etiam in Paſchate ad communionem. Si vero impedimentum reipſa contingeret;

per

Digitized by Google

per anticipatam communionem impletum fuiſſet quoad ſubſtantiam præceptum, quia iam executus fuiſſet id quod primo & abſolute præceptum imponit. Ratiocinium noſtrum innititur illi in morum controverſiis receptiſſimo principio, ſcilicet, qui omnia a lege præſcripta exequi nequit, ea quæ poteſt, quæve ab aliis ſeiunguntur, implere tenetur. Exempla adducta de ieiunio, Miſſa, & recitatione horarum, nullius ſunt momenti: quoniam aut ſunt illorum dierum onera, aut ratio eadem præſcribendi eſt dierum ſolemnitas, ut dictum fuit ſupra.

X. Si impedimentum intra quindecim dies paſchales prævideatur; omnes fatentur anticipandam eſſe communionem: quoniam tum reipſa præceptum obligat. Et hac ratione qui ſummo mane diei feſti prævidet ſe impediendum fore ab audiendo Sacro circiter meridiem, anticipare obſervantiam præcepti adſtringitur. Nec eſt qui hoc in controverſiam vocet.

CAPUT III.

An indigne communicantes hoc præceptum impleant: ubi implendum ſit: quinam excuſentur ab eiuſdem executione: quæ tandem pœnæ transgreſſoribus impoſitæ ſint.

I. Communiſſima olim erat ſententia, adfirmans ſacrilega communione præceptum iſtud impleri. Eam propugnabant graves, & plurimi Theologi. Azorius *Lib. VII. cap.* XXX. *quæſt.* XII. Vaſquez *Tom. III. quæſt.* CCXIV. *cap.* IV. Suarez *Tom. III. in III. P. diſp.* lxx. *ſec.* 3. Filliucius *tract.* IV. *num.* 60. Henriquez *Lib. VIII. cap.* V. *num.* 3. Sa *verb.* Euchar. *num.* 25. Grañados *tract.* X. *diſp.* IV. *num.* 11. Trullench *Lib. III. in Decal. cap.* V. *num.* 13. Lugo *diſp.* XVI. *num.* 83. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* VII. *punct.* 2. *num.* 12. Fagundez *præcep.* 3. *Lib. I. cap.* VI. *num.* 4. Villalobos *Tom. I. tract.* VII. *diff.* 42. *num.* 6. Diana *III. P. tract.* IV. *reſol.* 43. Ghetius *verb.* Commun. *cap.* 1. Ochagavia *tract.* 11. *quæſt.* XV. *num.* 6. Leander *tract.* VII. *diſp.* III. *quæſt.* XXVIII. & alii. Suarez allegat pro ſua ſententia Dominicum Soto *Lib. II. de iuſt. quæſt.* III. *art.* X. & poſt Suarez ceteri omnes pro eadem ſententia *Soto* laudant; ſed omnino falſo. Solum loco laudato aſſerit *Soto*, poſſe aliqua præcepta impleri etiam ab iis qui ſunt in peccato mortali: puta, filii, peccati alicuius rei, poſſunt implere præceptum honorandi parentes. Nec verbum ille habet de præcepto communionis paſchalis. At hæc obiter dicta ſint adverſus

eos

Digitized by Google

eos qui in re gravis momenti citant Auctores, quin eos legerint. Porro ſententia, docens communione ſacrilega ſatisfieri præcepto communionis paſchalis, proſcripta fuit anno 1679. ab Innocentio XI. ſummo Pontifice in hac propoſitione, quæ eſt ex 65. in ordine 55. his verbis concepta: *Præcepto communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem*. Recenſui Auctores graves, & plures, qui eam acriter defendebant, ut hinc lector colligat, non eſſe ſine examine amplectendas in morum materia eas opiniones quæ favent libertati adverſus legem; quamquam traditæ fuerint a pluribus Theologis, multoque minus, ſi a pluribus dumtaxat Caſuiſtis recentioribus propugnentur. Sententiæ proſcriptæ Auctores hanc afferebant rationem, ſcilicet plura præcepta tum divina, tum eccleſiaſtica impleri poſſe per actum vitioſum; ut ſi quis ieiunaret ob avaritiam, vel ſi quis parentes honoraret ob inanem gloriam &c. Hinc inſerebant, poſſe eodem modo impleri præceptum annuæ communionis. At diſcrimen inter hoc & alia præcepta manifeſtum eſt. In primis lex ipſa præcipit ut hoc ſacramentum *reverenter* ſuſcipiatur. Deinde ſacramentum hoc eſt ſacramentum vivorum, & ſacramentum ſupponens animam gratia ornatam. Eccleſia, præcipiens communionem, præcipit ſumptionem Euchariſtiæ, qua uniatur fidelis, non qua ſeparetur a Chriſto. Et quamquam non ſemper finis legis cadat ſub lege; tamen, quando finis (inquit etiam ipſe P. Suarez eadem *III. P. quæſt.* lxx. *ſec.* 11.) eſt principalis, ac materia ipſius legis, eique intrinſecus, tunc ſub lege cadit. Porro finis proximus præcepti iſtius, & intrinſecus, atque materia proxima eiuſdem eſt communio digna, communio, qua gratia augeatur, & qua denique divinum præceptum impleatur. Deus autem ſpeciali mandato iubet ſumi hoc ſacramentum ab iis qui prius animarum ſordes eluerint. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit*. Sententiam hanc docent omnes Theologi poſt damnatam hac de re propoſitionem ab Innocentio XI. Ex antiquis eam propugnarunt Durandus in *II. diſt.* xxviii. *quæſt.* iv. Capreolus in *II. diſt.* xli. *quæſt.* i. *art.* 3. Sylvius in *III. P. quæſt.* lxxx. *art.* 11. Nugnus, Bartholomæus ab Angelis, & alii.

II. Quæſt. unic. *An excommunicati, & interdicti excuſentur a ſumptione Euchariſtiæ?* Reſp. Communis ſententia eſt, hos omnes excuſari; dummodo ipſi in cauſſa non ſint cur a cenſuris non abſolvantur. Ratio eſt clara: quia per excommunicationem, & interdictum privantur ſacramentorum uſu. Si vero ipſi contumacia ſua obicem ponant, ne abſolutionem aſſequantur; peccant dubio procul etiam contra hoc præceptum. Navarrus *cap.* xxi. *num.* 48. Azorius *Lib. VII. cap.* xxx. *quæſt.* iii. Fagundez, Trullench, Dicaſtillo apud Leandrum *tract.* vii. *diſp.* iii. *quæſt.* xxxiii. Summum Pontificem negant aliqui ſubiectum eſſe huic præcepto;

cepto; ſed oppoſitum demonſtravimus ſupra de præcepto annuæ confeſſionis: & eſt communior, ac vera ſententia.

III. De loco, ubi ſumenda communio eſt, convenit inter Theologos, nimirum quemquem fidelem in ſua propria parochia, aut alibi de licentia ſui Paſtoris, Euchariſtiam in Paſchate ſumere debere. Nomine proprii Paſtoris intelligitur ſummus Pontifex, Epiſcopus in ſua diœceſi, Parochus in ſua parochia. Ratio huius eſt auctoritas Eccleſiæ, ſic præcipientis in laudato cap. *Omnis*. Plurium Conciliorum provincialium canones refert Natalis Alexander *Lib. II. art.* 5. *reg.* 3. At, quia nulla eſt penes Theologos controverſia hac de re; ideo nec Auctores, nec textus Synodorum recenſemus.

IV. Non pauci Auctores, ut Barboſa, Sa, Geſualdus, Machado, & alii apud Dianam *P. IX. tract.* IX. *reſol.* 64. docent, fideles communicantes in Cathedrali, ſine licentia Epiſcopi, & Parochi, ſatisfacere præcepto Eccleſiæ: quia Eccleſia cathedralis eſt Eccleſia ſeu parochia communis univerſæ diœceſis. Negant alii plures ob oppoſitam rationem, quod cathedralis Eccleſia non ſit parochia communis. Hæc ſecunda opinio probabilior videtur: quia debet innoteſcere Parocho communio ſuorum parochianorum. Hic eſt præcipuus finis eccleſiaſticæ legis. Non innoteſceret autem, ſi fideles, inſcio Parocho, communicarent.

V. Hac lege tenentur ſolum illi qui more laicorum communicant. Quare Sacerdotes Miſſam celebrantes, in quacumque Eccleſia celebrent, ſatisfaciunt huic præcepto. Si vero non celebrent, tenentur communicare in propria parochia, & de manu proprii Sacerdotis Euchariſtiam ſumere.

VI. Regulares poſſunt & in mortis articulo, & tempore Paſchatis, ſuis familiaribus, & ſervitoribus in ſuis Monaſteriis, & locis, a Parochorum iuriſdictione exemptis, Euchariſtiam miniſtrare. Quoniam id conceſſit Clemens IV. Benedictinis, Innocentius VI. & Sixtus IV. Auguſtinianis, Leo X. Minimis, & alii Pontifices aliis Religionibus. Idemque dicendum de famulis coniugatis, noctu dormientibus extra Cœnobium; quando & iſti ſint commenſales. Sententia communiſſima, praxi quotidiana munita.

VII. Regulares in propriis Eccleſiis poſſe miniſtrare ſæcularibus Euchariſtiam tempore paſchali, ita ut ſæculares ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ, docent Rodriguez *Tom. I. qq. Reg. quæſt.* XXXVI. *art.* 3. Beia *IV. Par. cauſ.* IV. Hieronymus a Sorbo in *compend. privil. verb. Commun.* Ioannes de Cruce *in epitom. privil. Lib. II. cap.* V. *dub.* 4. *conclu.* 5. ubi refert privilegium, quod conceſſit Nicolaus V. Patribus de Guadalupe, & Iulius II. Quod privilegium ferunt haberi in compendio privilegiorum iſtius Ordinis *ſ.* 2. *&* 6. Hanc opinionem defendit quoque Emmanuel Sa *verb.* Euchariſtia *num.* 10. Lugo *diſp.* XVIII. *num.* 49. inquiens, admiſſa ve-

veritate privilegii, conceſſi a ſummo Pontifice, ſententiam hanc ſuſtineri poſſe. Verum hæc privilegia ſuſpecta ſunt. In Bullariis non reperiuntur; nec Auctores indicant loca, ubi reperiri queant, præter compendium privilegiorum Patrum de Guadalupe. Ideo communiter Theologi oppoſitum docent. Et hæc ſecunda opinio vera eſt, ac praxi conſentanea.

VIII. Regulares neque devotionis titulo poſſe in die Reſurrectionis dominicæ ſæcularibus Euchariſtiam miniſtrare, docent Navarrus *cap.* XXI. *num.* 52. Azorius *Lib. VII. cap.* XXX. *quæſt.* VII. Sarnenſis de *viſitat. Lib. II. cap.* III. *num.* 30. Henriquez *Lib. VIII. cap.* IV. *num.* 1. Trullenchus *Lib. III. in Dec. cap.* V. *dub.* 2. *num.* 8. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* V. *punct.* 1. *num.* 12. limitat concluſionem ad eos qui in propria parochia prius non impleverint præceptum. Contraria ſententia communiſſima eſt, & vera, praxique confirmata. Quia in privilegio, conceſſo Mendicantibus miniſtrandi Euchariſtiam fidelibus, excipitur dies Reſurrectionis dominicæ pro obſervantia præcepti; ſeu Pontifices volunt ut fideles omnes in propriis parochiis impleant præceptum. Ergo, quoties fideles vel ante diem Reſurrectionis hoc præceptum executioni mandaverint, vel habeant animum intra deſignatos quindecim dies illud implendi, poterunt, ubicumque voluerint, devotionis titulo communicare. Suarez *diſp.* LXXII. *ſec.* 2. Filliucius *num.* 265. Rodriguez de *commun. cap.* LXIV. *num.* 1. Bonacina *diſp.* IV. *quæſt.* VII. *punct.* 2. *num.* 9. Nugnus *quæſt.* LXXXII. *art.* 3. Fagundez *præc.* 3. *Lib. I. cap.* V. *num.* 9. Portel *num.* 5. Ioannes de Cruce in *Epitom. Lib. II. cap.* V. *dub.* 4. *concluſ.* 2. Emmanuel Sa *verb.* Euchar. *num.* 10. Granados *tract.* XII. *diſp.* II. *num.* 4. Leander *tract.* VII. *diſp.* III *quæſt.* XX. & apud ipſum Layman, AEgidius, Vaſquez, & alii communiter.

IX. Aliqui Caſuiſtæ, ut Ioannes de Cruce, & Portel, docent, Regulares poſſe in articulo mortis miniſtrare ſæcularibus Euchariſtiam per modum Viatici. Sed hæc opinio falſa eſt; & allegata privilegia Pauli IV. apocrypha ſunt. Tantummodo Parocho deficiente, Regulares, & quilibet Sacerdos poſſunt in mortis articulo proximo Viaticum fidelibus adminiſtrare: quoniam, ſi poſſunt in tali extremo eventu ſacramentum pœnitentiæ impartire, potiori iure valent etiam ſacrum Viaticum porrigere.

X. Advenæ, & peregrini, qui ad proprias parochias redire nequeunt Paſchatis tempore, ſatisfaciunt præcepto communionis paſchalis, in quacumque Eccleſia, ſive Regularium, ſive aliorum Sacerdotum, ſuſcipiant Euchariſtiam a Sacerdotibus facultatem habentibus illam miniſtrandi. Parochiani de licentia expreſſa ſuorum Parochorum poſſunt communicare in Eccleſiis Mendicantium. Secus dicendum de ſacramento matrimonii, cuius adminiſtratio a poteſtate pendet iuriſdictionis. Hæc omnia apud Auctores extra dubitationis aleam verſantur.

XI.

XI. Iure communi nulla pœna, ſeu cenſura lata eſt contra tranſgreſſores iſtius præcepti, quæ ipſo facto incurratur. Siquidem in cap. *Omnis utriuſque ſexus* ſolum præcipitur ut huiuſmodi tranſgreſſores arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priventur eccleſiaſtica ſepultura: quibus pœnis ſubiecti ſunt qui alterutrum præceptorum, vel confeſſionis, vel communionis, tranſgrediuntur. Communiter tamen loquendo nemo præceptum communionis violat, qui prius non tranſgrediatur præceptum confeſſionis. In ſingulis diœceſibus Epiſcopi ſtatuere ſolent cenſuras, ipſo facto ſubeundas tranſgreſſoribus iſtius præcepti. Idcirco cuiuſque loci conſuetudines obſervandæ ſunt. Et hæc dicta ſufficiant de quinque Eccleſiæ præceptis. De duobus ultimis plura alia dicemus in tractatu de ſacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ.

FINIS TOMI QUINTI.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

Quæ in hoc Tomo continentur.

A

ANonymus Theologus epiſtola ad D. Petrum Ballarinum data duplicem quaſi a ſe inventam emendationem textus D. Thomæ divendit, quæ tamen eſt Sylvii. *p.* 199. & *ſeq. n.* 2. Alii pueriles eiuſdem plauſus. *ibid.*

B

Baſnagius (Samuel) male docet Theleſphorum Papam inſtituiſſe quadrageſimale ieiunium. *p.* 137. *n.* 9. Male item docet ieiunia quatuor temporum longe poſt ætatem Apoſtolorum pontificia auctoritate invecta fuiſſe. *p.* 139. *n.* 1.

Bauny (P. Stephanus) laxiſſime docet non peccare mortaliter eum qui Miſſæ intereſt ſolum ab offertorio incluſive uſque ad poſtcommunionem incluſive. *p.* 75. *n.* 2.

Bellarminus (Robertus Card.) fallitur docendo ſtationes fuiſſe vigilias diurnas tempore ſolemnis ieiunii. *p.* 143. *n.* 10.

Benedictus XIV. doctrinam de decimis in publica ſignatura gratiæ uberrima eloquentia explanavit. *p.* 360. & *ſeq. n.* 7.

Bonacina (Martinus) laxe docet in collatione diei ieiunii fumi poſſe iuſculum ex cibis eſurialibus, parvos piſces, aut exiguam partem piſcis maioris. *p.* 263. *n.* 8. Et piſces exſiccatos, & ſale conditos. *p.* 268. *n.* 13. Laxe docet comburentem proprias ſegetes, vineas &c. obnoxias decimæ, vel fructus collectos ſua culpa perire ſinentem, non teneri pro deſtructis decimis Eccleſiæ ſatisfacere. *p.* 381. & *ſeq. n.* 6. Perperam pro ſe adducit D. Thomam. *ibid.* Male ait primitiarum ſolutionem non præcipi iure eccleſiaſtico. *p.* 394. *n.* 6.

Brancacci (Card.) plura pro potione cocolatæ adducit argumenta, quæ refelluntur ceu improbabilia. *p.* 214. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

C

Calinus (P. Cæſar) feſtivam rationem affert pro licito uſu cocolatæ in die ieiunii. *p.* 237. *n.* 32. & *ſeq.* Refellitur. *ibid.*

Caramuel (Ioannes) laxas docet propoſitiones de ieiunio. *p,* 151. & *ſeq. n.* 7.

Caſtropalaus (P. Ferdinandus) laxe docet comburentem ſegetes. & fructus obnoxios decimæ, non teneri aliquid Eccleſiæ reſtituere. *p.* 381. *n.* 5.

Caſuiſtæ laxe nimis extendunt quantitatem collationis ſerotinæ in die ieiunii. *p.* 258. & *ſeq. n.* 3. Ex plurium Caſuiſtarum doctrina conſurgit plane deformata ieiunii imago quæ exhibetur. *p.* 273. & *ſeq. n.* 1. Laxe docent excuſari a ieiunio Chriſtianos, ut poſſint reddere debitum coniugale. *p.* 314. & *ſeq. n.* 8. & *ſeq.* Hæc eorum doctrina ſumme diſtat a doctrina Patrum, & Eccleſiæ. *ibid.* Caſuiſtarum plurium recentium volumina legentes perdiſcunt laxitates, quas antea ignorabant. *p.* 318. *n.* 16. Eorum opiniones de ieiunio ſi veræ eſſent, lex eccleſiaſtica de eodem penitus iam obſoleviſſet. *p.* 337. *n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur idipſum auctoritate Car-

Cardinalis Pallavicini. *p.*338. & *ſeqq. n.*4.

Clemens Papa XI. nec ſumebat, nec in ſuo procætone ſumi ab aliis ſinebat potum cocolatæ in die ieiunij. *p.*227. & *ſeq. n.* 16.

Clerus Gallicanus potum cocolatæ reprobat in die ieiunii ceu putidam corruptelam. *p.* 243. *n.* 7.

Cocolata primum obtinuit in Indiis Orientalibus. *p.*205. *n.*1. Deinde in Hiſpanos migravit. *ibid.* Et multo ſerius ad Italos pervenit. *ibid.* Quid proprie ſit explicatur. *p.* 206. *n.* 2. Non pendet ab hominum voluntate, ut potus artificialis qui potus effectum parere nequit, potius evadat. *p.* 207. *n.* 3. Cocolata ieiunii eccleſiaſtici legem violat. *ibid. n.* 4. Quod illa diluatur aqua, efficit quod magis frangat ieiunium quam contra. *pag.* 210. *n.* 5. Referuntur recentiores Auctores adverſus cocolatam pugnantes. *ibid.* & *pag.* 211. *n.* 6. Ab eorum ſententia nihil differt media ſententia Leandri. *p.* 212. *n.* 3. Argumenta omnia Cardin. Brancacci, & Cozza, itemque Thomæ Hurtado in favorem cocolatæ excogitata in examen adducuntur, eorumque ſententiam omnino falſam & improbabilem eſſe oſtenditur. *pag.* 214. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* P. Vivæ laxitates referuntur, & refelluntur. *ibid.*

Cocolata non habet rationem potus. *p.* 216. *n.* 4. Falſum eſt non adverſari integritati ieiunii potum, niſi ſit extractus ex materia in diebus eſurialibus prohibita. *ibid.* Solvitur obiectio deſumpta ex cereviſia. *pag.* 217. *n.* 5. Aſſignatur regula certiſſima diſcernendi quodnam mixtum, licet potabile, ieiunium eccleſiaſticum ſolvat. *p.* 218. & *ſeq. n.* 6.

Declarationes pontificiæ quæ allegantur pro cocolata, commenta, & aniles fabulas eſſe oſtenditur. *p.* 219. & *ſeqq. n.* 7. & *ſeqq.* Sicut etiam conſilium, quod dicitur Martini Navarri, eſſe commentitium. *p.* 222. *n.* 11. Male vapulat ab Hurtado Paſqualigus, quod rationes non invenerit pro cocolata. *ibid.* & *pag.* 223. *n.* 12. & *ſeq.* Male itidem Hurtadus pro ſe Lezanam adducit. *p.* 224 & *ſeq. n.* 14. Solvitur obiectio petita ex conſuetudine ſumendi cocolatam. *pag.* 225. & *ſeqq. n.* 15. & *ſeqq.* Huiuſmodi conſuetudini deſunt omnia requiſita ad veram conſuetudinem inducendam adverſus legem. *ibid.* Sibi inconſtans eſt, & plerumque falſus Hurtadus in aſſignandis rationibus, & auctoritatibus pro cocolata. *p.* 230. *n.* 20. Conſilium ab ipſo attributum Martino Navarro refertur; oſtenditurque eſſe manifeſtam impoſturam. *ibid.* & *p.* 231. & *ſeq. n.* 21. & *ſeq.* Solvitur aliud Hurtadi obiectum petitum ex Probabiliſmo, & conſuetudine. *p.* 232. & *ſeq. n.* 23. & *ſeq.* Et aliud eiuſdem petitum ex ſumptione electuariorum. *p.* 233. & *ſeq. n.* 25. & *ſeq.* Eius doctrina qua docet cocolatam frangere ieiunium, ſi ſumatur ut nutriat, manifeſte retorquetur in eumdem. *p.* 234. & *ſeq. n.* 27. & *ſeq.* Eius aſylus ad intentionem qua ſumitur cocolata, ridiculus eſt. *p.* 236. *n.* 30. Exemplum vini ab eo adductum ſuæ ſententiæ non prodeſt, ſed obeſt. *ibid. n.* 31. Exſufflatur argumentum omnino feſtivum P. Calini pro cocolata. *p.* 237. *n.* 32. & *ſeq.*

Mutua adverſariorum pugna pro cocolata tuenda, falſam illorum eſſe opinionem evincit. *p.* 238. *n.* 34. Cardinalis De Lugo facetum dictum de cocolata refertur, iuſtaque animadverſione excipitur. *ibid.* Exſcribitur ex P. Tamburino factum notabile, probans cocolatam eſſe maxime nutritivam. *p.* 239. *n.* 1. In potu cocolatæ datur parvitas materiæ. *pag.* 240. *n.* 2. Hanc non bene aſſignant Cardinales Cozza, & Brancaccius, nec non P. Viva, Leander, Eſcobar, & Paſqualigus. *ibid.* Præciſa huius parvæ quantitatis menſura vix deſignari poteſt. *p.* 241. *n.* 3. Sumens eam potionem in materia parva, peccat venialiter. *ibid.* Parva materia non eſt uncia cocolatæ, quatuor, vel quinque unciis aquæ immixta. *ibid.* & *p.* 242. *n.* 4. Si parum

Digitized by Google

rum pulveris cocolatæ ita aquæ immiſceatur, ut hæc naturam aquæ, & rationem veri potus retineat, non violabitur ieiunium. *p.* 243. *n.* 5. Sicut neque ſi quis eam ſumat ex aliquo ſalutis incommodo, aut iuſta aliqua laboris occurrente cauſsa. *ibid. num.* 6.

Potus cocolatæ ab Eccleſia Gallicana ceu putida corruptela reprobatur. *ibid. num.* 7. Male Auctor Anonymus eum licitum defendit auctoritate Ludovici della Fabra Phyſico-Medici. *ibid.* & *pag.* 244. *n.* 1. Male contendit eum eſſe medicinalem potum; idque peius confirmat auctoritate S. Auguſtini. *ibid. n.* 2. Anonymus ille Auctor deſcribitur. *ibid.* & *p.* 245. *n.* 3. & *ſeqq.* Ludovici della Fabra rationes partim falſæ, partim ineptæ referuntur, & refelluntur. *pag.* 246. & *ſeq. n.* 6. & *ſeq.*

Collatio, ſeu refectiuncula ſerotina, quæ ſumitur in die ieiunii, originem habuit a collocutione, & conferentia ſpiritnali Monachorum. *p.* 195. & *ſeq. n.* 2. Explicatur. *ibid.* Sæculo XIII. pro ſola potus ſumptione accepta fuit. *p.* 196. *n.* 3. Sæculo XVI. communiter uſus obtinuit ſumendi præter potum etiam aliquid cibi. *p.* 197. *n.* 4. Oſtenditur hanc collationem ſerotinam non adverſari integritati ieiunii. *p.* 197. & *ſeq. n.* 5.

Quantitas cibi in collatione permiſſa, diu fuit ſatis modica. *p.* 257. & *ſeq. n.* 2. D. Carolus Borromæus conceſſit pro ſerotina collatione unciam cum dimidio panis, & vini poculum. *ibid.* Caſuiſtæ eam nimis extendentes referuntur. *p.* 258. & *ſeq. n.* 3. Laxe eam ad octo uncias extendit P. Milante. *ibid.* Et laxe P. Sporer ad quartam partem cœnæ. *ibid. n.* 4. Non videtur extendenda ultra duas uncias panis, & unam unciam amygdalarum, aut ficuum, aut nucum, detractis corticibus. *p.* 260. *n.* 5. Falſo & laxe ait Diana ſtatutas eſſe licitas in ea octo uncias, atque eſſe ab omnibus licitas ſuſtinendas. *ibid.*

Illius quantitas augeri non poteſt licite in pervigiliis Nativitatis, & Reſurrectionis dominicæ, aut alio die, niſi ubi vere obtinet conſuetudo eam augendi. *p.* 261. & *ſeq. n.* 6. Laxe docent Diana, & Leander exceſſu duarum unciarum ſupra octo in collatione diei ieiunii ſumptarum ieiunium non frangi. *p.* 262. *n.* 7. Laxe docet Bonacina in ea ſumi poſſe iuſculum ex cibis eſurialibus, piſciculum, aut exiguam partem piſcis maioris. *pag.* 263. *num.* 8. Improbatur hæc opinio. *ibid.*

Cibi in ea permiſſi ſunt panis, poma, pyra, ficus, uvæ, ſive recentes, ſive ſiccæ, oleæ, nuces, herbæ crudæ, dulciaria, ſeu bellaria, idque genus ſimilia. *p.* 264. *n.* 9. Non tamen permitti deber cibus concretus ex pane & herbis, oleoque, & ſale conditus, ut laxe permittit Leander. *ibid. n.* 10. Impugnatur hæc opinio. *ibid.* Laxe Bonacina, & Sporer in ca collatione concedunt piſciculos recentes, aliquid butyri, caſei, & ovorum. *p.* 265. & *ſeqq. n.* 11. & *ſeq.* Refelluntur auctoritatibus vel ipſorum benigniorum Caſuiſtarum. *ibid.* Perperam etiam in ea conceduntur a Bonacina piſciculi ſumo exſiccati, vel ſale conditi. *p.* 268. & *ſeq. n.* 13. Refellitur hæc opinio. *ibid.* Abſolute non licet in ea edere lacticinia, etiam ubi hæc licent in prandio. *p.* 270. *n.* 15. Nec in ea licet viris nobilibus, delicatis, Advocatis, Procuratoribus, Lectoribus, omnibuſque ſtudioſis ſumere collationem maioris quantitatis quam ceteris liceat. *ibid.* & *p.* 271. *n.* 16. Oppoſita Paſqualigi, Leandri, & Cozzæ opinio refellitur. *ibid.* Illi non favet conſuetudo Curiæ Romanæ. *ibid.*

Collationem ſummo mane abſque iuſta cauſa ſumere non licet, dilato prandio in veſperum. *p.* 272. *n.* 17. Iuſta tamen ſic eam ſumendi cauſſa eſt iter. *ibid. n.* 18.

Communio paſchalis præcipitur iure eccleſiaſtico. *p.* 434. *n.* 1. Hoc præceptum obligat ſolos fideles baptizatos. *ibid. num.* 2. Antiquitus ante uſum rationis ſtatim poſt baptiſmum infantes Eucha-

chariſtia reficiebantur. *ibid. n.3.* Nunc omnes eam ſumere debent ſemel in anno, cum ad annos diſcretionis pervenerint. *ibid. n.4.* Hoc explicari debet, cum infantes ſunt doli capaces. *p.435. n.5.* Refellitur P. Suarez, maiorem in pueris requirens cognitionem pro communione quam pro confeſſione peragenda. *ibid.* & *p.436. n.6.* Parentum, & Sacerdotum eſt explorare, an pueri Euchariſtiæ cognitionem aliquam ſint aſſecuti. *p.437. n.7.* Diluitur obiectum Suarez. *p.438. n.8.* Parentes, & Confeſſarii non permittentes pueros doli capaces ſumere Euchariſtiam in articulo mortis, abſolute loquendo peccant mortaliter. *p.439. num.10.*

Tempus quo obligat præceptum ſumendi Euchariſtiam, eſt paſchale. *p.440. n.2.* Comprehenditque quindecim dies, a Dominica ſcilicet Palmarum uſque ad Dominicam in albis. *ibid. n.3.* Communionis paſchalis præceptum fideles implere tenentur cum primum poſſunt, quacumque ex cauſſa ſive legitima, ſive non, illud ſuo tempore implere omiſerint. *pag.442. n.5.* Huiuſmodi præceptum primario & abſolute imperat communionem, ſecundario tempus quo fieri debet. *p.443. n.6.* Qui prævidet ſe communionem ſumere non poſſe infra quindecim dies Paſchatis, probabilius tenetur illam anticipare. *p.444. & ſeqq. n.8. & ſeq.* Satiſfit argumentis ſententiæ contrariæ. *ibid.* Non ſatiſfit præcepto communionis paſchalis per ſacrilegam Domini manducationem. *p.447. & ſeq. n.1.* Oppoſitum damnatum fuit ab Innocentio XI. *ibid.* Excommunicati, & interdicti excuſantur a ſumptione Euchariſtiæ, dummodo ipſi in cauſſa non ſint cur a cenſuris non abſolvantur. *p.448. n.2.*

Sumenda eſt communio paſchalis in propria Parochia, aut alibi de licentia Parochi. *p.449. n.3.* Eam ſumentes in Cathedrali, quæ non eſt propria Parochia, non ſatiſfaciunt præcepto. *p.449 n.4.* Sacerdotes Miſſam celebrantes ſatiſfaciunt præcepto, ubicumque celebrent. *ibid. n.5.* Regulares in Paſchate poſſunt Euchariſtiam ſuis familiaribus miniſtrare. *ibid. n.6.* Non tamen aliis, ita ut per eam communionem præcepto ſatiſfiat. *ibid. n.7.* Neque poſſunt etiam devotionis titulo, in die Reſurrectionis dominicæ ſæcularibus Euchariſtiam miniſtrare. *p.450. n.8.* Sicut non poſſunt, niſi Parocho deficiente, eam fidelibus miniſtrare in articulo mortis. *ibid. n.9.*

Advenæ, & peregrini qui ad proprias Parochias redire nequeunt Paſchatis tempore, ſatiſfaciunt præcepto communionis in quacumque Eccleſia eam ſumant. *ibid. n.10.* Iure communi nulla cenſura lata eſt contra tranſgreſſores iſtius præcepti. *p.451. num.11.* Privantur illi tamen ingreſſu Eccleſiæ, & eccleſiaſtica ſepultura. *ibid.*

Confeſſio annua peccatorum facienda præcipitur. *p.404. n.1.* Male Durandus dubitat, ſitne ea ſolum ex conſilio facienda. *ibid. n.2.* Illius præceptum obligat per ſe. *p.405. n.3. & ſeq.* Nec oppoſitum docuerunt S. Thomas, & S. Antoninus, ut male ait Suarez. *ibid.* Confeſſio annua quoad temporis determinationem eſt de iure eccleſiaſtico. *p.406. n.5.* Illius præceptum non ſolum Catholicos obligat, ſed etiam hæreticos. *ibid. n.6.* Extenditurque ad omnia peccata mortalia non ſolum externa, ſed etiam interna. *ibid. n.7.* Pluſquam temeraria eſt oppoſita Margaritæ Confeſſariorum ſententia. *ibid.* Non tamen extenditur ad venialia. *p.407. n.8.* Qui lucrari vult Iubilæum, etſi mortalia non habeat, confiteri debet venialia. *ibid. num.9.*

Recenſentur, & explicantur variæ ſententiæ de anni parte qua obligat præceptum annuæ confeſſionis. *p.408. & ſeq. n.1. & ſeqq.* Pro illius obſervantia anni initium computari debet a Paſchate Reſurrectionis ad aliud Paſcha Reſurrectionis. *p.410. num.4.* Qui per integrum annum confeſſus non fuit, confiteri tenetur cum primum commode poſſit. *ibid. n.5.* Sol-

vi-

Digitized by Google

vitur obiectum. *p.*411. *n.6.* Qui omiſſa anno præterito confeſſione in principio huius anni confitetur, tenetur iterum confiteri, ut ſatisfaciat præcepto anni currentis. *ibid.* & *p.*412. *n.* 7. Qui ineunte anno prævidet ſe poſtea toto anno impediendum fore a confeſſione, eam anticipare tenetur. *p.*413. *n.*8. Si quis mortale perpetret ante finem illius anni in quo ſola venialia confeſſus eſt, tenetur ad confeſſionem mortalis. *ibid. n.* 9. Sicut etiam ſi ſola venialia cum mortali dubio fuerit confeſſus. *ibid.* Qui rite confeſſus eſt omnia peccata memoriæ occurrentia, non tenetur antequam elabatur annus confiteri mortale oblitum. *p.* 414. *n.* 10. Tenetur tamen confiteri peccatum ſcienter ob iuſtam cauſſam omiſſum. *ibid. n.* 11. Præceptum annuæ confeſſionis non impletur per confeſſionem invalidam. *p.* 415. & *ſeq. n.*1. & *ſeqq.* Impletur per validam & informem. *p.* 416. *num.* 4. Non tamen per confeſſionem in qua abſolutio Sacerdotis non obtinetur, ſive ex eius malitia id accidat, ſive ex eius oſcitantia. *pag.* 417. *n.* 5.

Explicatur clauſula Lateranenſis Concilii: *Cum ad annos diſcretionis pervenerint.* *p.*418. *num.* 1. Improbabilis Narbonæ opinio eximens octuagenarios a præcepto annuæ confeſſionis refellitur. *p.*420. *n.*3. Eo præcepto ſecundum vim directivam tenetur etiam ſummus Pontifex. *ibid. n.*4.

Impotentia phyſica, aut moralis excuſat ab eo implendo. *p.*422. *n.*8. Si tibi immineat notabile damnum honoris, vitæ, aut fortunæ, ab eo pariter excuſaris. *ibid. n.* 9. Præceptum huiuſmodi non obligat ad confeſſionem per interpretem faciendam. *p.*423. *n.* 10. Conſulenda tamen eſt oppoſita D. Thomæ doctrina. *ibid.*

Confiteri tenemur per interpretem in articulo mortis; idque iure divino. *p.*425. & *ſeqq. n.* 12. & *ſeqq.* Solvuntur in contrarium oppoſita. *p.*428. & *ſeq. n.* 17. & *ſeqq.* Qui non poteſt propria voce confiteri, tenetur urgente præcepto confiteri per nutus, vel ſcripturam. *p.*430. *n.* 20.

Confeſſionis præceptum implere omittentes puniri poſſunt pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & altera pœna, quam iudex cauſſa cognita imponit. *p.*431. *n.* 1. Durandi opinio docens hoc delictum puniri non poſſe ab Eccleſia, ceu falſa improbatur. *ibid.* Omittentes confeſſionem facere nulla pœna puniuntur iure communi. *ibid. n.*2. Communiter tamen excommunicantur qui confeſſionem, & communionem, aut ex his alteram omittunt, aut faciunt, ſed nullam. *ibid. n.* 3. & *ſeq.*

Impuberes non implentes præceptum annuæ confeſſionis, non incurrunt ullas pœnas. *p.*432. *n.* 5. Meretrices tamen ſynodales pœnas, ceteraſque iuris communis incurrerent. *ibid. n.*6.

Copellotti (D. Petrus) ſua Diatriba ineptis rationibus, tricis, & ſophiſmatibus referta male defendit diſpenſatum a carnium abſtinentia ieiuniorum tempore non teneri ad ieiunium. *p.*166. & *ſeqq. n.*4. & *ſeqq.* Eiuſdem præpoſterus, ac ridicularius zelus. *ibid.* Male abſtinentiam a carnibus ait eſſe formam ſubſtantialem ieiunii. *ibid.* Sibilo & cachinnis hæreticorum exponit Eccleſiæ Romanæ ieiunium. *p.*170. *n.*7. Inanes eius interpretationes referuntur, & exſufflantur. *p.* 174. & *ſeqq. n.* 15. & *ſeqq.* Eius commenta quibus SS. Patres in ſuam ſententiam trahere conatus eſt, vel ipſis Stoicis riſum movent. *p.* 176. *n.* 21. Perperam in ſui præſidium allegat Caietanum, & Roncagliam. *p.* 181. & *ſeq. n.* 26. & *ſeqq.* Ridiculoſe contendit pro ſe ſtare SS. Patres. *ibid.* Nullus Caſuiſtarum tam prodigioſa ſophiſmata vulgavit, ut ipſe in ſua Diatriba. *p.* 183. *num.* 30. Quam etiam pluribus contradictionibus involvit. *ibid.*

Cozza (Laurentius Card.) plura pro potione cocolatæ adducit argumenta, quæ refelluntur ceu improbabilia. *p.* 214. & *ſeqq. n.*1. & *ſeqq.* Eius opinio viris nobilibus, Advocatis &c. maiorem quam ceteris in ieiunio collationem

nem permittens, improbabilis eſt, & falſa. *p.* 270. & *ſeq. n.* 16.

D

Dallæus (Iacobus) perperam docet fuiſſe olim liberam, non neceſſariam, abſtinentiam a carnibus in ieiuniis Chriſtianorum. *p.* 121. *n.*4. Refellitur. *ibid.* Falſo ait ieiunia quatuor Temporum in ſola Eccleſia Romana tempore S. Leonis obſervata fuiſſe. *p.* 139. *n.* 1.

Debitum coniugale. *V. Rex uxoria.*

Decimæ ſuam originem habent ante quamcumque legem ſcriptam. *p.* 343. *n.* 2. Eas lex poſitiva aſſignavit Eccleſiæ miniſtris uti congruam eorum ſuſtentationem. *ibid. n.* 3. In veteri teſtamento decimæ debebantur Sacerdotibus, & Levitis de omnibus fructibus terræ. *p.* 344. *n.*4. Præceptum iſtud, prout morale, etiamnum viget. *ibid. n.* 5. Et a lege etiam naturali deſcendit. *ibid.* & *p.* 345. *n.* 6. Referuntur hæreticorum errores adverſus decimas. *ibid. n.* 7. Decimarum varia ſunt genera, quæ referuntur. *p.* 346. & *ſeq. n.* 1.

Decimas ſolvendi conſuetudo quo tempore obtinuerit in Eccleſia Chriſtiana, rem dubiam eſſe, & obſcuram oſtenditur. *ibid. n.*2. & *ſeq.* Tempore Conſtantini Imperatoris ſenſim conſuetudo voluntaria ſolvendi decimas rationem legis obligantis obtinuit. *p.*349. & *ſeq. n.* 5. & *ſeqq.* Opinionem, quæ ait fideles teneri ſolvere decimas vi iuris divini, etiam ſpectata earum quantitate, eſt opinio aperte falſa. *p.* 351. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Oſtenditur; ſimulque impugnatur Anacletus Reiffenſtuel. *ibid.* Conſuetudo non poteſt abrogare obligationem ſolvendi decimas in ea parte qua neceſſariæ ſunt ad alendos pauperes Eccleſiæ Miniſtros. *p.* 353. *n.*4. Eccleſia valet auferre conſuetudinem invectam non ſolvendi decimas. *p.* 354. *n.* 5.

Pontifex neque valide, neque licite poteſt legem decimarum omnino abrogare. *ibid. n.* 6. Decimas Monachis, & Regularibus Eccleſiam conceſſiſſe oſtenditur variis, iuſtiſque de cauſſis, quæ recenſentur. *p.* 355. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Applicatio decimarum, facta per Pontificem laico ſine ulla iuſta cauſſa, eſt nulla. *p.* 360. *n.* 7.

Decimas ſolvere tenentur omnes fideles baptizati vi iuris communis per ſe loquendo, niſi aliquo privilegio ſint exempti. *p.* 361. *n.* 1. Infideles, quatenus infideles ſunt, decimarum oneri non ſubiiciuntur. *p.* 362. *n.* 2. Secus ratione alicuius circumſtantiæ, quæ recenſetur. *ibid.* Eccleſia ab infidelibus in terris ſibi ſubiectis inhabitantibus iure exigere poteſt tributum congruum ad ſuſteutandum Prædicatores, & Miſſionarios ad eorum converſionem deſtinatos. *p.* 363. *n.* 3. Decimis perſonalibus obnoxii non ſunt Pontifices, & Epiſcopi. *ibid.* & *p.* 364. n.4. Obnoxii tamen ſunt decimis prædialibus de illis terris quas poſſident titulo temporalis hereditatis, emptionis, aut quovis alio. *ibid.*

Decimas ſolvere non tenentur Clerici de iis quæ lucrantur actione ſpirituali. *ibid.* & *p.* 365. *n.* 6. Secus de iis quæ lucrantur corporali labore. *ibid.* Nec eas tenentur ſolvere de fructibus beneficiorum. *ibid.* Secus de fructibus prædiorum quæ poſſident titulo hereditatis, emptionis &c. *ibid.* Decimas pendere tenentur etiam Principes, & Reges. *ibid. n.* 7.

Pauperes in gravi neceſſitate conſtituti tenentur Eccleſiæ Paſtoribus ſuam neceſſitatem exponere, ut decimas ſibi remittant. *ibid.* & *p.* 366 *n.* 8.

Monachi, & Clerici in communi viventes antiquitus exempti fuere a decimis tum perſonalibus, tum prædialibus. *p.* 367. & *ſeq. n.* 2. Huiuſmodi exemptionis privilegia iuri communi inſerta ſtricte ſunt interpretanda. *p.* 369. *n.* 4. Regulares reipſa exempti ſunt a decimis ſolvendis de propriis hortis, prædiiſque, quæ propriis ſumptibus colunt. *ibid. n.* 5. Sicut etiam de novalibus, aliiſque terris ante, & poſt Concilium Lateranenſe acquiſitis propriiſque ſumptibus cultis. *p.* 370. *n.* 6. Re-

Digitized by Google

Regulares quandoque tenentur, quandoque non, ſolvere decimas de terris, ſeu prædiis quæ colenda tradunt aliis. *p.* 370. & *ſeq. n.* 7. & *ſeq.* Explicatur. *ibid.* Non tenentur ſolvere decimas prædiorum conductorum, vel ab ipſis in emphyteuſim acceptorum, quæ ab iiſdem propriis manibus, aut ſumptibus excoluntur. *p.* 372. *n.* 9.

Privilegia Regularium de exemptione decimarum favent etiam Monialibus. *p.* 373. *n.* 10. Ea quandoque amittuntur. *ibid. n.* 11. Explicatur. *ibid.* Decimæ de omnibus lucris, & proventibus per induſtriam acquiſitis ſolvi debent. *p.* 374. *n.* 1. Non tamen de iniuſte acquiſitis. *p.* 375. *n.* 2. Bene tamen de acquiſitis ex turpi cauſſa. *ibid.*

Decimæ perſonales uſu & conſuetudine omnes abrogatæ ſunt. *ibid. n.* 3. Decimæ prædiales, ſeu reales ſolvendæ ſunt de omnibus & ſingulis fructibus qui a terra, ſeu a prædiis tum communibus, tum novalibus producuntur. *ibid. n.* 4. Explicatur uberius. *ibid.* Decimæ ſolvendæ ſunt de fructibus, non deductis expenſis. *ibid. n.* 5. Decimæ, mixtæ nuncupatæ, ſolvendæ ſunt de omnibus fructibus qui dicuntur mixti. *p.* 376. *n.* 6. Exemplificatur. *ibid.* Decimæ ſolvi debent ſtatim ac collecti ſunt fructus. *ibid. n.* 7. Eas qui ſolvere differunt, ex circumſtantiis graviter peccare poſſunt. *ibid.*

Decimas ſolvere Parochiani tenentur, etiamſi Parochus illas non petat. *p.* 377. *n.* 8. De loco in quo ſolvendæ ſunt decimæ, ſtandum eſt conſuetudini. *ibid. n.* 9. Decimæ prædiales ſolvendæ ſunt illi Parochiæ in cuius territorio prædia reperiuntur. *p.* 378. *n.* 10. Decimæ animalium ſolvendæ ſunt Parochiæ in cuius territorio ea paſcuntur, & fetus pariunt, licet domini alibi habitent. *ibid. num.* 11. Inferuntur nonnulla huc ſpectantia. *ibid.*

Decimas defraudantes non excommunicati, ſed excommunicandi ſunt. *p.* 379. *n.* 1. Qui fructus non decimatos furatur, eorumdem decimas Eccleſiæ reſtituere tenetur. *p.* 380. *n.* 3. Emens fructus non decimatos, tenetur ſolvere decimam. *ibid. n.* 4. Comburentes, ſeu deſtruentes ſegetes, & fructus, arboreſque ſuccidentes, tenentur deſtructas decimas Eccleſiæ reſtituere. *p.* 381. *n.* 5. Laxa P. Caſtropalai contraria opinio refellitur. *ibid.*

Parochianus qui proprias ſegetes vineas, alioſque fructus ante collectionem comburit, vel fructus collectos ſua culpa perire ſinit, tenetur pro deſtructis decimis Eccleſiæ ſatisfacere. *ibid.* & *p.* 382. *n.* 6. Laxa, & improbabilis Bonacinæ contraria opinio refellitur. *ibid.* Dominus qui noluit colligere fructus iam maturatos, tenetur ad reſtitutionem decimæ ex ſua negligentia graviter culpabili deperditæ. *p.* 383. *n.* 7. Ad compenſationem decimarum non tenentur qui nolunt colere agros, vel qui eos, aut vineas in domos convertunt. *p.* 384. *n.* 8. Parochi propria auctoritate non poſſunt a ſuis Parochianis decimas accipere; aut ſolvere nolentibus ſacramenta denegare. *ibid. n.* 9.

Debitum ſolvendi decimas ceſſat quatuor modis, qui referuntur. *ibid. n.* 10. In materia decimarum attendenda eſt conſuetudo. *p.* 385. *n.* 11. Inferuntur nonnulla. *ibid.* Super decimis compoſitio, & tranſactio valida eſt, nonnullis ſervatis, quæ referuntur. *p.* 386. *n.* 12. Olim decimæ cœtui Clericorum ſolvebantur. *ibid. n.* 1. Iure hodierno ſolis Parochis debentur. *p.* 387. *n.* 2. Si Eccleſiæ parochiales incorporentur Monaſteriis, & Capitulis, cenſentur iiſdem incorporatæ etiam decimæ. *ibid. n.* 3. Vi iuris hodierni nulla decimarum parochialium portio ſpectat ad Epiſcopum. *ibid. n.* 4. Aliqui tamen ſunt caſus, in quibus illi decimæ ſolvi debent. *ibid.* Aſſignantur. *ibid.* Decimæ ſolvi debent etiam Parochis divitibus, vel pravis moribus infectis. *pag.* 388. *num.* 5. Canonicis, Clericis beneficia habentibus, & Regularibus, qui curam parochialem exercent, decimæ ſolvendæ ſunt. *ibid. n.* 6. Sed ex iuſtitia ſolis Parochis, ſeu

Digitized by Google

ſeu curam animarum exercentibus. *ibid.*

Laici ſolum percipere decimas poſſunt ex privilegio Papæ, vel ratione ſibi locatæ ad tempus facultatis a miniſtris Eccleſiæ. *ibid. n.* 7. Referuntur nonnulla ad excitandos pios fideles ad decimas ſolvendas, & ad terrendos refractarios. *p.* 389. & *ſeq. n.* 8.

De Lugo (Ioannes Card.) facete loquitur de potu cocolatæ ſumpto in die ieiunii. *p.* 238. *n.* 34. Illius dictum iuſta animadverſione excipitur. *ibid.*

Diana (P. Antoninus) laxam ſententiam docet de præcepto audiendi Miſſam. *p.* 5. *n.* 2. Affingit D. Thomæ opinionem aientem electuaria ob ſolam delectationem ſumpta non frangere ieiunium. *p.* 204. *n.* 8. Laxe docet quantitatem unciarum octo ſtatutam eſſe licitam in die ieiunii, & ab omnibus ſuſtinendam. *p.* 260. & *ſeq. n.* 5. Laxe docet exceſſu duarum unciarum ſupra octo in collatione diei ieiunii ſumptarum non frangi ieiunium. *p.* 262. *n.* 7. Laxe equitantes abſolute a ieiunio eximit. *ibid.*

Durandus male dubitat ſitne annua confeſſio ex præcepto facienda, an ſolum ex conſilio. *p.* 404. *n.* 2. Falſo docet non confitentem in Paſchate puniri non poſſe ab Eccleſia. *p.* 431. *n.* 1.

E

Electuaria. *V. Diana. Ieiunium.*

Elizalde (P. Michael, vulgo Celladei) optime ex Cardinali Pallavicino probat penitus iam obſoleviſſe legem eccleſiaſticam ieiunii, ſi veræ eſſent recentium Caſuiſtarum opiniones. *pag.* 338. & *ſeqq. n.* 4.

F

Fabra (Ludovicus della Phyſico-medicus) rationibus partim falſis, partim ineptis potum cocolatæ licitum defendit in die ieiunii. *p.* 246. & *ſeq. n.* 6. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid.*

Feſta de medio tollebant Petrobuſiani, & VViclephiſtæ. *p.* 2. *n.* 3. Ea colenda eſſe docent Lutherani & Calviniſtæ, permiſcendo tamen earum celebrationem variis erroribus, qui recenſentur. *ibid. n.* 4. Feſta veteris teſtamenti nequaquam Chriſtianis celebrare licet. *p.* 3. *n.* 5. Feſti dies celebrandi ſunt a Chriſtianis non ſolum ratione ordinis, & politiæ, ſed ratione etiam myſterii quod ſignificant, & tamquam dies aliis ſacratiores, & ſanctiores. *ibid. n.* 6.

Feſtorum obſervationem merito Eccleſia præcipit, ſublato etiam ſcandalo & contemptu, lege obligante conſcientiam. *p.* 4. *n.* 7. & *ſeq.* & *p.* 24. *n.* 1. Præceptum ſanctificandi ſabbatum ad Decalogum pertinet. *p.* 10. *n.* 1. Ut cærimoniale eſt, non obligat Chriſtianos. *ibid.* Eo iubet Deus exteriorem cultum. *p.* 12. *n.* 4. Eiuſmodi præceptum eſt affirmativum. *ibid. n.* 5. Sabbati ſolemnitas in diem dominicum tranſlata eſt pluribus de cauſſis, quæ recenſentur. *ibid. n.* 6.

Feſtum diei dominicæ eſt iuris eccleſiaſtici. *p.* 13. *n.* 7. Alia ſunt feſta præter diem dominicam ex præcepto Eccleſiæ celebranda. *p.* 15. *n.* 1. Recenſentur, adducta Bulla Urbani VIII. *ibid. n.* 2. Aſſignantur feſta Chriſti Domini myſteria ſpectantia, cum nonnullis obſervationibus. *p.* 17. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Concilium generale, & Pontifex poteſtatem habent feſta inſtituendi. *p.* 22. *n.* 1. Itemque Epiſcopus, accedente tamen Cleri, & populi conſenſu. *ibid. n.* 2. Non tamen Principes ſæculares, ſine auctoritate Epiſcopi. *p.* 23. *n.* 3.

Dierum feſtorum obligatio incipit a media nocte, duratque uſque ad aliam mediam noctem. *pag.* 24. *n.* 2. Ad ea ſervanda tenentur omnes fideles uſu rationis præditi. *p.* 23. *n.* 1. Non vero amentes. *ibid. n.* 2. Nec infideles. *ibid.* Peregrini non tenentur obſervare feſta propria ſuæ patriæ, ſeu territorii, & diœceſis. *ibid. n.* 3. Sed tenentur obſervare feſta, & ieiunia illius loci ubi ſunt in tranſitu. *p.* 26. *n.* 4. Sicut ad ea civitatum in quibus commorantur, tenentur ſcholares,

res, milites, mercatores, mercenarii, & ſimiles. *p.* 27. *n.* 5. Itemque peregrini in iis commorantes uno, duobus, aut tribus tantum diebus. *ibid. n.* 6. Et etiamſi brevius; modo tempore moræ id commode poſſint. *pag.* 28. *n.* 7. Incolæ egredientes ſummo mane de proprio loco, ubi eſt dies feſtus, ut iter agant ad loca ubi feſtum non eſt, tenentur ante diſceſſum Miſſam audire. *p.* 29. *n.* 8. Nec ab eo loco diſcedere poſſunt animo illud non ſervandi, cum pervenerint ad locum in quo non urget. *ibid.* & *p.* 30. *n.* 9. & *ſeq.*

Feſta pro univerſa diœceſi ab Epiſcopo indicta, ſervanda ſunt etiam a Regularibus. *ibid. n.* 11. Sicut etiam ab ipſo Epiſcopo. *p.* 31. *n.* 12.

Peccant Chriſtiani, atque in gravi æternæ ſalutis periculo ſunt qui diebus feſtis, audita Miſſa, nullum aliud pium opus exercent, ſed totum diem terunt in rebus profanis. *p.* 95. *n.* 2. Referuntur plures Eccleſiæ leges, quibus id evincitur. *p.* 96. & *ſeq. n.* 3. & *ſeqq.* Male recentiores Theologi eas nonniſi adhortationes, & conſilia continere contendunt. *p.* 98. *n.* 8. Refelluntur ex D. Antonino, & Caietano. *ibid. n.* 9. & *ſeq.* Huiuſmodi tamen peccatum ſit ne mortale, an tantum veniale, non definitur. *pag.* 99. *n.* 11. Confirmatur adhuc præfata aſſertio. *ibid.* & *p.* 100. *n.* 12.

Ultra auditionem Miſſæ feſtorum ſanctificatio poſtulat ut fideles in propriæ conſcientiæ examine, librorum piorum lectione, ægrotorum viſitatione, atque eleemoſynarum diſtributione illos dies tranſigant. *pag.* 101. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur ex traditis a D. Antonino, & ab Eccleſiæ Patribus. *ibid.* Suadent præter hæc SS. Patres ut fideles diebus feſtis, potiſſimum dominicis, a re uxoria abſtineant. *p.* 104. & *ſeqq. n.* 5. & *ſeqq.* Huiuſmodi SS. Patrum doctrina confirmatur inſignium virorum exemplis, quæ referuntur. *p.* 106. *n.* 9.

Feſtorum præceptum violatur per peccatum mortale diebus feſtis patratum. *p.* 34. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur tum auctoritate, tum ratione. *ibid.* Grave eſſe huiuſmodi peccatum adverſus præceptum ſanctificandi feſta, ex Scripturis evincitur. *p.* 39. & *ſeq. n.* 19. Modo tamen ex iis ſit quæ ſunt quammaxime diebus feſtis contraria. *p.* 41. *n.* 20. Huiuſmodi crimina ſunt ebrietates, rixæ, choreæ impudicæ, fornicationes, adulteria, & ſimilia. *ibid.*

Aſſignatur regula pro praxi Confeſſariorum, & pœnitentium. *ibid. n.* 21. Opera quænam ſint ſervilia, prohibeanturque diebus feſtis. *V. Opera ſervilia.* De præcepto audiendi Miſſam diebus feſtis, deque ad illud ſpectantibus, *V. Miſſa.*

G

Geribaldi (P. Sebaſtianus) laxas propoſitiones docet de ieiunio. *p.* 155. *n.* 27. & 29.

Gobat (P. Georgius) laxas opiniones docet de præcepto audiendi Miſſam. *p.* 6. *n.* 3. & *ſeqq.* & *p.* 112. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.*

Gravina (Vincentius) recte & eloquenter potum cocolatæ frangere ieiunium docet. *p.* 207. *n.* 4.

H

Hurtadus (P. Thomas) multa laxa, falſa, & inepta congerit pro potu cocolatæ in die ieiunii. *pag.* 214. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Refellitur. *ibid. V. Cocolata.*

I

Ieiunium ſervandum eſſe a diſpenſatis ad comedendas carnes ob eſurialium ciborum faſtidium ſuis Brevibus declaravit BENEDICTUS XIV. *p.* 116. *n.* 2. Ieiunium quadruplex eſt; ſpirituale, morale, naturale, & eccleſiaſticum. *p.* 117. *n.* 1. Ieiunium ſecundum ſuam genericam conſiderationem præceptum eſt a Deo. *p.* 118. *n.* 2. Diverſimode errarunt hæretici circa ieiunium. *ibid. n.* 3.

n. 3. Ut illud Piceninus neget a Deo præceptum eſſe, fraudulenter obtruncat textum S. Auguſtini. *ibid.* Refellitur ex ipſo D. Auguſtino. *ibid.* Duo teſtimonia in illud allata a Calviniſtis, & Lutheranis explicantur. *pag.* 119. *n.* 4.

Ieiunia ſaltem aliqua Hebræorum carnium eſum excludebant. *p.* 120. *n.* 1. Chriſtiani in ſuis ieiuniis, potiſſimum quadrageſimalibus, ſemper a carnibus abſtinuerunt. *ibid.* & *p.* 121. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Et quidem ex præcepto. *ibid.* Dallæi, & aliorum Heterodoxorum obiectis ſatisfit. *ibid.* Eiuſmodi morem varium fuiſſe pro Eccleſiarum varietate male contendit Launoius. *pag.* 123. & *ſeqq. n.* 8. & *ſeqq.* Impugnatur, eiuſque obiecta ſolvuntur. *ibid.*

Ieiunium abſolute acceptum lege naturali & divina præſcribitur. *p.* 126. *n.* 1. Illud Eccleſia quoque ſuis legibus recte & iure præcepit. *ibid.* & *p.* 127. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Reſpondetur hæreticorum obiecto. *ibid.* Eorum falſæ de ieiunio opiniones recenſentur. *p.* 128. *n.* 1. Ieiunium eſt actus virtutis. *p.* 129. *n.* 2. Nobis meretur, ſeu impetrat bona temporalia. *p.* 130. *n.* 3. Plurimumque valet ad aſſequenda ſpiritualia. *ibid. n.* 4. Eſt etiam opus ſatisfactorium pro peccatis noſtris. *pag.* 131. *n.* 5. & *ſeqq.* Reſponſis, & obiectis Calviniſtarum, & Lutheranorum ſatisfit. *p.* 132. *n.* 8. & *ſeq.*

Ieiunium quadrageſimale ab Apoſtolis inſtitutum fuit. *p.* 133. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Fuitque ſemper in Eccleſia catholica quadraginta, aut prope quadraginta dierum. *p.* 135. *n.* 6. Launoii, & recentium hæreticorum obiectis reſpondetur. *pag.* 136. *n.* 7. & *ſeq.* Illud veroſimilius incipiebat feria ſecunda conſequente Dominicam Quinquageſimæ. *ibid.* & *p.* 137. *n.* 9. Septem aſſignantur cauſſæ, cur inſtitutum fuerit quadrageſimale ieiunium. *pag.* 183. *n.* 10.

Ieiunium quatuor temporum repetendnm eſt ab Apoſtolis. *p.* 139. *n.* 1. Falſitatis revincuntur Dallæus, & Baſnagius. *ibid.* Aliqua tamen fuit varietas quoad tempus ea obſervandi, & quoad numerum. *ibid. n.* 2. Tres cauſſæ inſtituendi eiuſmodi ieiunia recenſentur ex S. Leone. *p.* 140. *n.* 3. Ieiunium quartæ, & ſextæ feriæ antiquiſſimum fuit in Eccleſia. *ibid. n.* 4. Cauſſa illa inſtituendi aſſignatur ex S. Epiphanio. *p.* 141. *n.* 5. Ea ieiunia fuere conſilii, non præcepti. *ibid. n.* 6. Ieiunium ſabbati male Græci improperabant Eccleſiæ Latinæ. *ibid. n.* 7. & *ſeq.*

Ieiunium Adventus perantiquum fuit in Eccleſia Romana. *p.* 142. *n.* 9. Obſcura ſunt illius primordia. *ibid.* De ſtationibus, earumque ieiunio varia ex Auctoribus diverſimode loquentibus afferuntur. *p.* 143. *n.* 10. Rogationes, earumque diſciplina conſilii fuit, non præcepti. *ibid.*

Ieiunium Calendis Ianuarii obſervabant primi Chriſtiani, ut eo Gentilium ſuperſtitionibus ſe ſe opponerent. *p.* 146. *n.* 13. Ieiunium diei dominici, & temporis Paſchatis fidelibus prohibitus fuit. *p.* 147. *n.* 14. Si quis tamen ex ſua devotione eo tempore ieiunare vellet, bene ageret, modo abeſſet ſcandalum, & contemptus Eccleſiæ. *ibid.*

Ieiunium eccleſiaſticum eſt parſimonia victus, abſtinentiaque ciborum iuxta formam ab Eccleſia præſcriptam. *p.* 156. *n.* 1. Rite, & valide Eccleſia compellere poteſt, & compellit fideles ad obſervandum ieiunium ſub gravi. *ibid. n.* 2. & *ſeq.*

Ieiunii præceptum veroſimilius partim affirmans eſt, partim negans. *ibid. n.* 4. Tria illud conſtituunt; nimirum unica refectio, abſtinentia a carnibus, & tempus definitum. *p.* 157. *n.* 5. Explicatur. *ibid.* Unica comeſtio, & abſtinentia a carnibus ad ſubſtantiam ieiunii eccleſiaſtici pertinent. *p.* 158. *n.* 6. Illud potiſſimum ſitum eſt in unica refectione, cui accedit ciborum delectus. *ibid.* Inter carnes ab Eccleſia prohibitas computari debent ea animalia quæ diu extra aquam vivere ſolent. *p.* 159. *n.* 2. Licet aliquæ

quæ aves nutriantur in aquis, tamen veniunt nomine carnium. *ibid.*

Qui tempore ieiunii carnes comedunt, peccant mortaliter, niſi parvitas materiæ excuſet. *p.* 160. *n.* 3. Laxe nimis hanc parvitatem materiæ extendunt P. Stoz, & Paſqualigus. *ibid.* Qui nullum habet cibum die ieiunii præter carnes, poteſt illas comedere. *p.* 161. *n.* 4. Non vero ſi pro uno tantum die non habeat niſi panem. *ibid.* Laxa Paſqualigi contraria opinio refellitur. *ibid.* Perpetuo amentibus, & pueris ante ſeptennium licet ſuppeditare carnes. *ibid. n.* 5. Niſi illis ante ſeptennium rationis lumen affulſerit. *ibid.* Aut dubium ſit, an affulſerit. *ibid.*

Diſpenſatus in die ieiunii ad carnium eſum non poteſt carnes ſuillas comedere. *p.* 162. *n.* 6. Diſpenſatus a cibis eſurialibus non peccat contra ieiunii præceptum piſces comedendo. *ibid.* An diſpenſatus in quadrageſima ad eſum carnium poſſit eaſdem comedere feria quarta, & ſexta, ac ſabbato quatuor temporum eiuſdem quadrageſimæ, pendet a voluntate diſpenſantis, & neceſſitate diſpenſati. *pag.* 163. *n.* 7. Diſpenſati ad carnes, ieiunii lege tenentur, niſi infirmitas, aut virium debilitas obſtent. *pag.* 163. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Huic, non oppoſitæ opinioni, favet Caietanus. *p.* 164. & *ſeq. n.* 2. Oppoſita opinio eſt improbabilis. *p.* 165. *n.* 3. Eam elegantiſſimo ſtilo, & omni argumentorum genere integra diſſertatione recte impugnavit D. Alexander Mantegazzi. *p.* 160. & *ſeq. n.* 4. Ineptiſque rationibus, tricis, & ſophiſmatibus in eam diſſertationem ſcriptis ſua Diatriba defendere conatus eſt D. Petrus Copellotti. *ibid.* & *p. ſeqq. n. ſeqq.*

Qui carnes, & ova in quadrageſima comedit, toties peccat, quoties ea comedit. *p.*184. *n.*32. Sicut ſi extra quadrageſimam ea comedat ligatus voto ea non comedendi. *ibid. n.* 33. Secus ſi ea comedat tali die pro quo vovit ieiunare. *ibid.* In iis regionibus in quibus eſt penuria olei, non licet uti ſagimine, dum ieiunatur, niſi ex ſuperioris diſpenſatione. *p.* 185. *n.* 34. Ova & lacticinia ſemper prohibita fuerunt in Eccleſia tempore quadrageſimæ. *ibid.* & *pag.* 186. *n.* 1. & *ſeq.* In quadrageſima iure communi prohibentur ſub gravi culpa. *p.* 187. *n.* 3. Sicut etiam diebus dominicis eiuſdem quadrageſimæ. *ibid. n.* 4. In ieiuniis extra quadrageſimam non prohibentur iure communi; ſed in hoc obſervanda eſt patriæ conſuetudo. *p.* 188. *n.* 5. Idque etiam a Regularibus. *ibid. n.* 6.

Pauperes oſtiatim mendicantes, ſi cibo careant quadrageſimali ſufficienti pro unica comeſtione, poſſunt ova, & lacticihia comedere. *pag.* 189. *n.* 7. Non vero agricolæ & ruſtici ex hoc ſolum quod careant piſcibus. *ibid.*

Licitum non eſt in ieiunio quadrageſimali edere farinam ſubactam, oviſque compactam, vulgo *ciambella*. *p.*198. *n.* 8. Unica comeſtio eſt neceſſaria ad ieiunium. *p.* 190. *n.* 1. Hora ſolvendi quadrageſimalis ieiunii antiquitus fuit veſpertina uſque ad ſæculum XII. *p.* 191. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Poſtea fuit hora nona, & deinde ſexta. *pag.* 192. & *ſeq. n.* 4. Falſo ob id hæretici Reformati aiunt nullum nos ſervare ieiunium. *p.* 193. *n.* 5. Variatæ iſtius diſciplinæ origo indicatur. *p.* 194. *n.* 6. Collatio, ſeu refectiuncula ſerotina, an integritati ieiunii repugnet, *V. Collatio, ſeu refectiuncula ſerotina.*

Antiqua Eccleſiæ diſciplina in ieiuniis præcipiebat abſtinentiam tum a carnibus, tum a vino. *pag.* 199. *n.* 2. Nunc extra ipſam refectionem ſumi poteſt potus ad ſedandam ſitim. *ibid.* Non vero ad ſedandam famem. *pag.* 200. & *ſeqq. n.* 3. 5. & *ſeq.* Neque ob ſolam delectationem, & multoties in die etiam in fraudem ieiunii, ut laxe docet P. Viva. *ibid.* Impugnatur laxa explicatio, quam affert idem P. Viva propoſitionis 8. damnatæ ab Innocentio XI. *ibid.*

Electuaria ſumpta per modum medicinæ non frangunt ieiunium. *ibid.*

Secus, ſi ſumantur ad extinguendam famem, ſive ob ſolam delectationem. *ibid. num.* 8. Falſum abſolute eſt illud axioma : *Liquida non frangunt . pag.* 205. *n.* 9.

Qui in die ieiunii ſemel comedens ita ventrem implet, exquiſitiſque epulis & condimentis utitur , ut nullam ieiunii afflictionem ſentiat , ſed potius irritet concupiſcentiam , graviter reprehenditur a S. Auguſtino . *pag.* 248. *num.* 2. Servat ille quidem præceptum ieiunii , ſed peccat . *pag.* 250. & *ſeq. n.* 6. & *ſeq.* Reſpondetur obiectis contrariæ ſententiæ . *p.* 252. & *ſeq. n.* 9. Qui inadvertenter ieiunium frangit , tenetur illa die , cum advertit, ieiunium ſervare. *p.* 253. *n.* 10.

Interruptio unicæ comeſtionis non ſemper ieiunium frangit. *p.* 254. *n.* 11. Plures de hoc caſus reſolvuntur. *ibid.* Qui in die ieiunii quidquid modicum cibi ſæpius comedit, ſi notabilem quantitatem tandem comederit , ieiunium frangit. *p.* 255. *n.* 1. Qui invitatus ab amico comedit , ne inurbanus appareat, peccat contra præceptum ieiunii. *ibid. n.* 2. Qui aliquid cibi ſumit toties quoties bibit, ne potus noceat, frangit ieiunium. *ibid.* & *p.* 256. *n.* 3. & *ſeq.*

Vera , & deformata ieiunii imago ex plurium Caſuiſtarum ſententia conſurgens exhibetur . *pag.* 273. & *ſeq. num.* 1.

Aſſignatur hora refectionis in die ieiunii capiendæ. *p.* 275. *n.* 1. Ea ex D. Thoma ſumenda eſt ſecundum groſſam æſtimationem . *ibid.* Qui notabiliter per unam , aut duas horas abſque iuſta cauſſa ieiunium ſolveret ante meridiem , peccaret graviter. *ibid. n.* 2. Satisfit obiecto. *pag.* 277. *n.* 3. & *ſeq.* Referuntur iuſtæ cauſſæ anticipandi comeſtionem in die ieiunii. *p.* 278. *n.* 7. Privilegium eam anticipandi per horam Religioſos habere non conſtat. *p.* 279. *n.* 8. Et quatenus haberent , non poſſent per aliud non notabile tempus eam anticipare. *ibid.*

Recenſentur dies quibus ieiunandum eſt, & abſtinendum a carnibus . *ibid.* & *p.* 280. *n.* 1. & *ſeq.* Regulares qui vi voti , aut præcepti obligantis ſub gravi tenentur abſtinere a carnibus , & ieiunare die veneris , eo die ſi incidat feſtum Nativitatis Chriſti , tenentur a carnibus abſtinere. *p.* 281. & *ſeq. n.* 3. Sicut etiam ſi ſic obligentur die veneris vi conſtitutionum non obligantium ad culpam . *ibid.* Inepta explicatio privilegii pontificii quam exhibet P. M. Milante, refellitur. *ibid.* Sicut etiam quilibet alius qui ſic diebus veneris tenetur ex voto ieiunare, & abſtinere a carnibus . *pag.* 283. *n.* 4. & *ſeq.*

Obligatio ieiunii eccleſiaſtici incipit a puncto mediæ noctis, & deſinit eodem puncto mediæ noctis ſequentis . *p.* 284. *n.* 1. Ultima bacchanalium nocte illis cœnam poſt mediam noctem differre non licet qui uſque ad mediam noctem ludis & ſaltationibus vacarunt. *ibid. n.* 2. Laxiſſima Paſqualigi oppoſita opinio reiicitur . *ibid.* & *p.* 285. *n.* 3. Qui dubitat , an ſit nec ne media nox , comedere non poteſt, ſi die ſequenti ieiunare debeat . *ibid. num.* 4. Non licet ſequi unum horologium pro ieiunio eccleſiaſtico, & aliud pro naturali . *ibid. n.* 5. Si quis dum cœnat audiat pulſus horologii deſignantes mediam noctem , tenetur deſiſtere a cœna , ſi die ſequenti ſit ieiunandum. *p.* 286. *n.* 5.

Ad ieiunium non obligantur fideles niſi expleto anno vigeſimo primo . *ibid. n.* 1. Ad illud tenentur iuvenes qui explent annum vigeſimum primum vel. poſt inceptam quadrageſimam , vel poſt horam tertiam diei ieiunii. *p.* 289. *n.* 3. Regulares profeſſi non tenentur ad ieiunia Eccleſiæ ante expletum annum vigeſimum primum. *p.* 290. *n.* 4. Tenentur vero ad ieiunia Regulæ . *ibid. n.* 5. Dubitans num annum vigeſimum primum expleverit, ieiunare tenetur . *ibid. n.* 6.

Senes, qui annos ſexaginta expleverint , ratione ſexagenariæ ætatis non eximuntur a ieiunio . *ibid.* & *p.* 291. & *ſeqq. num.* 7. & *ſeqq.* Impugnantur Llamas, & Salmanticenſes , & falſo ia-

iactata Pii V. vivæ vocis oracula. *ibid.* Senes Regulares ſexagenarii, & mulieres Moniales quinquagenariæ non eximuntur a ieiuniis propriæ Regulæ. *p.* 295. & *ſeq. n.* 10. Laxa, & ſcandali plena oppoſita opinio, ſicut aliæ de hoc laxitates P. Vivæ, & plurium Caſuiſtarum improbantur, & reiiciuntur. *ibid.*

Viatores, peregrini, & vagi tenentur obſervare ieiunia locorum in quibus verſantur. *p.* 297. & *ſeq. n.* 2. Qui in die ieiunii invitat ad cœnam alterum, licet paratum ieiunium frangere, graviter peccat. *pag.* 298. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Tabernarii, & caupones in die ieiunii non poſſunt ſua ſponte cœnam miniſtrare hoſpitibus. *p.* 299. & *ſeq. num.* 4. & *ſeq.* Neque ſi ad id ſint requiſiti, ſi probabiliter credant eos ad ieiunium teneri. *pag.* 300. *n.* 6. Neque poſſunt cœnam præbere hoſpitibus quos ſciunt ad illud teneri, etiamſi illos prævideant alio ad cœnandum ituros. *p.* 301. *n.* 7. Quin immo cum dubitant utrum hoſpites teneantur ieiunare, debent eos interrogare. *ibid. n.* 8. Graviterque peccant, ſi nolint hoſpites recipere, niſi cœnent. *ibid. num.* 9. Laxa Paſqualigi oppoſita ſententia reiicitur. *ibid.* Caupones non requiſiti, qui carnes miniſtrant in diebus quibus earum eſus prohibitus eſt, graviter peccant. *pag.* 302. *n.* 10. Non licet tempore quadrageſimæ publice exponere venales cibos prohibitos. *ibid. n.* 11.

Famuli, & famulæ parantes ieiunii tempore menſam, & cibos vetitos dominis ſuis iuſtam cauſſam non habentibus eos edendi, graviter peccant. *p.* 303. & *ſeqq. n.* 12. & *ſeq.* Non poteſt quis in die ieiunii invitare amicum ad cœnandum ſecum, etſi certo ſciat eum alibi cœnaturum. *pag.* 306. *n.* 14. Patresfamilias tenentur compellere filios, ſervos, & domeſticos ſuos ad ieiunandum. *p.* 306. & *ſeq. n.* 15. Graviter peccant domini compellentes ſervos ad laborem impedientem ieiunium, ſi ſine gravi damno in aliud tempus differri poſſit. *p.* 308. *n.* 16. Sicuti nolentes eos conducere niſi cum pacto, ut non ieiunent. *ibid.*

Cauſſæ a ieiunio excuſantes ſunt impotentia, labor, pietas, & diſpenſatio. *ibid. n.* 1. Impotens ad ieiunium non tenetur ieiunare etiam quando impotentia oritur ex propria culpa. *ibid. n.* 2. Qui ea intentione expreſſa vacat ludo, venationi, vel nimio coitui, ut impotens efficiatur ad ieiunandum, peccat contra præceptum ieiunii. *ibid.* Non ſemper excuſantur a ieiunio qui dicunt calefieri, & dormire ſine cœna non poſſe; vel vertiginem capitis, aut ſtomachi debilitatem patiuntur. *p.* 309. *n.* 3. In his caſibus diſtinguenda eſt impotentia a difficultate. *ibid.* Prima excuſat, non ſecunda. *ibid.* Qui collatione mane ſumpta, & prandio in veſperum dilato ieiunare poſſunt, tenentur id præſtare. *p.* 310. *n.* 4. Laxa Eſcobarii, & aliorum oppoſita ſententia reiicitur. *ibid.*

Tempore ieiuniorum a re uxoria abſtinere debere Chriſtianos, tradunt Scripturæ, & Patres. *p.* 311. & *ſeq. n.* 1. & *ſeqq.* Itemque fere omnes antiqui Canoniſtæ. *p.* 313. *n.* 5. Improbatur recentium Caſuiſtarum doctrina, aientium eos non teneri ieiunare, ſi aliter nequeant debitum matrimoniale perſolvere. *p.* 314. & *ſeq. n.* 8. & *ſeqq.* Veræ de hoc regulæ paucis traduntur. *p.* 315. & *ſeq. n.* 11. Ad evitandam incontinentiam tenetur coniux debitum reddere ſub gravi culpa, etiamſi frangere ieiunium deberet. *p.* 316. *num.* 12. Quando coniux debitum reddere non poſſet, niſi ieiunium frangeret, tenetur precibus, adhortationibus, aliiſque modis abducere alterum coniugem a debiti petitione. *ibid. n.* 13. Oſtenditur vix ac ne vix quidem contingere caſum in quo ob debiti redditionem coniuges liberentur a ieiunio. *p.* 317. *n.* 14.

A ieiunio non eximitur uxor, ne fiat macilenta, minuſque grata reddatur; nec puella, ne formam venuſtatis perdat. *p.* 318. *n.* 16. Laxæ Leandri, & Tambutini oppoſitæ ſententiæ reiiciuntur. *ibid.* Uxores prægnantes,

&

& lactantes eximuntur a ieiunio. *ibid. n.* 17. Uxor non tenetur obedire marito præcipienti ne ieiunet. *ibid.* Femina viro hæretico nupta, ad evitanda gravia diſſidia poteſt aliquando intermittere ieiunia. *p.* 319. *n.* 18.

Quicumque labor non excuſat a ieiunio. *p.* 319. & *ſeq. n.* 1. Vivæ vocis oraculum Eugenii IV. quo dicitur artifices laborioſas artes exercentes, & ruſticos ſive divites, ſive pauperes non teneri ieiunare ſub præcepto peccati mortalis, eſt merum commentum. *ibid.* Exercentes artes vere laborioſas excuſantur a ieiunio. *ibid. n.* 2. Plures ex illis recenſentur. *ibid.* Si tamen etiam illi ſine gravi incommodo ieiunare valeant, tenentur. *ibid. n.* 3. Sicut etiam tenentur divites eas exercentes non ex indigentia, ſed maioris lucri cauſſa. *ibid.* & *p.* 321. *n.* 4. Sutores, ſartores, pictores, & barbitonſores per ſe abſolute a ieiunio non excuſantur. *ibid. n.* 6. Excuſantur vero typographi, qui torcular, & prælum tractant; non vero compoſitores characterum. *pag.* 322. *n.* 7. Recenſentur alii, quos laxe a ieiunio eximunt Leander, & Paſqualigus. *ibid.* Longum, ac neceſſarium iter facientes excuſantur a ieiunio; ſecus non. *p.* 323. *n.* 8. Equitantes per ſe loquendo non excuſantur a ieiunio. *ibid. n.* 9. Oppoſitum damnatum fuit ab Alexandro VII. *ibid.* Peregrinatio voluntaria quæ commode differri poteſt, non excuſat a ieiunio. *p.* 324. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Qui feria quinta vel ſexta hebdomadæ ſanctæ ſe ſe publice flagellant, non eximuntur a ieiunio. *p.* 325. *n.* 4. Oppoſita Salmanticenſium opinio impugnatur. *ibid.* Licitum non eſt ſolvere ieiunium obligans ſub mortali ob hoſpitem ſuſcipiendum. *pag.* 326. *n.* 5. Laxa Paſqualigi oppoſita ſententia reiicitur. *ibid.*

Concionatores ob prædicationis quadrageſimalis officium non poſſunt carnes in quadrageſima comedere. *p.* 327. *n.* 7. Si concionentur quotidie, & ieiunare nequeant, diſpenſationem impetrare debent. *p.* 328. *n.* 8. Qui concionantur ter, vel quater in hebdomada non excuſantur a ieiunio diebus quibus concionantur, multoque minus iis quibus non concionantur. *ibid.* & *p.* 329. *n.* 9. Laxa P. Thomæ Sanchez oppoſita ſententia reiicitur. *ibid.* Confeſſarii, Magiſtri, Lectoreſque ſcientias docentes nullo modo a ieiunio excuſantur. *p.* 329. *n.* 10.

Diſpenſatio iuſta a ieiunio excuſat. *p.* 330. *n.* 1. Ab eo Pontifex diſpenſare poteſt. *ibid. n.* 2. Et Epiſcopus cum ſuis ſubditis. *ibid. n.* 3. Epiſcopi tamen diſpenſatio facta ſine iuſta cauſſa a ieiuniis univerſæ Eccleſiæ indictis, invalida eſt. *ibid.* Parochus etiam diſpenſare poteſt iure conſuetudinis. *p.* 331. *n.* 4. Sicut etiam cum ſuis ſubditis Superior Regularis. *ibid. n.* 5. Non tamen Abbatiſſa, & Prioriſſa. *ibid. n.* 6. Epiſcopi iuſta de cauſſa cum tota diœceſi, vel civitate diſpenſare poſſunt. *ibid. n.* 7. Non vero cum ſuis pœnitentibus Confeſſarii. *ibid. n.* 8. Sicut nec medici cum ægrotis. *p.* 332. *n.* 9. Quando cauſſa non ieiunandi eſt evidens, non requiritur diſpenſatio, ſed ſolum in dubio. *p.* 333. *n.* 11. Qui dubitant, an ſint obnoxii ieiunio, ad illud tenentur. *ibid. n.* 12.

Privilegia quæ pro Regularibus afferuntur circa ieiunium, commentitia ſunt. *ibid.* Ieiunium Chriſtianorum comitari debent abſtinentia a peccatis, oratio, eleemoſyna, aliarumque virtutum exercitia. *p.* 334. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Si veræ forent recentium Caſuiſtarum opiniones, & licitæ conſuetudines quibus hodie Chriſtiani a ieiunio eximuntur, nulla amplius eſſet lex de ieiunio. *pag.* 337. *n.* 1. & *ſeqq.* Oſtenditur idipſum auctoritate Cardinalis Pallavicini. *p.* 338. & *ſeqq. n.* 4. *V. Cocolata. Collatio, ſeu refectiuncula ſerotina. Copellotti. Mantegazzi.*

L

La Croix (P. Claudius) laxas ſententias docet de præcepto audiendi Miſſam. *p.* 8. *n.* 14. & *ſeqq.*

Leander (a SS. Sacramento) laxas opinio-

nionès docet de præcepto audiendi Miſſam. *p.* 7. *n.* 9. & *ſeqq.* Et de parvitate temporis plurium ſimul laborantium iuſſu domini die feſto. *p.* 62. *n.* 3. Laxe docet eum qui auditurus eſt Miſſam, peracta conſecratione non debere audire alteram medietatem. *p.* 75. *n.* 2. Laxe docet audientem unius Miſſæ partes ſimul a pluribus Sacerdotibus, ſatisfacere præcepto. *p.* 77. & *ſeq. n.* 5. Eius abuſus probabilitatis ſpeculativæ, & practicæ. *ibid.* Alias laxas propoſitiones docet de ieiunio. *p.* 149. *n.* 1. & *ſeqq.* & *p.* 151. *n.* 6. & *p.* 153. *n.* 9. & 12. & *p.* 154. *n.* 22. & *ſeqq.* Laxe docet exceſſu duarum unciarum ſupra octo in collatione diei ieiunii ſumptarum non frangi ieiunium. *p.* 262. *n.* 7. Laxe ait in ea ſumi poſſe compoſitum ex pane & herbis, ſale & oleo conditum. *p.* 264. *n.* 10. Refellitur hæc opinio. *ibid.* Et multo laxius piſciculos recentes, aliquid butyri, caſei, & ovorum. *p.* 265. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeq.* Refellitur auctoritate vel ipſorum benigniorum Caſuiſtarum. *ibid.* Laxe viris nobilibus, Advocatis &c. maiorem collationem quam ceteris in ieiunio concedit. *p.* 270. & *ſeq. n.* 16. Laxe a ieiunio eximit plures, qui recenſentur. *p.* 322. *n.* 7. Laxe ab eo equitantes abſolute eximit. *p.* 323. *n.* 9. Male in Suarez, & Cornelio a Lapide Scripturæ textum emendat. *p.* 393. *n.* 5.

Llamas (Hieronymus) laxe eximit ſenes quoſcumque ſexagenarios ab onere ieiunandi. *p.* 292. & *ſeq. n.* 2. Eius narratio de vivæ quoad hoc S. Pii V. vocis oraculo undique claudicat. *ibid.* Refellitur. *ibid.*

Launoius (Ioannes) male contendit olim in ieiuniis Chriſtianorum varium pro varietate Eccleſiarum fuiſſe morem etiam quod attinet ad carnium eſum. *p.* 123. & *ſeqq. n.* 8. & *ſeqq.* Satisfit eiuſdem obiectis *ibid.*

M

Mantegazzi (D. Alexander) integram diſſertationem vulgavit, qua elegantiſſimo ſtilo & omni argumentorum genere recte probat diſpenſatum a carnibus teneri ad ieiunium. *p.* 166. & *ſeq. n.* 4. Eam impugnavit D. Copellotti ſua Diatriba, ineptis rationibus, tricis, & ſophiſmatibus referta. *V. Copellotti.*

Medici in cauſſa ſunt cur ieiunia paſſim violentur. *p.* 332. *n.* 9.

Milante (P. Magiſter) latiſſime extendit quantitatem collationis ſerotinæ in die ieiunii ad octo uncias. *p.* 259. *n.* 3. Laxe in ea concedit piſciculos recentes, immo etiam magnos piſces. *p.* 270. *n.* 14. Laxe & falſo interpretatur privilegium pontificium non abſtinendi a carnibus, & non ieiunandi die veneris in quam incidat Nativitas Chriſti Domini. *p.* 182. & *ſeq. n.* 3.

Miſſa audienda eſt ex præcepto ab omnibus fidelibus diebus dominicis, & aliis feſtis. *p.* 72. *n.* 2. Non tamen ab amentibus, parvulis, ebriis, & catechumenis, & infidelibus. *p.* 73. *n.* 3. Bene vero a pueris completo ſeptennio. *ibid.* Integra audiri debet. *p.* 73. *n.* 1. Huiuſmodi præceptum impletur, quocumque idiomate, & ritu ab Eccleſia approbato Miſſa dicatur. *ibid.* Et ab omittente levem Miſſæ partem, non vero notabilem. *p.* 74. *n.* 2.

Referuntur variæ opiniones de notabili, & levi parte Miſſæ. *ibid.* Laxæ Baunii, Leandri, & Ioannis Sancii de hoc ſententiæ improbantur. *ibid.* Eum qui incipit lecta iam integra epiſtola audire Miſſam, probabilius videtur non ſatisfacere præcepto. *p.* 75. *n.* 3. Miſſæ quamcumque levem partem ſine rationabili cauſſa omittere, veniale eſt. *p.* 76. *n.* 4. Si pars quæ omittitur, ſit ex præcipuis, letale eſt. *ibid.* Miſſæ præcepto non ſatisfacit qui duas medietates eiuſdem ſimul, eodemve tempore audit. *p.* 77. *num.* 5. Improbatur laxa plurium Caſuiſtarum ſententia, & præcipue Leandri, id perperam extendentis ad plures ſimul medietates. *ibid.* Neque ſatisfacit qui dimidiam partem ab uno Sacerdote, & aliam dimidiam ſucceſſive audit ab altero. *p.* 78. & *ſeq. n.* 6. Satisfacit qui ſolum unam

unam audit in die Nativitatis Domini. *p.* 18. *n.* 7. Se exponens gravi periculo omittendi Miſſam, peccat, licet ſubinde eam audiat. *ibid.*

In audienda Miſſa neceſſaria eſt moralis præſentia. *p.* 81. *n.* 1. Explicatur. *ibid.* Locus eam audiendi eſt Eccleſia publica. *p.* 82. *n.* 2. Aut oratoria, & ſacella erecta in palatiis Epiſcoporum, Conventibus Regularium, aut parvulæ illæ Eccleſiæ, quæ ianuam habent publico ingreſſui, & communi viæ expoſitam. *ibid.* Aut etiam oratoria privata in domibus Clericorum ſæcularium, aut laicorum; extantia reſpectu illorum qui ſunt de familia domus in qua eſt oratorium. *ibid. n.* 3. Non vero reſpectu illorum qui non ſunt de familia, niſi id permittat Breve apoſtolicum. *ibid. n.* 4.

Satisfit præcepto quacumque hora audiatur Miſſa a media uſque ad alteram mediam noctem. *p.* 83. *n.* 5. Et etiam in nocte Nativitatis Chriſti ante mediam noctem, ubi ex privilegio ante eam celebrari poteſt. *ibid. n.* 6.

Ad ſatisfaciendum præcepto requiritur intentio audiendi Miſſam. *p.* 84. *n.* 1. Pravam intentionem habens erga mulierem dum Miſſam audit, non ſatisfacit præcepto. *ibid.* & *p.* 85. & *ſeq. n.* 2. & *ſeq.* Si te non advertente in aliquo altari Miſſa lecta fuerit uſque ad *Sanctus*; & deinde advertas, & reliquum Miſſæ audias, non ſatisfacis præcepto. *p.* 86. *n.* 4. In dubio utrum ſatisfeceris nec ne præcepto Miſſæ, ſecuriorem partem eligere debes. *p.* 86. *n.* 5. Ad ſatisfaciendum neceſſaria eſt attentio externa, & interna. *p.* 87. & *ſeq. n.* 6.

Chriſtiani actuali affectu peccatum amantes dum Miſſam audiunt, peccant quod eam non audiant ſicut oportet. *p.* 89. & *ſeqq. n.* 2. & *ſeqq.* Huiuſmodi tamen peccatum adverſus præceptum audiendi Miſſam videtur eſſe infra mortale. *p.* 92. *n.* 6. Solvuntur obiecta. *ibid. n.* 7. & *ſeqq.*

Impotentia excuſat ab audienda Miſſa. *p.* 107. *n.* 1. Triplex ea eſt; ſpiritualis, phyſica, & moralis. *ibid.* Explicatur. *ibid.* & *p.* 108. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Etiam ignorantia, & conſuetudo ſunt duæ cauſſæ quæ excuſare poſſunt ab auditione Miſſæ. *p.* 110. *n.* 6. Quando urget præceptum caritatis, & miſericordiæ erga proximum, impleri debet, etiamſi Miſſa ſit omittenda. *p.* 111. *n.* 7.

Chriſtiani tenentur non ponere impedimentum audiendi Sacrum. *ibid. n.* 8. Declaratur, reiectis laxitatibus P. Sporer, & P. Gobat. *ibid.* & *n.* 9. Spes acquirendi lucrum temporale non eſt ſufficiens cauſſa negligendi auditionem Miſſæ die feſto. *p.* 112. *n.* 10. Laxa P. Gobat oppoſita ſententia improbatur, & reiicitur. *ibid.*

Miſſam omittens ob legitimam cauſſam, tenetur, ſi poſſit, alias preces offerre Deo. *p.* 113. & *ſeq. num.* 11. Evincitur claro D. Auguſtini teſtimonio. *ibid.* Miſſæ auditio an ſufficiat ad ſanctificationem feſtorum; an aliud, & quid ulterius ad illam requiratur. *V. Feſta.*

N.

Narbona (D. Didacus) laxiſſime liberat ſenes octuagenarios ab obſervantia legum eccleſiaſticarum, & divinarum. *p.* 403. *n.* 1. & *p.* 419. 19. *n.* 2. Refellitur. *p.* 420. *n.* 3.

Navarrus (Martinus) non ſcripſit conſilium quod ei pro potu cocolatæ falſo tribuit P. Thomas Hurtado. *p.* 230. & *ſeq. n.* 21. & *ſeq.* Narrat ſe octuagenarium ieiunaſſe, ac perinde ieiunare potuiſſe ac dum ageret annum quinquageſimum. *p.* 291. *n.* 8.

O

Oblatio generatim accepta eſt rei ſpontanea largitio. *p.* 394. *n.* 1. Proprie hic ſumitur pro re quæ Deo dicatur. *ibid.* Ad Deum relata res omnes comprehendit quas fideles ſponte in divinum cultum conferunt. *ibid.*

Harum oblationum extabat præceptum in lege veteri; non tamen extat, ne eccleſiaſticum quidem, in lege no-

Digitized by Google

nova. *p.* 395. *n.* 2. & *ſeq.* Fieri poſſunt debitæ pluribus de cauſſis, quæ recenſentur ex D. Thoma. *p.* 396. *n.* 4. & *ſeqq.* Præcipue fieri poſſunt debitæ ex conſuetudine. *p.* 397. *n.* 7. Illæ ſoli Parocho debentur, ſive fiant intra, ſeu extra Eccleſiam. *ibid. n.* 8. Explicatur uberius. *ibid.* Factas in Eccleſiis Regularium, Parochis deberi, male defendit P. Trullench. *p.* 398. & *ſeq. n.* 9. & *ſeq.*

Non eſt improbanda conſuetudo, qua ad ciendam pietatem Clerici in aliquo die v. g. Purificationis B. V. tribuunt laicis aliquod munus, ut cereos albos, vel quid ſimile. *p.* 399. *n.* 11. Eccleſia reſpuit oblationes plurium, qui recenſentur. *p.* 400. *n.* 12. Oblationes liberas omittens, nulla punitur pœna, ſecus neceſſarias. *ibid. n.* 13.

Opera ſervilia diebus feſtis prohibita, ſunt ſola corporalia, & externa. *p.* 32. & *ſeq. n.* 1. & *ſeq.* Opus ſervile triplex eſt ex D. Thoma; religioſum, peccaminoſum, & humanum. *p.* 33. *n.* 3. Explicatur. *ibid.* Pingere eſt opus die feſto prohibitum, ſive lucri, ſive recreationis, ſive addiſcendi gratia fiat. *p.* 43. *n.* 2. Sicut etiam venatio, aucupium, & piſcatio. *p.* 43. *n.* 3. Itemque iter arripere abſque rationabili cauſſa. *ibid. n.* 4. Hoc tamen peccatum dumtaxat leve dicendum eſt. *ibid.* Agaſonibus, & mulionibus beſtias onuſtas diebus feſtis conducere non licet abſque ulla neceſſitate. *p.* 44. *num.* 5. Neque Miſſam omittere, ut beſtias ſuas in pratis paſcant, evitentque ſumptus faciendos in diverſorio. *ibid. n.* 6. Neque licet typographis ordinare illis diebus characteres. *ibid. num.* 7. Choreæ comeſſationes, ludi ſcenici, idque genus ſimilia potiſſimum diebus feſtis Chriſtianis ſunt vetita. *p.* 45. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.*

Docere die feſto quaſcumque ſcientias ſive ob lucrum, ſive abſque lucro licitum eſt. *p.* 49. *n.* 1. Probabilius vero non licet ob lucrum tranſcribere. *p.* 50. & *ſeq. n.* 4. & *ſeq.* Excipiuntur nonnulli caſus. *ibid. num.* 6. Itemque tranſcribere non licet ex inſtituto, & pro mercede libros cum notis pro cantu muſico. *p.* 52. *n.* 7.

Licite exercetur die feſto ars præparandi, & coquendi cibos, niſi in ea modus excedatur. *p.* 52. *n.* 1. Itemque curandi infirmos. *p.* 53. *n.* 2. Opera divino cultui dicata, quæ proxime divinum cultum excitant, exerceri poſſunt die feſto; non tamen quæ ſolum remote, ſi poſſint anticipari. *ibid.* & *p.* 54. *n.* 3. & *ſeq.*

Mercatus, & iudicia forenſia ſpeciali lege prohibentur die feſto. *p.* 55. & *ſeq.* Adducitur de hoc conſtitutio Pii V. *p.* 56. & *ſeq. n.* 4. Et declaratio ſacræ Rituum Congregationis plura expreſſe prohibentis. *p.* 57. *n.* 5. Prohibitio iudicii civilis, ſeu criminalis exercendi die feſto comprehendit omnes actiones quæ ad cauſſam tractandam proxime pertinent. *p.* 58. & *ſeq. n.* 6. & *ſeq.* Enumerantur huiuſmodi actiones. *ibid.* Illæ tamen neceſſitatis & pietatis cauſſa licite exerceri poſſunt. *p.* 59. *n.* 8.

Referuntur diverſæ opiniones de parvitate temporis excuſante a gravi tranſgreſſione præcepti vetantis opera ſervilia die feſto. *p.* 60. & *ſeq. n.* 2. Laxæ de hoc Paſqualigi, & Tamburini ſententiæ improbantur. *ibid.* Laxe nonnulli docent dominum non peccare mortaliter, ſi die feſto iniungat laborem duarum horarum viginti famulis ſimul. *p.* 62. *n.* 3. Refellitur hæc opinio. *ibid. n.* 4. Et reſpondetur rationibus Salmanticenſium. *p.* 63. & *ſeq. n.* 5. & *ſeq.* Neceſſitas propriæ, & proximi ſalutis reddit licita ſervilia opera die feſto. *p.* 65. & *ſeq. n.* 7. & *ſeq.* Licitum non eſt tondere barbam diebus feſtis. *p.* 66. & *ſeq. n.* 9. Eam tondentes an graviter peccent, pendet ex variis circumſtantiis, quæ referuntur. *ibid.* Sæpius ipſi homines tondendi gravius peccant barbitonſoribus. *ibid.* Famuli coacti a dominis laborare die feſto, quandoque excuſantur, ſi laborent. *pag.* 67. *num.* 10. Non tamen, ſi cogantur id

facere, in contemptionem diei feſti. *ibid.*

Occaſio comparandi magnum lucrum non excuſat ab obſervatione diei feſti. *p. 68. & ſeq. n. 11.*

Non licet diebus feſtis agitare tauros moloſſorum morſibus expoſitos, ut invicem cornibus, & dentibus bellum peragant. *p. 69. num. 12.* Contraria conſuetudo eſt abuſus & corruptela. *ibid.*

Diſpenſare poſſunt ab obſervatione feſtorum, & ſic ab operibus ſervilibus Pontifex, Epiſcopus, & pro aliquo caſu particulari, & ad tempus etiam Parochus. *p. 70. n. 13.* Excuſat etiam conſuetudo, ſi adſint conditiones requiſitæ. *ibid. n. 14.* Sed ſub conſuetudinis larva plures abuſus, & corruptelæ occultantur. *ibid.*

P

Pallavicinus (Cardinalis) egregie probat, quod ſi veræ eſſent recentiorum Caſuiſtarum de exemptione a ieiunio opiniones, nulla amplius eſſet ieiunii lex, quæ obligaret. *pag. 338. & ſeqq. n. 4.*

Paſqualigus (P. Zaccharias) laxas propoſitiones docet de præcepto audiendi Miſſam. *p. 7. n. 7. & ſeq. & p. 60. n. 1.* Et alias laxas de ieiunio. *p. 152. & ſeqq. n. 8. 10. 14. 17. 21. 25.* Laxe extendit parvitatem materiæ excuſantem a mortali in eſu carnium. *p. 160. n. 3.* Laxe docet nobilem non habentem uno ieiunii die niſi ſolum panem, poſſe eo die veſci carnibus. *p. 161. n. 4.* Refellitur. *ibid.* Laxe docet licere in quadrageſima edere farinam ſubactam, oviſque compactam, vulgo *ciambella*. *p. 190. n. 8.* Laxiſſime homines cuiuſcumque fere ſtatus eximit a ieiunio. *p. 222. & ſeqq. n. 12.* Laxe docet comedentem in die ieiunii poma, pyra, uvas, ſimileſque fructus ad extinguendam ſitim, ieiunium non frangere. *p. 254. n. 11.* Laxe viris nobilibus, Advocatis &c. maiorem collationem quam ceteris concedit. *p. 270. & ſeq. n. 16.* Laxiſſime docet eos qui ultima bacchanalium nocte ludis, & ſaltationibus vacarunt uſque ad mediam noctem, licite poſt illam cœnare poſſe. *p. 284. & ſeq. n. 2. & ſeq.* Laxe docet poſſe caupones nolle recipere hoſpites in die ieiunii, niſi cœnent. *pag. 301. num. 9.* Laxe a ieiunio eximit plures, qui recenſentur. *p. 322. num. 7.* Laxiſſime ab eo eximit exercentes ad illud vitandum opera illicita; v. g. nimium cum meretricibus coitum, ebrietatem &c. *pag. 325. num. 3.* Laxe docet licere ſolvere ieiunium ob hoſpitem ſuſcipiendum. *p. 326. n. 5.*

Piceninus (Iacobus) ut neget a Deo præceptum eſſe ieiunium, fraudulenter obtruncat textum D. Auguſtini. *pag. 118. & ſeq. num. 3.* Refellitur. *ibid.*

S. Pius V. numquam ſuo vivæ vocis oraculo exemit ab onere ieiunii ſenes ſexagenarios. *p. 292. & ſeqq. n. 9.* Oppoſita Hieronymi Llamas narratio falſa eſt, & claudicat undiqueverſum. *ibid.*

Primitiæ multiplicem habent ſignificationem. *pag. 391. num. 1.* Proprie ſumuntur hic pro primis fructibus agrorum, & arborum, qui Deo offeruntur. *ibid.* Primitias inter & decimas diſtinctio aſſignatur. *ibid. num. 2.* Primitias Deo offerre omnes gentes naturali lumine perſuſas conſuevisse oſtenditur. *ibid. num. 3.* De iis in lege veteri fuit præceptum a Deo impoſitum filiis Iſrael. *p. 392. n. 4.* Non vero ſolum conſilium, ut male contendit Barboſa. *ibid. num. 5.* Earum quantitas quæ prius definita non erat, ob avaritiam Sacerdotum Ezechielis tempore definita fuit. *ibid.* Primitiarum genus quadruplex erat in lege veteri. *ibid.* Illæ in lege gratiæ non debentur iure divino. *p. 394. num. 6.* Debentur tamen iure eccleſiaſtico, quidquid in contrarium perperam doceat Bonacina. *ibid.* Præceptum huiuſmodi nunc ubique fe-

re

re obſoletum eſt, & abrogatum. *ibid.*

Propoſitiones damnatæ de præcepto colendi feſta. *pag.* 5. *n.* 2. Aliæ damnatæ de ieiunio. *pag.* 148. *num.* 1. Aliæ damnatæ de annua confeſſione. *pag.* 403. *n.* 1. & *ſeq.* Aliæ item damnatæ de præcepto annuæ communionis. *pag.* 434.

Propoſitiones laxæ de præcepto colendi feſta. *pag.* 5. & *ſeqq. n.* 3. & *ſeqq.* Aliæ laxæ de præcepto ieiunii. *pag.* 149. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Aliæ item laxæ de præcepto annuæ confeſſionis, & communionis. *pag.* 403. *n.* 1. & *ſeq. V. Bauny. Bonacina. Caramuel. Caſtropalaus. Diana. Geribaldi. Gobat. Hurtadus. La Croix. Leander. Llamas. Milante. Narbona. Paſqualigus. Quintanadvennas. Sanchez Ioannes. Sanchez Thomas. Sporer. Stoz. Tamburinus. Torrecilla. Viva.*

Q

Quintanadvennas (P. Antonius) laxe docet habentem duo cauteria non teneri ad ieiunium. *p.* 310. *n.* 4.

R

Refectiuncula diei ieiunii. *V. Collatio.*

Res uxoria ut intermittatur a fidelibus diebus feſtis, potiſſimum dominicis, communiter hortantur SS. Patres. *p.* 104. & *ſeq. n.* 5. & *ſeqq.* D. Hieronymus declarat fideles ineptos rebus ſacris eo tempore quo rei uxoriæ dant operam, *p.* 105. *n.* 6. D. Thomas minime licere ait tempore ſacro debiti petitionem. *ibid. n.* 8. Maxime ſi hæc fiat potius voluptatis cauſſa quam ob periculum ſuccumbendi concupiſcentiæ ſtimulis. *ibid.* Nequaquam tamen peccare docet reddentem debitum petenti. *ibid.* Idem docent S. Bonaventura, & Alenſis. *ibid.* Afferuntur præclara exempla S. Ludovici Galliarum Regis, & S. Heduvigis ſe abſtinentium certis diebus a re uxoria. *p.* 106. *n.* 9. A re uxoria ſe abſtinere debent Chriſtiani ieiuniorum tempore, ſi debitum coniugale ſine tranſgreſſione ieiunii perſolvere nequeant. *p.* 311. & *ſeqq. n.* 1. & *ſeqq.* Doctrina recentium Caſuiſtarum diſtat in hoc mirum quantum a doctrina Patrum, & Eccleſiæ. *p.* 314. & *ſeq. n.* 8. & *ſeq.* Dum eſt periculum incontinentiæ, abſtinere non debet coniux a reddendo debito, etiamſi per illud evaderet impotens ad ieiunium obſervandum. *pag.* 316. *num.* 12. Caſum huiuſmodi vix ac ne vix quidem contingere oſtenditur. *pag.* 317. *num.* 14.

Rogationes, earumque diſciplina antiqua eſt in Eccleſia. *pag.* 145. & *ſeq. n.* 12. Eas Mamertus Epiſcopus Vienneſis inſtituit. *ibid.* Earum diſciplina conſilii fuit, non præcepti. *ibid.*

Rufus (Thomas Card.) teſtatur Clementem Papam XI. nec ſumpſiſſe, nec in ſuo procœtone permiſiſſe ſumi ab aliis potum chocolatæ in die ieiunii. *p.* 227. & *ſeq. n.* 16.

S

Sabbatum multipliciter accipitur in Scriptura. *p.* 11. *n.* 2. Illud præ alio die pluribus de cauſſis præcepit Deus Iudæis. *ibid. n.* 3. Eoque iuſſit exteriorem cultum. *pag.* 12. *n.* 4. Præceptum huiuſmodi eſt affirmativum. *ibid. n.* 5. Sabbati ſolemnitas in diem dominicum translata eſt pluribus de cauſſis, quæ recenſentur. *ibid. n.* 6. Poſt hanc translationem non illico ceſſavit ſabbati obſervatio in omnibus Orientis Eccleſiis. *p.* 14. *n.* 8. Secus in Eccleſiis Occidentis. *ibid. n.* 9.

Salmanticenſes laxam opinionem docent de domino iubente viginti famulis ſimul laborare die feſto per duas horas. *p.* 62. *n.* 3.

Digitized by Google

Sanchez (Ioannes) laxe docet, accedentem ad Sacrum audiendum quando præfatio dicitur, non teneri intereſſe reliquis partibus illius Miſſæ. *p.* 75. *n.* 2. Laxe docet, eos qui defatigantur ne ieiunent, etiam data opera, non teneri ad ieiunium. *pag.* 153. *num.* 11. Laxe docet ad illud non teneri habentem duo cauteria. *pag.* 310. *num.* 4.

Sanchez (P. Thomas) laxam propoſitionem docet de præcepto audiendi Miſſam. *pag.* 5. *n.* 3. Et aliam laxam de ieiunio. *p.* 154. *num.* 18. Laxe eximit a ieiunio etiam diebus quibus non concionantur, ter, vel quater concionantes in hebdomada. *pag.* 328. & *ſeq. n.* 9.

Socrates in iis quæ de Catholicis narrat, nullam meretur fidem. *p.* 125. *n.* 10. Apertiſſime revincitur mendacii. *ibid.*

Sporer (P. Patritius) laxe vocat ſcrupulum italicum opinionem aientem non licere die festo tranſcribere ex inſtituto, & pro mercede libros cum notis pro cantu muſico. *pag.* 52. *n.* 7. Laxas ſententias docet de apponente impedimentum audiendi Miſſam. *p.* 111. & *ſeq. n.* 8. & *ſeq.* Laxe extendit parvam refectiunculam in die ieiunii ad quartam partem cœnæ. *p.* 259. & *ſeq. n.* 4. Et multo laxius in ea concedit piſciculos recentes, aliquid butyri, caſei, & ovorum. *pag.* 265. & *ſeqq. num.* 11. & *ſeq.* Refellitur auctoritatibus benigniorum Caſuiſtarum. *ibid.*

Stationes quid eſſent traditur ex diverſis Auctorum ſententiis, quæ recenſentur. *pag.* 143. *num.* 10. Bellarminus fallitur aiendo eas fuiſſe vigilias diurnas tempore ſolemnis ieiunii. *ibid.*

Stoz (P. Matthæus) laxe extendit parvitatem materiæ excuſantem a mortali in eſu carnium. *p.* 160. *n.* 3.

Suarez (P. Franciſcus) imponit SS. Thomæ, & Antonino, dum ait eos docuiſſe præceptum annuæ confeſſionis obligare non per ſe, ſed per accidens, ratione ſcilicet communionis faciendæ. *pag.* 405. *num.* 3. Oſtenditur, adductis utriuſque Sancti textibus. *ibid.* Male citat Soto pro ſatisfactione præcepti communionis Paſchalis per eius ſacrilegam ſumptionem. *pag.* 447. *n.* 1.

T

Tamburinus (P. Thomas) laxe docet non eſſe mortale ſingulis feſtis per duas horas operari; idque efficere velle, & reipſa efficere toto anno. *pag.* 62. *num.* 2. Laxe docet abſque mortali dominum iniungere poſſe eum laborem die feſto viginti famulis ſimul. *ibid. num.* 3. Alias laxas propoſitiones docet de ieiunio. *pag.* 150. *num.* 5. & *ſeq.* & *pag.* 153. & *ſeq. n.* 15. & 19. Licet in ſummam benignitatem propendeat, tamen docet cocolatam frangere ieiunium. *pag.* 212. *num.* 8. Eius notabilis hiſtoria probans cocolatam eſſe maxime nutritivam. *pag.* 239. *num.* 1. Laxe docet ieiunantem impotentem reddere debitum, non teneri, ut ieiunet, precibus coniugem removere a petendo. *pag.* 314. *n.* 8. Laxe docet eximi uxorem a ieiunio, ne ieiunando minus grata marito reddatur; itemque puellam, ne formam venuſtatis deperdat. *pag.* 318. *num.* 16.

Teleſphorus Papa non inſtituit, ſed inſtitutum ab Apoſtolis confirmavit quadrageſimale ieiunium. *pag.* 137. *num.* 9.

Torrecilla (P. Martinus) laxas ſententias docet de præcepto audiendi Miſſam. *pag.* 8. & *ſeq. n.* 2. & *ſeqq.* Et alias laxas de ieiunio. *pag.* 155. *n.* 31. & *ſeqq.*

V

Vigiliæ, earumque diſciplina ab exemplis Chriſti, & Apoſtolorum originem duxerunt. *p.* 144. & *ſeq. n.* 1. Earum diſci-

Digitized by Google

diſciplina diu obtinuit in Eccleſia. *ibid.*

Viva (P. Dominicus) laxas propoſitiones docet de ieiunio. *p.* 154. & *ſeq. num.* 26. 28. & 30. Laxe docet licere in die ieiunii bibere vinum, muſtum, cereviſiam &c. etiam ob ſolam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem ieiunii. *p.* 202. *num.* 6. Laxe etiam interpretatur propoſitionem 8. damnatam ab Innocentio XI. *ibid.* Laxa docet de potu cocolatæ. *pag.* 214. *num.* 1. Refelluntur. *ibid.* & *pag.* 215. *num.* 2. Laxiſſime eximit Regulares ſexagenarios, & Moniales quinquagenarias, etiam anno quinquageſimo dumtaxat inchoato, ab omnibus ieiuniis propriæ Regulæ. *p.* 295. & *ſeq. n.* 10.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE

F I N I S.

99 971830

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google